

Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks

This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

Inv. B. L. - 4. 561.

Erst

PRÆLECTIONES

ACADEMICÆ

OXONII HABITÆ

AB

EDVARDO COPLESTON S. T. B.

COLLEGII ORIELENSIS SOCIO

ET

POETICÆ PUBLICO PRÆLECTORE

NUNC

ECCLESIÆ CATHEDRALIS LONDINENSIS PRÆBENDARIO.

OXONII,

TYPIS ACADEMICIS IMPENSIS AUCTORIS.

Prostant venales apud J. Parker, Oxonii; J. Payne, W. H. Lunn,
et J. Murray, Londini; J. Deighton, Cantabrigiæ;
et W. Blackwood, Edinburgi.

1813

BIBLIOTHECA BODLEIANA

NOBILISSIMO VIRO

BARONI GRENVILLE

ACADEMIÆ OXONIENSIS CANCELLARIO

S. P. D.

EDVARDUS COPLESTON.

NON eo ſolum nomine, quod apud nos principatum tenes, VIR NOBILISSIME, libellum hunc tutelæ ac præſidio tuo commiſſum volui. Quin feliciter id potius mihi contigiſſe arbitror, ut quem maxime omnium ei patronum optarem, ſi noſtri omnino res eſſet arbitrii, ad illum jam, non impudenter, ſed jure quodam Academico acceſſiſſe videar. Namque, ut taceam nunc virtutes tuas plurimas, quæ in ſumma rerum moderanda enituerunt, prudentiam, fidem, conſtantiam ſingularem; at memoria tenebam, quum haud ita pridem, nova indies graſſante temporum inſania, et Rex et Senatus et Eccleſia pari in diſcrimine verſarentur, quum, acerbiſſimo per Europam

ſæviente bello, nihil aut ſatis certum videretur domi aut lætum foris, bene equidem memoria tenebam, ubi tum Tu eſſes, et quibus a partibus ſtetiſſes. Civium nempe illorum tantum non princeps exſtitiſti, quorum opera, ſi quid aliud de civitate adminiſtranda affirmare auſim, dixerim plane REMPUBLICAM TUNC ESSE SALVAM.

Verum hæc alii narrabunt. Mihi certe ſatis erat vel in privatis tuis moribus ac ſtudiis, quod me ad hoc conſilium capiendum impelleret. Noveram enim te maxima humanitatis ac literarum laude floruiſſe, quamdiu hic adoleſcentiam agebas: noveram te jam animo atque ætate firmiorem, poſtquam ad graviſſima reipublicæ munera evectus eſſes, literis tamen fuiſſe, quantum pateretur iſtius vitæ ratio, impenſe deditum. Nihil ex juventute tua communis illa ſeculi labes et corruptela ad ſe traxerat. Nihil unquam ineptiis, nihil voluptatibus, nihil deſidiæ datum. Quippe ita in negotiis verſandum decreveras, ut otio dignitatem comparares; ita otio fruendum, ut aliquid ſemper inde ad publicam utilitatem ederes.

Atque hæc quidem famæ et honori tuo inſerviebant, ingenium, eloquentia, eruditæ antiquitatis cognitio, bonæ artes et literarum lumen. Majus autem illud fuit quod domi elucebat, ſumma vitæ innocentia et morum ſanctitas. Vale, VIR ORNATISSIME, diu Oxonienſibus tuis et decori ſis et exemplo.

Dabam Oxonii e Collegio Orielenſi,
quinto non. Maii. MDCCCXIII.

LECTORI S.

ILLORUM gratia, quibus Academiæ noſtræ inſtituta ſunt minus cognita, non abs re forſan erit breviter præfari, ita olim a Poeticæ Lecturæ Fundatore proviſum eſſe, primum, ut ſingulis terminis prælectiones ſingulæ coram Univerſitate haberentur ; tum, ut ne cui ultra decennium hoc munere fungi liceret. Hinc igitur evenit, ut quid prius dictum eſſet ſæpius auditores admonendos duxerim, ne forte operis ratio, non niſi longis temporum intervallis continuati, memoria aliquando excideret. Quas quidem loquendi formulas, quum in lucem opus proferendum erat, ita nonnunquam oratione implicitas videbam, ut penitus evelli ſine rei diſpendio vix poſſent. Alterum vero eſt, eadem ſane ex cauſa profectum, quod, ineunte decennio, quantum ſpatii ſingulis argumenti partibus deberetur minus recte æſtimaverim. Unde factum eſt, ut in tertia parte præſertim exſequenda, anguſtiores mihi fines relictos ſenſerim, quam poſtulabat materiæ iſtius dignitas et pondus : ad quartam vero ne accedendi quidem copia daretur.

Hæc autem mihi æquum lectorem facile condonaturum putavi, ſi modo in cæteris ne officio deeſſem diligenter elaboratum eſſe cenſuerit.

PRÆLECTIONUM

ARGUMENTA.

ORATIO INAUGURALIS;

SIVE

PRÆLECTIO PRIMA. p. 1.

PRÆLECTIO SECUNDA.

De genere voluptatis quæ ex poeſi percipitur. Quibus ex facultatibus animi pendeat inquiritur. Hinc ducitur operis totius in quatuor partes diſtributio. De Imitatione, de Affectibus, de Phantaſia, de Judicio. p. 15.

PARS PRIMA SIVE DE IMITATIONE.

PRÆLECTIO TERTIA.

Cur Ars Poetica Imitatrix *dicatur. Expenduntur opiniones Ariſtotelis, Platonis, Scaligeri. Vox* Imitatio *multiplici ſenſu accipitur.* 1mo. *Ad verborum ſonum refertur:* 2do. *Ad verſus ſtructuram et dictionis colorem.* 3tio. *Ad rerum ipſarum deſcriptionem: quæ vera eſt imitatio Poetica.* p. 28.

PRÆLECTIO QUARTA.

Rem quam imitetur ſcriptor ſua ſponte pulchram ſumat. In deſcriptionibus errant poetæ ſi nimii ſint et operoſi. Pauca potius notanda quæ rei maxime ſint propria; et quæ ſimplicem ejus imaginem menti objiciant. p. 43.

PRÆLECTIO QUINTA.

Res copioſe et particulatim enarrari interdum oportere: præſertim ſi ad magnum aliquod ſtruatur via. Voluptatem tamen inde ortam parum ex Imitatione pendere. In Externorum Imitatione (excepto Virgilio) excellere non ſummos poetas, ſed ſummis proximos. p. 59.

PRÆLECTIO SEXTA.

Picturæ plurimum debuiſſe Poeticam artem—quod in poetis recentioribus potiſſimum cernitur. Hi plerumque oculorum voluptati ſtudent. Quo in genere plus ſæpe efficitur ſingulare quiddam proferendo quam multa. Idem fere obtinet in reliquis naturæ partibus deſcribendis—ad quas fit tranſitus. p. 75.

PRÆLECTIO SEPTIMA.

Petitas ex rure imagines admodum eſſe jucundas. In hiſce tractandis poetas minores non raro excellere. Acri tamen opus eſſe obſervatione ut naturæ veritas exprimatur. Quæſtio oritur, an hanc naturæ partem neſcire liceat poetæ. Nonnulli in hoc genere perſtringuntur errores, quibus non ignoſcendum videtur. p. 90.

PRÆLECTIO OCTAVA.

De Imitatione Morum *quæſtio ad proprios fines redigitur. In communi vitæ conſuetudine referenda, quid deceat dictum, quid non, inquiritur. Tum ad mores ſingularum ætatum fit tranſitus: primo, infantium.* p. 106.

PRÆLECTIO NONA.

De Morum Imitatione reſumitur quæſtio—Scenicos præſertim ſcriptores adire oportet—De Terentio et Plauto judicium fertur. A Perſonarum *imitatione tranſitur ad* ſenſus affectuſque animi ſubtiliores, *qui pro re nata oriuntur. Eadem ferme in his tractandis adhibenda eſt cautio, quæ in* Externorum *deſcriptione.* p. 120.

PRÆLECTIO DECIMA.

Poeſeos cum Pictura in Affectibus imitandis comparatio. Affectus naſcentes, dubios, mixtos, fluctuantes nequit exprimere Pictura—Qui tamen omnes Poeſi admodum conveniunt. In his autem imitandis interdum offendunt poetæ. Dantur cautiones quædam et præcepta. Deinde ad Simplices Affectus graviores acceditur—principio Amorem. *In quo argumento tractando Apollonii, Valerii, Ovidii, Virgilii expenduntur merita.* p. 135.

PRÆLECTIO UNDECIMA.

De Affectuum graviorum imitatione continuatur quæſtio. Quæ ſunt Iræ *maxime propria, exemplis poetarum adductis, ponuntur. Iratus ultionis imagine ſe oblectat—dolorem potius ſentire vult eum cui iraſcitur, quam perire—juſtitiæ quodam ſenſu innititur—quarum rerum ſæpe oblitos ſe arguunt mali ſcriptores. Hinc liberius in quæſtionem inquiritur, quatenus deceat perſonam interiores ſuos ſenſus ipſam verbis efferre.* p. 149.

PRÆLECTIO DUODECIMA.

De Luctûs *imitatione. Signa quædam imperitis ſcriptoribus minus nota—ſtupor et ſilentium—cariſſimorum incuſatio. Abſentium quicquid* proprium *fuerit, non virtus modo, æſtimatur—Præteritos potius labores quam gaudia mortuorum reſpicere juvat, quorum ipſi participes fuerimus. Perſtringuntur vitia quædam veterum poetarum. Sermo vehementer dolentium metaphoris abundat—etiam ludentis ſpeciem aliquando præbet.* p. 164.

PARS SECUNDA DE AFFECTIBUS SIVE SYMPATHIA.

PRÆLECTIO DECIMA TERTIA.

Secunda hac parte de Affectibus *ſive* Sympathia *in tria capita diviſa, de primo capite agi cœptum eſt: nempe ut ad* Hominum *fortunas ac mores argumentum carminis per-*

tineat. Quæ ſunt infra hominis *naturam, aut ſupra naturam, aut omnino prodigioſa, minus movent. Cavendum eſt porro, ne res nimis aut regione aut temporibus diſtet: neque novæ prorſus ſint aut inauditæ perſonæ; neque rurſus familiariter notæ.* p. 179.

PRÆLECTIO DECIMA QUARTA.

Perſonas conditione vitæ honeſtiori eſſe oportet—neque ſumma virtute neque fœdiſſima improbitate inſignes—De hac tota re optimum videtur eſſe Ariſtotelis judicium. p. 189.

PRÆLECTIO DECIMA QUINTA.

Sympathia maxime ex luctuoſis rebus oritur. Videndum igitur quibus rebus miſericordia potiſſimum moveatur. 1mo. *Si* credibilia *ſint quæ narrantur.* 2do. *Si* coram agi *videantur. Hinc perſonæ et loci ſuis* Adjunctis *accurate deſignandi.* p. 201.

PRÆLECTIO DECIMA SEXTA.

Affectus adverſæ res movent magis, ſi proſperis ſint finitimæ *—ſi* ſera nimis *adveniant bona—ſi* ad noſmet ipſos pertinere *videantur. Vitandum eſt ornatum orationis genus, aut tumidum, aut nimis ingenioſum. Hujuſmodi vitia quædam perſtringuntur in Statio, Silio, Seneca et Lucano.* p. 211.

PRÆLECTIO DECIMA SEPTIMA.

Notantur vitia Scriptorum quæ Affectus impedire ſolent; viz. 1mo. *Virtutis ſpecies fide omni major.* 2do. *Nuda nimis et ſordida miſeriæ deſcriptio.* 3tio. *Fœdum admodum aut atrox aut deforme ſpectaculum.* 4to. *Dolentis improbitas,—aut impietas.* p. 225.

PRÆLECTIO DECIMA OCTAVA.

De Furore. *Magis ad Phantaſiam quam ad Affectus pertinet. Inſani ipſius vix nos miſeret, niſi aut angore animi crucietur—aut mox eum ſui compotem fore ſuſpicemur —aut præteritæ calamitatis ſenſu manifeſto impellatur. Quæ omnia poetarum, præſertim Virgilii, auctoritate comprobantur.* p. 237.

PRÆLECTIO UNDEVICESIMA.

In commovendis Affectibus vitandæ ſunt Sententiæ graves nimis et ſubtiles et ſuperbæ. Etiam argumentari accurate parum convenit. Enthymematis tali in re parce utendum. p. 248.

PRÆLECTIO VICESIMA.

Rem Unam *et* Simplicem *proponat ſcriptor; quæ ut cæteros Affectus ita Miſericordiam magis movet quam rerum multitudo.* p. 259.

PRÆLECTIO VICESIMA PRIMA.

Sententiis *probis piiſque moventur admodum Affectus: reſpuunt contrarias. Maxime autem Sententiarum vis augetur ſi juſtum in poemate locum habeant, et argumento inſerviant. Hac prælectione agitur de Sententiis ad Deum pertinentibus.* p. 267.

PRÆLECTIO VICESIMA SECUNDA.

Sententiæ *definitiones variæ. Ad duo omnino genera videntur referendæ. Primi generis ſunt eæ quæ ſola* veritate *valent: ut de humanarum rerum vanitate—de mediocritate fortunæ—de privati otii commodis.* p. 280.

PRÆLECTIO VICESIMA TERTIA.

De Sententiis mixti generis agitur, quarum vis in veritate *poſita eſt. Frigidiores hæ fiunt, ſi eas Poeta ipſe efferat.* Perſonæ *potius alicui tribuantur. Præcipue autem eſt videndum, ut perſonam deceant, et fabulæ argumento conveniant.* p. 292.

PRÆLECTIO VICESIMA QUARTA.

De Sententiis ſublime *aliquod ac* generoſum *ſpirantibus. Viz. De gloria, de immortalitate, de gravioribus vitæ officiis. Harum augetur vis ſi a perſonis inter agendum proferantur. Tranſitur inde ad* mollius benigniuſque *ſententiarum genus. Valent hæ omnes in poemate, prout juſtæ fuerint et probabiles.* p. 304.

PRÆLECTIO VICESIMA QUINTA.

Sententiarum *vis augetur dicentis* moribus, i. e. *ſi ab eo dicantur, quem prius noverint lectores aut etiam diligant et admirentur. Tum, ſi commotæ mentis indicia præ ſe ferant. Sententiis rurſus optime* declarantur Mores: *præſertim ubi ſunt ſubtilius inter ſe diſtinguendi. Præcipue autem in Affectibus movendis valent, ſi* a conſuetis dicentis moribus aliquantum abhorreant. p. 315.

PRÆLECTIO VICESIMA SEXTA.

Vitandæ ſunt Sententiæ *pravæ et odioſæ—aut ſi quæ ſint ejus generis a* Perſonis *dictæ, extenuentur quantum poteſt, et colorem quendam virtutis induant. Quas vero* ex ſe *loquitur poeta, ſemper ſint eæ probæ et honeſtæ. Cavendum tamen eſt, ne modum exſuperent—neve ſint obſcuræ—aut acutæ nimis. Hinc de* proverbii *et* parabolæ *forma pauca dicendi occaſio datur.* p. 328.

PRÆLECTIO VICESIMA SEPTIMA.

De Epitaphiis. *Cavendum ne in rebus narrandis longiora ſint. Ad tria plerumque capita referuntur.* 1. *Mortuorum mores referuntur.* 2. *Viventium exprimuntur Affectus.* 3. *Sententia aliqua pulchra aut gravis proponitur.* p. 340.

PARS TERTIA SIVE DE PHANTASIA.

PRÆLECTIO VICESIMA OCTAVA.

Repetitur ex ſecunda prælectione rudis quædam Phantaſiæ *deſcriptio. Nova ſcilicet, longinqua, inſolita, mirabilia, et veris præſtantiora affectat. Ex hac materia, primo ſumitur quicquid ad* Cœleſtium *naturam pertinet. In hiſce referendis fugienda eſt* nimia partium diſtinctio, *niſi inter* minorum gentium Deos *verſetur ſcriptor. Admirabilis*

in hac re Virgilii prudentia. Eadem fere Homero laus debetur. Plurimum ſæpe valet unum *quoddam rei* adjunctum *aperte monſtrare. Sed formis potiſſimum obſcurioribus commovetur lectoris mens.* p. 356.

PRÆLECTIO VICESIMA NONA.

De Perſonis Allegoricis. *Quare fuſius hæ deſcribendæ ſunt quam Cœleſtium effigies, exponitur. Raro tamen ſunt adhibendæ—et niſi rem aliquam apertiorem reddant omnino reſpuendæ. Puerilis eſt error quorundam omnia ad oculos referre. Claudiani præcipue in hoc genere expenduntur merita.* p. 370.

PRÆLECTIO TRICESIMA.

De Allegoria *quæ non ad oculos ſolum refertur. Modica eſt ejus vis in poemate—præſertim ſi longior fiat. Ex rei ſignificatæ pondere tota pendet: quam aut perſpicuam magis aut efficaciorem debet reddere. De utriuſque generis* ſtructura *præcepta quædam dantur. Vitia notantur. Criticæ quædam diluuntur objectiones.* p. 382.

PRÆLECTIO TRICESIMA PRIMA.

De monſtris *et* prodigiis. *Sunt hæc quidem Allegoriis præſtantiora. Nimii ſunt in hiſce referendis rudioris ævi poetæ: qui porro miracula ſua ad* oculos *unice componunt. At per cæteros ſenſus, auditum, tactum, olfactum etiam, Phantaſia eſt ſolicitanda. Silentium, religioſi metus, et quicquid animo tacitum horrorem parit, ad eoſdem uſus ſunt idonea.* p. 396.

PRÆLECTIO TRICESIMA SECUNDA.

De Fabulis Mythologicis. *Non ex* novitate *ſed ex* conſuetudine *vim habent. Quo autem notiores, eo potentiores. Magna eſt mera* nominum *virtus, ſi cum hiſtoria aliqua ſint conjuncta. Quare fabulas uſu receptas, præſertim vetuſtæ religionis reliquias, ſedulo addiſcat Poeta. In omni ferme poematum genere, et in omni ætate,* Mythologiæ antiquæ *eſt locus.* p. 410.

PRÆLECTIO VICESIMA TERTIA.

De Antiquitate. *Plurimum delectatur Phantaſia omni vetuſtatis imagine. Delectatur item* Futuri *adumbratione. Hinc* vaticiniorum *in poemate uſus—quorum quidem maxima eſt vis, ſi exitu confirmata videantur—ſin autem cum hiſtoria pugnent, vana ſunt et effectu carent.* p. 426.

PRÆLECTIO TRICESIMA QUARTA.

In Phantaſiæ naturam accuratius inquiritur. Pro diverſis hominum ſtudiis ac moribus, pro cœli, et regionis varietate, alia plane res videri poſſit. At facultatis *eadem ferme eſt ratio, licet* objecta *ejus ſint aliis alia. Rerum* facie *ac* colore *ducitur magis quam vera earum natura. Hinc cogitationum* ordo *laxior, quippe qui* accidentibus *magis nectit res quam* eſſentiis. *Errant tamen qui nullis eam coerceri legibus volunt—præſertim Aſiatici. Horum duplex eſt error.* 1°. *Quod Phantaſiæ plus æquo conſulunt.* 2°. *Quod imagines jucundas nullo nexu ad libitum contrahunt. Culpa hac non omnino vacat Pindarus. Virgilii maxima in his cernitur et vis et prudentia.* p. 437.

PRÆLECTIO TRICESIMA QUINTA.

Paucis de cogitationum ordine *præmiſſis, deinde de* Styli *ornamentis agitur ad Phantaſiam excitandam idoneis. Ex quibus præ cæteris ſumuntur quatuor,* Hyperbole, Similitudo, Metaphora, Epithetum. *De unoquoque traduntur quædam et cautiones et præcepta.* p. 449.

ORATIO INAUGURALIS;

SIVE

PRÆLECTIO PRIMA.

SI cui veſtrûm, Academici, in mentem venit, me ad hunc honorem appetendum inconſultius paulo et quaſi juvenili quodam ardore fuiſſe incitatum, et captum rei amplitudine majora affectaſſe quam aut ingenium aut ætas mea ferret, ejus ſane ſententiam neque iniquam eſſe queror, neque a mea ipſius ſententia omnino alienam. Sin autem ad hoc munus obeundum me ſecuro nimis et levi animo acceſſiſſe arbitratur, atque eum me eſſe judicat, qui, modo dignitatem arripiam, quid tanto dehinc muneri, quid vobis qui id mihi detuliſtis, quid mihi deniqne ipſi debeam, in poſterum obliviſci poſſim, is profecto neque ſui ingenii naturam liberalem eſſe indicat, et prorſus ignorat meum. Etenim ex quo die veſtram erga me voluntatem ſatis exploratam habui, nulla me unquam cura acrior aut conſtantior ſollicitavit, quam uti veſtra demum benevolentia aliquid non indignum proferrem; ne tanto honeſtiſſimi graviſſimique ordinis beneficio gratias ſolum rependiſſe viderer (quas quidem maximas habeo et habebo ſempiternas),

ſed ut verum aliquem laboris ac diligentiæ fructum in commune ederem; qui, ſi minus exquiſito ſummorum judicum palato placere poſſet, at pabulum tamen non injucundum neque inutile ſufficeret juventuti, et me vobis commendaret tanquam induſtrium, vigilantem, officii mei memorem et favoris veſtri.

Quare, in hoc negotio temeritatis culpam non adeo invitus ſuſtinere patiar. Patiar (quod per ſe grave eſt et moleſtum) tardum etiam, ſi vobis ita viſum fuerit, atque ineptum exiſtimari. At quo modo eum affici oporteat, quem vos ſuffragiis dignati eſtis, neſcire; aut quid veſtrum fuerit de ſe judicium pro nihilo habere; hoc fatui omnino ac plane improbi eſſe judico, neque hujuſmodi crimen ullo modo in me ſuſcipiam. Neque tamen id ſevere nimis eſt objiciendum, ſi plus fortaſſe dederim cupiditati gloriæ quam prudentiæ. Profecto multa ſunt quæ hominem, præſertim non ætate provectum, in petendis honoribus ſi audacior paulo fuerit, excuſare poſſunt. Amicorum concurſus, ſtudia, officia, concertationes, ſuffragatorum favor, etiam alienorum ſpes et gratia, tum inſitus ille animis noſtris ardor, quo trahimur ad captandam admirationem hominum, atque ad honeſta quantumvis difficilia urgemur—hæc omnia totam mentem occupant dum in curſu verſamur, atque a nuda rei veritate avertunt aciem. Scopulorum prærupta aſcendimus certatim; at quum ſemel evaditur ad faſtigium, quam pavida eſt atque exterrita reſpicienti mens!

Atqui ne vano prorſus metu correptus videar, quod tantopere in his immorer, aut male de vobis judicaſſe, quaſi de indulgentia veſtra atque humanitate deſperem, non pauca ſunt, Academici, quæ cuipiam

hanc rem ingredienti, utcunque in cæteris bene fidenti ſuarum virium ſuſpicionem moveant. Nam ut illud jam prætermittam, quod in cœtu neque agreſtium neque adoleſcentium, ſed doctorum et graviſſimorum hominum, de omni re Poetica diſputare, vulgaris non eſt res facultatis aut mediocris doctrinæ, verum ut hæc in præſens taceam, duo ſunt quæ me novum opus contemplantem præcipue ſolicitum habuerunt. Unum, quod in materia tam grandi tam pene infinita tractanda, ea mihi conſtituta eſt lex, ut unius fere aut duarum ad plurimum linguarum concludar terminis: quoniam iſta jam olim a majoribus recepta eſt conſuetudo, ut quicquid intra hæc noſtra ſcholarum ſpatia in medium proferatur, niſi acceſſerit Latini ſermonis gratia, id omne quaſi rude quiddam atque abſonum aures feriat; neque ullius unquam linguæ præterquam Græcæ admixtionem vel leviſſimam patiatur.

Itaque habendus eſt hic honos antiquitati: priſtinæ ac jam inveteratæ conſuetudini mos eſt gerendus: Quanquam in principiis Poeticæ Artis evolvendis, ſicut aliarum artium, illud imprimis utile eſſe videtur, ut exemplis quam maxime familiaribus utamur; ne exemplis intelligendis occupatam mentem præcepta ipſa aliquando fugiant. Quod, uti cæteris, ſic mihi præcipue optandum foret. Quoniam hoc ipſe mecum ſemper ſtatueram, ut qui de re Poetica præcepta traderet decerptis modo locis ex Poetis illuſtrioribus quæ aut ſublimia, aut venuſta, aut aliquam ob cauſam admiranda viderentur, neque ex ipſa mentis humanæ natura depromeret argumenta, et ſubtiles illas cogitationum noſtrarum atque affectuum ra-

tiones inveſtigaret, is profecto frigidam aliquam contexeret cantilenam, vix pueris nedum vobis audiendam. Quare, ut non modo quid in quoque genere pulchrum ſit aut excellens, commonſtremus, ſed ut doceamus item quibus modis hæc aut illa efficiantur, cur miremur, moveamur, mulceamur, delectemur, quid ſit ſecretæ in ſonis atque imaginibus poteſtatis ut placidos reddant, ut attentos, ut molles, ut magnanimos, ut miſericordes, ut ultra hanc ſterilem humanæ vitæ ſortem ad altiores quoſdam et diviniores ſenſus nos rapiant, id vero non eſt vel leviter attingendum, niſi quis prius affectuum noſtrorum genera, cauſas, nexus, varietates diligenter perpenderit, niſi intellexerit quænam inter res et verba ſit cognatio, qualis ſit univerſi ſermonis ratio ac natura, et quid ſit in linguæ ſtructura aut verborum ordine, quod affectibus reſpondeat iiſque exprimendis ſit idoneum. Atqui in hoc ſubtili genere diſputandi, mirum eſt quantum conferant exempla in communi uſu poſita, cum ad illuſtrandam tum etiam multo magis ad confirmandam præceptorum vim. Neque enim pleriſque noſtrum contigit, ut vetuſtiorum linguarum voces celeri iſto ac repentino motu percipiat animorum ſenſus, quo in hoc noſtro uſu quotidiano omnia ſimul ac dicta arripere, aut etiam vix dicta præcipere ſolemus. Quinetiam in verborum vi ac ſpiritu judicando, alia fere eſt veterum alia recentiorum norma: et quanquam in his multum certe valet ſtudium ac diuturna diſciplina, tamen ipſa res indicat ut ſit difficilius inter ſingula antiquiorum vocabula dignoſcere, quid ſit grave, quid decens, quid inſuetum, quid frigidum, quid

humile ac vulgare, qualis denique ſit totus orationis habitus aut dictionis color, quam ſi de hodiernæ linguæ ſcriptis judicium ferremus.

De his autem poſthac curæ erit accuratius diſputare. Hoc modo in præſens animadverſum velim, ut quoniam tantopere ex verborum delectu ac junctura conſtet vis Poetica, ne qua cura juniores aut ſtudio ſuperſedendum duxerint, quo ad intimam utriuſque linguæ cognitionem perveniant, atque eam ſibi comparent in utraque facultatem, ut tenues illos ſenſus confeſtim arripere, et molliores orationis flexus habili atque expedita mente perſequi poſſint.

Jam vero, quod ad alteram ſolicitudinis noſtræ cauſam attinet, vix mihi perſuadere poſſum quin et vos quid velim quamvis taciti percipiatis; et mecum una (quoniam aliqua pars etiam dignitatis veſtræ mihi in manus permiſſa eſt) nonnihil ipſi metuatis ut huic tanto muneri reſpondeam, utque Academiæ noſtræ ab hoc ipſo fonte deductam poſſim tueri gloriam.

Nam ſi ad hoc publice in Poetica legendi munus ipſe primus acceſſiſſem, eſſet illud profecto non mediocris laboris opus; attamen novæ rei faviſſent homines; ante pedes tota jacuiſſet materies larga atque intacta; tum (quod præcipuum eſt) neminem in eodem curriculo priorem habuiſſem, quem unice eſſet laborandum ut æquarem, et ne omnino aſſequi poſſem imprimis metuendum. Jam vero, niſi id magis veſtræ felicitatis eſſe judicem quam infortunii mei, ea mihi materies tractanda eſt, quam præſtantiſſimi viri ſumma ingenii laude florentes agitatam, excuſſam, pene exhauſtam reliquerunt. Ii fuerunt ante me ab his ſtudiis ampliſſimo nomine inſigniti, quo-

rum famam adeo non abolevit ætas, ut major indies atque illuſtrior enitere videatur.

Namque ut reliquos omnes prætéream quorum opera nunquam publici fuerunt juris, atque ut ordiar de illo dicere, qui cæteros ætatis ordine anteceſſit, nemini veſtrûm ignotum eſſe arbitror, quanta olim celebritate ac frequentia ille [a] primus in hac noſtra Academia prælectiones habuit de omni genere Poeticæ: quanto autem humaniorum literarum incremento, ipſius ſcripta jam in manibus omnium trita ac pervulgata ſatis teſtantur. Eſt ille quidem ſtylo lucidus et æquabilis, rei magis intentus quam aurium voluptati. Quæ præcipue in hac arte notanda aut præceptis tradenda viderentur, ita brevi complexus eſt, atque exemplorum copia illuſtravit, ut apprime ſit utilis cum ad acuenda adoleſcentium ingenia tum ad memoriam confirmandam. Quod ſi eſt paulo durior aliquando, ſi frigidas nonnunquam ineptias captet, ſi interdum vel parum latine loqui, aut etiam aliquid ſcholaſticæ vetuſtatis ſapere videatur, at non id graviter reprehendendum, quoniam in eodem cum admirabilis animi candor eluceat, tum etiam doctrina non vulgaris: cumque præterea tam acri judicio veterum poetarum ingenia perpenderit, ut quid maxime ſit cujuſque proprium feliciter expoſuerit; atque interiores rerum cauſas non raro patefecerit, cur hæc quam illa delectent magis, et cur ali-

[a] Joſephus Trapp, Prælector Poeticæ primus, electus A. D. 1708. Quem in eodem munere obeundo secuti ſunt, Thomas Warton, 1718. Joſephus Spence, 1728. Johannes Whitfeld, 1738. Robertus Lowth, 1741. Gulielmus Hawkins, 1751. Thomas Warton, 1761. Benjamin Wheeler, 1766. Johannes Randolph, 1776. Robertus Holmes, 1783. Jacobus Hurdis, 1793. Edvardus Copleſton, 1802.

qua adeo a ſenſuum judicio remota, ut vix verbis aſſequenda videantur, magnam nihilo minus in affectibus commovendis aut leniendis vim habeant.

Quæcunque in principio operis ſui ſtatuit de univerſa re Poetica, plurima item quæ in diverſis ejus partibus perſequitur et vera eſſe cenſeo et ſcite diſputata: certe hanc ſibi quaſi propriam laudem vindicat, quod exemplis utitur per ſe eximiis, et quæ unice propoſito ſuo lumen præbeant. Virgilium forſan ſtudioſe nimis ſectatur ducem: huic ſe addicit: hunc obſervat, ſpectat, amat, admiratur; fere ut nihil pro rato habeat, niſi id ab eo uſurpatum videat. Quod ni eſſet factum de Poeta longe omnium præſtantiſſimo, valde culpandum foret. Neque id ipſum omnino culpa vacat: quoniam præcepta artis ex arte ipſa ducere, quid aliud profecto eſt, niſi idem per idem probare?

Hunc non ita longo temporis intervallo conſecutus eſt, quem ſuæ ætatis omnes omni literarum laude facile præſtitiſſe accepimus; cujus opera eſt effectum, ut Poeſis Hebræorum, magnifica illa quidem ac præ cæteris divino afflatu digna, jam non vetuſtæ linguæ obſoleſcat tenebris, ſed in lucem prodeat juſto apparatu cincta atque auctoritate ſua. Ineptus forſan videar, ſi in re nota ac pervulgata diutius vos retinere velim: verum hanc a vobis peto veniam, ut quid de optimo doctiſſimoque homine ſentiam, paucis dicentem audiatis, præſertim cum ad ſummam argumenti mei nonnihil facit.

Atque illud quidem non exiguæ res eſt laudis, quod ad opus aggrediendum ſimplici caſtoque animo acceſſit. Utcunque in Dei oraculis pertractandis aliquid licentiæ ineſſe videatur, nihil in hunc iſtiuſmodi

culpæ cadit. Ubique ſanctus eſt, ſincerus, verecundus, pius. Neque arte critica abutitur ad imminuendam Sacræ Scripturæ auctoritatem, neque ita religioni eſt deditus, ut liberum mentis ſuæ judicium vereatur ferre.

Tum quod ad formam operis atque orationis ſtylum pertinet, nihil unquam fuit in hoc genere perfectius. Conceptus animi cum grandes illos ac ſublimes, quibus præcipue ſeſe efferunt vates Hebraici, et repentinos commotæ mentis impetus, tum etiam molliores hoſce ac verſatiles cogitationum flexus mira arte indagavit, atque ad intimos ſenſus et præcordia patefecit aditum. In hac autem tanta rerum varietate ſtylo utitur perſpicuo, pleno, rotundo, ornato, ad id quodcunque agitur imprimis accommodato. In præceptis tradendis, eſt aliquando verbis ita aptus et preſſus, ut in id ſolum incumbere videatur, ne quidquam afferat præter rei neceſſitatem. Si quando largius effunditur, et paulo uberiore filo orationem trahit, nihil eſt in illa ſententiarum ac verborum ubertate quod depaſtum velles. Solidam profecto illam, ſi quis alius, atque auſteram præ ſe fert ſuavitatem, quæ dum menti unice inſervire videatur, dominetur auribus. Ita in immenſo artis ſuæ campo verſatur, ut nuſquam temere vagetur, floſculos neſcio quos vana et puerili ambitione colligens; ita graviſſimis reconditiſque rebus offundit gratiam, ut profluens quiddam ſemper habeat et canorum.

Jam vero, licet unius gentis poeſim, eandemque nec largam nec multiplicem ſibi aſſumpſerit materiem, at quam feliciter inde in aperta univerſæ artis ſpatia prorumpat, quanta vi ac ſubtilitate differendi omnes ejus penitus excuſſerit veneres, et fontes quaſi

ac capita rerum aperuerit, vos optime noviſtis, Academici, qui ornatiſſimi viri ingenium, qui copiam, qui incorruptam Latini ſermonis integritatem, ſummo diu in honore et deliciis habuiſtis. Vos itidem non latere poteſt, quam difficilis ſit res ei ſuſcipienda, qui in iiſdem jam verſatur finibus; ne ſi optima quæque inſectetur, jampridem dicta proferat; aut nova ſi quærat, veritatem ipſam reperiatur poſthabuiſſe novitati.

Quamobrem, illud mihi concedendum ſperavi, ſi in iiſdem locis exagitandis perſæpe me exerceam: hoc tamen diſcrimine ubique ſervato; ut quum ille a peculiari ſcriptorum genere in univerſam artis rationem ſubinde excurrat, veluti qui proprios argumenti fines pauliſper egrediatur, mox eodem ex itinere reverſurus; meum contra erit in univerſo genere fixum primo pedem habere, unde ad ſingulos ſcriptores, et diverſas poematum formas, prout res poſtulabit, argumenti confirmandi cauſa, deveniendum erit.

Nam ut in omni re quæ via et arte tradi profitetur, ea prius ſunt ſpectanda, quæ ad rei ipſius naturam, de qua agitur, illuſtrandam ſint neceſſaria; et ſicut in pictura totam quaſi formam imprimis adumbrari videmus, deinde acceditur ad cætera, vultum, oculos, crines, lacertos, mox in veſtitu etiam et toto operis habitu ac colore eſt elaborandum, eodem modo de Poetica ſtatuendum duxi; ut poſitis iis, quæ juſtam aliquam artis imaginem exhibere poſſint, et deſcriptis quaſi rudibus membrorum lineamentis, ita demum ad exquiſitiora illa progrediar, quæ ſuam habent proculdubio gratiam ac venuſtatem, at niſi his prius jactis fundamentis, nec per ſe ipſæ delectare, neque omnino ſtare poterunt.

Quod vero apud pleroſque in hac operis parte uſu receptum video, ut Artis ſuæ brevem quandam concinnarent definitionem, id vos a me prætermiſſum eo minus gravaturos exiſtimo, quia nemini adeo ignota eſſe poteſt, quin aliquam ejus imaginem jamdiu mente conceperit, ſi non juſtam omnino et ipſi rei quam concipit adæquatam, at quæ huic noſtræ ſaltem ſufficiat diſciplinæ, et quæ jejuna in genus ac ſpeciem diviſione vix emendari poſſet. Equidem ut dicam vere quod ſentio, Academici, non eſt hæc quæſtio ſimilis quæſtionum illarum, quas olim in ſcholis audivimus magno ſane cum ſtrepitu et ſubtili vocularum explicatione diſceptari ſolitas. Alia prorſus nobis ratione utendum eſt, longe alia inſtituenda eſt diſciplinæ norma. Nam ſint licet iſta, ſicuti fuerunt, acutorum hominum et non indoctorum commenta, quibus ſe ſeptos undique tenerent, et e quibus quaſi e tuto impetum nonnunquam in imperitos facerent; tamen id non nunc agitur, quibus potiſſimum telis tanquam cum hoſte ſit dimicandum, ſed quo modo ars illa omnium quæcunque ſunt clariſſima ac jucundiſſima in humanos uſus optime excolatur. Res eſt profecto non in verbi controverſia poſita, ſed præ aliis libera et quæ his exilibus Dialecticæ laqueis expediatur omnino digna, quænam ſcilicet ſit iſta vis ac facultas, et quali ſit auxilio fulta, quæ ita peragrat per ſenſus hominum et languentes poteſt excitare, ut ficta pro veris exiſtiment, aut tanquam vera omni animorum motu proſequantur—ut eorum quæ narrantur ipſi participes fiant, ut ſperent, ament, metuant, iraſcantur, gaudeant; quæ denique veris ipſis decus quoddam poteſt et dignitatem addere, quod nimium eſt amputando, fœda et turpia rejiciendo, et quicquid

ſpecioſum inſit ac decens in lucem proferendo; quo tandem fit, ut veritas ipſa eniteat novo ornatu compta, atque ante oculos naſcatur non tritus ille atque in communi vitæ conſuetudine devorandus, ſed major pulchriorque rerum ordo, et aurea quædam ſeculi felicioris ſomnia.

Hanc vim ſi quis brevi illa, quam dicunt, definitione exprimi poſſe exiſtimat, is enimvero Dialecticæ artificiis plus æquo tribuere videtur; et, mea quidem ſententia, quantum huic arti tribuit, tantum demere de Poetica.

Ut igitur hæc jam miſſa faciam, pauca tamen de Poeticæ Fine atque Utilitate dicenda duxi; non quo ea tanquam hactenus ignota vobis ipſe exponam, ſed quia nonnihil in hac re a doctiſſimis viris, atque ab ipſo Hebraicæ poeſeos interprete erratum fuiſſe arbitror. Nam quod eam aliquantum opinionem improbat, quæ unicum Poetis proponit finem, ut delectent, ſtatuitque idem prodeſſe magis quam delectare verum Poeticæ finem eſſe judicandum, videtur ſane, homo omnium æqui honeſtique amantiſſimus, motus verbi auctoritate rem ipſam interea de qua agebatur, minus acri judicio perpendiſſe.

Quod ſi quæreretur, ſitne hæc ars utilis an non, profecto haud multis foret reſpondendum. Quoniam ſi res aliter ſe habuiſſet, neque Poetica ipſa Viri Illius Ornatiſſimi[a] beneficio his unquam in domiciliis obtinuiſſet ſedem, neque vos (quod quidem facitis atque optimo conſilio ſemper feciſtis) eam omni ſtudio in adoleſcentibus alendam atque excitandam ducere-

[a] Inſtituta eſt Lectio Poetica ab Henrico Birkhead L. L. D. Coll. Omn. Anim. olim Socio.

tis, neque me denique ipſum, ſat ſcio, de re vana ac frugis omnino experti hodie dicentem ſuſtineretis. Hoc autem neutiquam in quæſtionem cadit. Quippe omnium hæc eſt laus artium, ut hominum utilitatibus inſerviant; et licet iſta ratione dicamus, nauticæ artis finem eſſe prodeſſe navigando, architecturæ ædificando, et ſic de cæteris; donec in hac tanta ſtudiorum varietate finem omnium eundem eſſe ſtatuerimus. Atqui non nobis inquirendum eſt, quid omnibus ſit commune, ſed quid cuique proprium: neque in iſta ſane verſamur quæſtione, ut quod Græci vocant τέλος τελειότατον cujuſque rei inſpiciamus, aut, ut Dialecticorum verbis utar, quid ſit illud "Summum genus" cui cætera ſubjiciuntur, ſed quinam ſint huic arti quam tractamus conſtituti termini, et quam metam ob oculos ponentes ſtadium inire oporteat.

Sit ergo hic unicus Poeticæ propoſitus finis, "ut "mentem ſenſuſque hominum delectet." Quod ſi cui videatur eam ſic anguſto nimis limite circumſcribi, et nonnihil etiam de dignitate artis diminutum iri, nobis curæ erit, quando iterum coram vobis orationem habituri ſimus, pro facultate noſtra, ac pro diligentia quam in his ſtudiis unice poſuimus, commonſtrare, qualis ſit iſta (voluptatem dicam an potius voluptatum omnium dominam atque reginam?) quibus conſtet elementis, quali quantoque apparatu ſit comparanda, quam intimas ſæpe animorum pertentet latebras, quam improborum hominum et vulgi omnino captum ſuperet, quam denique ut integra ea ſinceraque fruamur, mente opus ſit pura, exculta, caſtigata.

Hæc ego ſi, quantum ipſe ſentio cogitoque, vobis

item potero manifeſta reddere, non erit mihi verendum, ne utilitatem a me neglectam eſſe queramini. Illud certe in hanc partem profiteri auſim, quantum ex uſu noſtro in hac Academia colligere licet, ubi ingenuarum artium ſtudia jamdiu tanquam in propria ſede viguerunt, atque etiamnum vigent, ea in moribus juvenum informandis quam plurimum valuiſſe; ſi quidem id plurimi habendum eſt, quod nihil humile, nihil ſordidum, nihil non virile ac generoſum in ſe recipiant. Sint modo eorum memores quæ in noſtris veterumque libris uſque ad faſtidium decantata noverint, ut famam appetant non levem illam et popularem, ſed ſolidam ac perennem, quam non niſi longo labore conatibuſque maximis aut quenquam antehac attigiſſe conſtat, aut in poſterum conſecuturum eſſe.

Et ſi qui fuerint, (quales in hac ingenuorum juvenum frequentia fuiſſe ſemper, et nunc eſſe novi) quibus inſita ſit illa vis atque ætherius vigor, quo nihil unquam optabilius aut præſtantius homini divinitus eſt delatum, iſti ſe tandem admonitos eſſe ſinant, ne ſacram illam reſtinguant flammam; ne pravis devincti voluptatibus ignobili ſervitio ſe premi patiantur. Quippe ita demum cum hoc munere præclare actum fore exiſtimavi, ſi poſſim aliquando languentes, ut fit, adoleſcentium animos excitare, ſi errantes revocare, ſi in pulchri honeſtique ſtudio retinere, ſi denique efficiam, ut iis ſe dedant diſciplinis, unde magna rerum copia ac varietate pectus implere poſſint: ne quando ars illa ſua nuda atque inermis reperiatur, verum ut his ſaltem e ſedibus lauta, magnifica, omni ſcientiæ ac literarum lumine inſtructa prodeat.

Vos igitur, doctiſſimi ac venerabiles viri, qui hoc munus a me ſuſceptum voluiſtis, rogo atque oro, ut me huic conſilio intentum ſuſtentetis, ut labantem reficiatis, ut pavidum atque hæſitantem vultu, favore, frequentia veſtra confirmetis: Ne ſi quando ſubſellia iſta vacua ac deſerta eſſe conſpexero, neque a deformi ſolitudine vindicari poſſe, etiam hanc ſedem quam veſtræ benevolentiæ unice acceptam refero, invitis et repugnantibus vobis retinere videar.

PRÆLECTIO SECUNDA.

De genere voluptatis quæ ex poeſi percipitur. Quibus ex facultatibus animi pendeat inquiritur. Hinc ducitur operis totius in quatuor partes diſtributio. De Imitatione, de Affectibus, de Phantaſia, de Judicio.

QUUM in priore coram vobis quam habui Prælectione, Academici, unicum Poeticæ arti finem eſſe ſtatuiſſem ut delectet, nonnullus me invaſit metus, ne rem gravem et eximiam leviori quam par eſſet impoſuiſſe fundamento, atque ab auctoritate ſummorum virorum diſceſſiſſe temere viderer. Quippe in omni re movet nos quodammodo ipſa nominum auctoritas; neque id imperitos ſolum attingit, verum etiam doctis et prudentibus non minimi eſt laboris mentem a conſuetudine aurium abducere: et quoniam ita fere accidit in vitæ commercio ut quæ delectationi inſerviant, ea plerumque leve quiddam habeant et vulgare, nonnunquam autem prava atque inhoneſta reperiantur, idcirco homines frugi, res ut ſibi videntur utilitate metientes, huic verbo ineptiarum notam, ac fere turpitudinis inurere ſolent.

Quod inique tamen ab iis et inſulſe factum judico. Nam quod voluptates iſtas ſpernant quæ vulgo ſunt in deliciis, qui plerumque aut fœda libidine, aut ridiculis rebus, aut denique rudi atque inculto ſenſu impelluntur, iis lubenter aſſentior: quod vero his

ſolum aut hujuſmodi rebus hominem delectari poſſe exiſtiment, aut voluptates, quibuſcunque ex fontibus oriantur, ignominiæ pariter omnes aut nugarum loco habeant, vehementer falli videntur. Neque enim jam voluptatem aliquam ex Epicuri hortis petimus, quæ mero ſenſu percipitur, ſed longe aliam ac præſtantiorem, qua ſcilicet recreatur animus, cum aliquid præclarum aut magnificum aut venuſtum intuemur, quæ naſcitur ex ipſa Pulchri effigie contemplanda, quæ affectuum non corporis motu continetur, quæ intus mente ac judicio, non ſenſuum quaſi titillatione cernitur.

Hæc vero ut exponerem quantam vim habeat in vita civili componenda et in formandis moribus, jampridem aliquantulum dedi operam, argumenta non tam e media philoſophia proferens, quam hoc ipſum ex uſu rerum atque experientia colligens. Quod equidem tunc breviter et ſtrictim percurrendum exiſtimavi, ne aliqua interea apud vos hæreat de me ſuſpicio, quaſi Poeticam artem proprio jure defraudarem, atque inter communia vitæ artificia detrudere auderem.

Jam vero, quo omnes ſi quæ fuerint prorſus diluam ſuſpiciones, atque ad argumenti ſummam aditum aperiam, accuratius inquirendum videtur, quænam ſit iſtius delectationis ratio ac natura quam unice oportet in conſpectu ponere Poetam, et ad quam veluti ad ſcopum omnia artis ſuæ tela intendere.

Ac primo quidem non unam ejus eſſe ſpeciem facile intelligitur, ſed variam et multiplicem. Nam ſi ſingula et veterum et recentiorum poemata pervolvamus, quæ aliquo in numero conſenſu omnium

habentur, quam diſſimili prorſus ratione alia ab aliis ſunt condita! Quam omnino et re et perſonis et ſententiis et fabularum contextu et dictionis colore diverſa! Quantum ejuſdem non dico Poetæ carmina, ſed ejuſdem poematis partes inter ſe diſcrepare cernimus, quæ tamen omnia ſi non pari at ſimili quadam voluptate legentis animum permulcent!

Atque, ut omittam nunc dicere de variis ſcribendi formis, quales ſunt Epica, Lyrica, Dramatica, aut de Styli varietate, de ipſa re ac materia videamus, quantum inter eas partes ſit diſcrimen, quæ ſenſibus noſtris oblectamentum pariunt. Quod ne in infinitum excurramus, Unius Homeri firmandum eſt exemplo. Quis eo verius imitatus eſt naturam? Quis omnium ordinum et ætatum melius perſpexit, et magis ad vivum expreſſit mores? Adeo ut Achillem illum et Neſtora, et Ulyſſem cæteroſque principes viros, non ut illuſtrioris ævi defunctos heroas admiremur, ſed ipſos coram adſtare et colloqui credamus? Tum in affectibus commovendis quis eo potentior magiſter? Quis intimos reconditoſque nexus pertentavit acrius, quibus ad patriam, ad parentes, amicos, conjuges, liberos obſtricti ſumus? Nemo illo varios animi fluctuantis æſtus, nemo amoris, iræ, ſpei, metus, miſericordiæ impetus felicius depinxit; aut quanta ſit ex vicibus humanis voluptas haurienda cognovit melius. Ejuſdem in regionibus, præliis, conviviis cæteriſque id genus deſcribendis, mira eſt, quam dicunt Rhetores, ἐνάργεια: tum ubicunque elucet præclara illa ubertas quæ nova atque inſolita profundit et ingenii pluſquam Prometheus ardor, quo non modo naturæ faciem pererrat, atque abdita rimatur, verum et cœlis ipſis et imis a Tartaris inſtrumentum artis pe-

tit, abſumptis quaſi et exhauſtis naturæ copiis. Quæ porro omnia tanta arte diſpoſuit, atque in unum compegit, ut nuſquam diſtrahatur mens, nuſquam langueſcat; ſed, ſive perpetuam ineamus lectionem, ſive in diverſa loca incidamus, ſemper aliquid quod miremur et a quo delectemur legentibus occurrat.

Unde non injuria factum eſt, univerſam fere hominum vocem Homero primas detuliſſe, atque ad eum reſpexiſſe omnium ætatum poſteros tanquam Poeſeos parentem, eundemque Poeticæ Artis legem ſimul et caput et exemplar. Quam quidem opinionem minime volo in controverſiam vocare. Immo quatenus affirment in hoc ineſſe exempla omnium quæ ad veram poeſim ſpectant, eorum ſententiæ non invitus accedo. Sin autem eo ipſo quod Homerum Auctorem præferunt pulchra eſſe atque imitanda cenſeant (quod cenſent fortaſſe plures quam profiteri volunt) abſiſto totus: Quin, uti ſpero, mox ſum monſtraturus, omnia hæc quæ ſupra ex divino poemate attulimus tanquam eximia artis documenta, et reliquum quicquid eſt apud Poetas melioris notæ ac coloris, ad certa quædam naturæ humanæ principia recte referri, in quibus vis omnis ac facultas Poetica fundatur.

Qua in inquiſitione duo præcipue ſunt vitanda. Namque imprimis ſi diviſio totius in partes nimium ſit multiplex, ipſa utilitas dividendi videtur tolli: et ſatius aut certe tantidem erit, omiſſa hac diſciplina qua Philoſophi utuntur, ipſas carminum venuſtates prout nobis legentibus obveniunt colligere obſervando, et ſine ordine in memoriam ad noſtros uſus transferre. Alterum autem nec minus, ut mihi videtur, vitium eſt illorum, qui una aliqua venuſtatis ſpecie deliniti eam illico ſibi delegere, et quaſi veram

atque integram artis effigiem proponunt. Hi quoniam plus fortaſſe quam populus cernunt (qui numerorum dulcedine maxima ex parte capitur) et quoniam plurima diverſorum Poetarum loca eodem artificio procedere animadverterunt, protinus ad intima penetralia ſe viam aperuiſſe autumant, atque animæ illius ſedem quæ totam molem agitabat ſibi videntur acceſſiſſe. Hoc itaque, qualecunque fuerit, tanquam univerſæ artis vim et ſpiritum vulgo circumferunt; cætera oſſium et carnis inſtar habent.

Qua culpa cum criticorum complures, præſertim recentiorum, laborare animadvertiſſem, tum apud veteres neminem ea prorſus vacare, niſi forte Horatium excipiamus, reperi. Nam aut me ſuſcepti operis amor vehementer fallit, aut neque Ariſtoteles ipſe (cujus auctoritatem in hac re ſemper graviſſimam judicavi) in celeberrimo quem ſcripſit de Poetica libro, totam ejus complexus eſt formam, quando eam ſola morum imitatione contineri ſtatuit. Neque ſane Horatio, quanquam ex ſcriptis ejus juſtior quædam atque abſolutior elicienda eſt doctrina, eſt tamen operis perfecti atque in ſuas partes diſtributi referenda laus.

Quapropter cum in hoc conſilio verſarer, ut quicquid ab his mancum eſſet relictum, quantum in me foret, abſolverem, et, ſicut aiunt, ſuis explerem numeris, principio univerſam rem in duas partes commode diviſam fore exiſtimavi: unam quæ ex *materia*, alteram quæ ex *verbis* conſtaret. Ex his autem partibus, poſterioris duplicem rurſus eſſe rationem: alteram, quæ de verborum phraſiumque vi ac natura, alteram, quæ de verſuum ſtructura et numero tractaret. Quoniam vero de utriſque eſt ſubtilior quæ-

dam doctrina, non ea ſane ex rhetorum officinis ſed penitus ex intima philoſophia haurienda, propterea totam hanc partem ſeorſum ſumendam duxi, poſtquam ſatis de priori fuerit diſputatum. Illud tantum reliquo ſermoni præmuniri velim, ut quando exemplis utar quo *materiæ* Poeticæ vim apertiorem reddam, iiſdem fortaſſe *ſtylo* et ſuavitate carminis præſtantibus, tamen id ne quis mihi incuriæ vertat, quaſi longinquas perſequar voluptatis cauſas, his quæ in promptu ſunt aut latentibus aut temere relictis. Nam licet iſtarum rerum magna ſit, ſicut eſt, in deliniendis mentibus poteſtas (ita ut quæ his foret deſtituta nulla omnino ſit poeſis) tamen in alienis perpendendis cauſis quæ paulo reconditioris ſunt doctrinæ, nihil opus eſt ut ullam harum quæ ubicunque ſe inſinuant rationem habeamus. Quemadmodum Mathematici ſolent, cum diverſæ res invicem conferuntur, quo mentis acies firmetur, e medio tollere quæcunque ſingulis ſint communia.

Jam vero, ut delectationem iſtam videamus quæ ex *materia* poeſeos efficitur, cujus natura omnis ex hominum natura eſt repetenda, quatuor omnino principia recte poni videntur, e quibus tota hæc pendeat doctrina.

Nam primo (quod pleriſque placuit) homini tributum eſt natura, ut ad imitandum ſit proclivis, atque omni rerum imitatione quodammodo delectetur. Quod adeo in pueris barbariſque gentibus animadverſum eſt, apud quos id uſu aut conſuetudine evenire nemo ſuſpicatur, ut nullus ſit dubitationi locus, quin hoc quaſi inſitum humano generi credamus. Hinc omnes picturis ſigniſque trahimur. Hinc etiam rudibus rerum formis barbari atque

agreſtes tenentur: in his hærentium ſtupentiumque blanda quadam voluptate perfunduntur animi. Neque id oculorum adeo eſt proprium: verum et aurium reliquorumque ſenſuum, quibuſcunque externa ad animum intro mittuntur, eadem eſt ratio. Unde ad morum etiam imitationem atque omnem vitæ imaginem intuendam tranſitur. Quæ ſi bene et ad rerum ipſarum fidem ſint exacta, quis negat jucunda fieri? Quem non recte morata fabula, in qua ſingulis ætatibus, perſonis, ordinibus ſuæ tribuuntur partes, ut cætera deſint quæ in poeſi quærimus, ingenium, conceptus nobiliores, fortunarum vices, tamen ſola imitationis vi capit ultro et delectat?

Quod niſi accedant alia quoque artis adjumenta, hoc tenui victu mens diu ſuſtineri nequit, et robuſtiora flagitat; nempe ut affectus moveantur, ut incendantur interdum, aut agitentur, aut extra ſe rapiantur ſenſus; quæ omnia ſi defuerint, cito languent audientium animi, et fruſtra poſcunt aliquid quod ſe alacres et erectos reddat. Quo magis miror id cuiquam in mentem veniſſe, ut ſentiret totam artem quam tractamus ex hoc fonte recte deducendam. Sed de hoc poſthac videndum erit, quando ea quæ præcipue ad hanc operis partem pertinent diligentius perſequemur. Nunc ad propoſitum redeamus.

Huic igitur proximum conſtituemus caput, quod in movendis affectibus continetur: qui locus, ex quatuor iis in quos omnis diviſa eſt materies maxime naturam attingit humanam. Cum priori certe eſt conjunctus quodammodo, neque ita tamen conjunctus ut non facillime ab illo ſeparari poſſit. Quamquam enim humanorum caſuum et affectuum imitatione noſtri acerrime commoventur affectus, taen ſuperius age-

batur tantum de arte imitationis quatenus ad veritatem vitæ accedat, nunc in rem ipſam imitandam inquiritur.

Jam, cum ita natura comparati ſumus, ut vix quidquam humani a nobis alienum eſſe putemus, tum ineſt certe aliquid in graviſſimis luctuoſiſque fortunis, quod præcipua quadam vi percellit ſenſus, et defixas tenet hominum mentes. Hoc aliis aliter evenire viſum eſt. Exiſtimaverunt nonnulli alienas calamitates et moleſtias intuendo, noſtras ſi quæ fuerint aliquantum levari; vel ſi noſmet in tuto conſiſtamus, eo ipſo voluptatem percipi non exiguam, ſecundum Lucretianum illud,

Quibus ipſe malis careas quia cernere ſuave eſt.

Quidam alia rurſus ab origine totam rem repetunt. Statuunt imprimis nihil magis ab hominis natura abhorrere quam ut ceſſatione torpeat. Hinc aliquid, aiunt, ſemper anquirimus quod irritet ſenſus, atque animo quaſi ſomnum excutiat. Hinc ad aleam et ludos advolatur; ut incertis rerum eventibus ſuſpenſus interea teneatur animus, atque alternis ſpei, metus, gaudii, mæroris fluctibus agitetur. Hinc ad incendia, cædes, carnificinas vulgo concurritur. Hinc homicidia, naufragia, everſas domos fractaſque familiarum ſpes avide auribus arripimus. Quæ tamen omnia tantum afferunt ſecum moleſtiarum, ſi quando reipſa accidant, ac vitæ ſocietatem tantopere perturbant, ut nemo ita inhumanus exſiſtat, qui hæc ad ſuam qualemcunque voluptatem efficiendam evenire cupiat. Quapropter illud inter cætera Poeticæ arti laudi ducunt, quod fabulas ad veri ſimilitudinem confictas ſenſibus ſubjiciendo, hujuſcemodi voluptatis in-

ſtrumentum ſuppeditet, ſalvo interim rerum ſtatu fortuniſque hominum illæſis.

His ego prorſus aſſentirer, niſi doctrinam anguſtiorem paulo quam pro rei natura poſuiſſent. Quippe ea lege conſtituta eſt humana mens, ut non modo doloribus fortuniſque alienis moveamur, ſed etiam conceptibus quibuſdam et ſententiis, præſertim iis quæ ad officia vitæ et ſortem humanam ſpectant, mirifice impellantur, et ſtatim auditis quaſi concentu quodam conſpirent affectus noſtri. Quare ut concedamus repentinas vices et miſerias et vehementes commotæ mentis impetus magnam in affectibus commovendis habere vim, tamen et pura quadam lenique voluptate permulcentur ſenſus, quoties aut pium aliquod aut generoſum intuemur, aut quæ his et hujuſmodi virtutibus ſint conſentanea animo cogitamus. Quemadmodum Euryalo grandævam matrem Iülo in tutelam commendante,

> Perculſa mente dederunt
> Dardanidæ lacrymas, ante omnes pulcher Iulus,
> Atque animum patriæ ſtrinxit pietatis imago.
>
> *Æn.* ix. 292.

Tertium autem delectationis fontem conſtituendum eſſe puto eam ſive affectionem aliquam ſive facultatem appellemus, qua rerum imagines et quaſi ſimulacra animo infixa retinentur; quæ ſublimibus agitatur, mulcetur venuſtis, eo ipſo quod ſublimia aut venuſta videntur, nulla interea vitæ et morum ratione habita. Totum hoc ab uſu veterum alieno forſan nomine Phantaſiam appellarem, quorum ut verum fatear, minus accurata in hoc genere videtur fuiſſe diſciplina. Neque enim me fugit Phantaſiam illam, de qua Rhetores loquuntur, minime omnia complecti quæ huic

voci ſubjicere velim. Sed in nova re ea ſemper danda eſt venia, ut nova fingantur nomina, aut vetera ſaltem ad noſtros uſus accommodentur.

Hujus autem facultatis cum ſit varia ac multiplex natura, tum haud incommode in duas partes dividi poteſt: alteram, quaſi per ſe inertem ſed imagines extrinſecus illatas avide arripientem; alteram quæ vi propria ac vigore prædita captat ſimilitudines rerum, atque his, præſertim ſi novæ aut inopinatæ occurrant, mirifice tenetur; quæ infinitæ illi imaginum ſylvæ qua repletur mens dominatur, quæ totas minutatim reſolvit formas, elementa rerum divellit, varie conjungit, verſat, fingit, pro arbitrio diſponit: unde inſolitæ tandem et prodigioſæ menti obverſantur ſpecies, alii terrarum ac cœli tractus, alius naturæ color.

Huic ſcilicet animæ parti injecta ſunt cœleſtis illius flammæ ſemina, quæ tactu ardeſcunt, et terreni corporis clauſtra pigramque hanc molem cui ſubjicimur perrumpentia ſurſum feruntur. Hinc ſpecioſa illa quæ promunt Poetæ miracula: hinc animæ impatientes moræ niſus: hinc mentis ille gratiſſimus error, qui feliciora ſemper quam fert veritas optat, et optatis fruitur.

Devenere locos lætos, et amœna vireta
Fortunatorum nemorum, ſedeſque beatas.
Largior hic campos æther, et lumine veſtit
Purpureo; Solemque ſuum, ſua ſidera norunt.

Aut quid in hoc genere quam illud Horatii præſtantius?

Auditis? An me ludit amabilis
Inſania? Audire, et videor pios
Errare per lucos, amœnæ
Quos et aquæ ſubeunt et auræ.

Hanc igitur facultatem impigram, mobilem, curioſam, ſuo motu atque exercitatione gaudentem, Poetam quaſi peculiarem ſibi provinciam ſuſcipere oportet; neque ulli dandus eſt hujus nominis honor, qui eam inertem aut ſopitam aut frigidam dimittat.

Reſtat jam ut quartum illum animi commonſtremus ſenſum, a cæteris omnino, ut mihi videtur, genere diverſum, ſed tamen iis arcta quadam neceſſitudine conjunctum; nempe, qui in omnibus et dictis et factis id ſemper cernit probatque quod deceat; qui in omni opere, ordinem, modum, convenientiam partium requirit; quo denique venuſtatem ac pulchritudinem judicamus, non eam dico quæ ſingulis in conceptibus aut imaginibus elucet, ſed quæ toto corpore atque habitu diffunditur. Hoc illud fuit, cui maximum eſſe diximus cum virtute commercium. Neque enim abſolutam quis poteſt honeſti ſpeciem animo complecti, niſi inſit hic decori de quo loquimur ſenſus, neque hunc diu in perpendendis artibus exercitatum habere, quin eum ſenſim ad vitam et mores etiam moderandos transferat.

Hujus autem partis ratio videtur latiſſime patere. Namque in toto opere informando præcipue ſpectat, ut perpetuus quidam ſervetur tenor; ut partes apte inter ſe cohæreant, utque ex iis bene conflетur totum: ut alia in umbram et receſſum rejiciantur, alia exſtent et emineant; ut ſibi conſtent in conſiliis dictiſque perſonæ; ut ſecundum Nemeſeos leges res eveniat. Tum in ſtylo ornatuque operis moderando ejuſdem ſumma eſt auctoritas. Cenſoris enim vicem gerens id ſemper cavet nihil ut deſit, nihil redundet,

nihil fœdum aut vile aut putidum menti occurrat; præſertim vero ne cui libidini aut vitio morigerari videamur: qua in re ſi quid deliquerit Poeta, dicam iterum quod nunquam profiteri recuſabo, non minus ab eo contra artis ſuæ leges quam in virtutem et bonos mores peccatum fore.

Expoſui breviter, ut potui, Academici, quæ ad ſummam totius argumenti pertinere videbantur. Quæ ſi vera fuerint, et aperte demonſtrata, facile ex iis tota hujus inſtitutionis ratio colligetur.

Poſito enim, delectationem animi proprium eſſe Poeſi finem, deinde hanc duplicem eſſe monſtravimus, unam quæ ex re, alteram quæ ex verbis numeroque naſcatur. Ea vero quæ re conſtaret quadrifariam eſt diviſa; prout oriri videbatur aut ex *Imitatione*, aut ex *Affectibus*, aut ex iſta animi facultate quam *Phantaſiam* diximus, aut denique ex illo pulchri et decori ſenſu, cui ne nomen deſit, eadem qua antea libertate uſi, *Judicium* appellemus.

Ex his autem partibus propoſitum eſt quamque ſuo loco deinceps tractare; et quantum in me erit, ſingularum naturam, veterum inſuper Poetarum carminibus illuſtratam, accuratius expedire.

Quod ſi quis totam hanc quam explicui rationem ideo imperfectam eſſe judicet, quod in ſalibus facetiiſque ne verbum quidem poſuerim, tametſi ſatis conſtet poemata legentibus non minimam ex his interdum voluptatem percipi, ſciat profecto iſtam rem me non imprudenter reliquiſſe intactam. Etenim cum illud in animo ſemper habui, ut optimam Poeſeos formam proponerem juventuti, qua in forma adeo non deſiderantur facetiæ ut nullus omnino iis ſit locus;

tum aliqua porro mihi in mentem ſubiit opinio, totum hoc caput, certe quantum ad riſum excutiendum pertinet, prorſus a Poetica arte, tanquam rem genere diverſam, eſſe diſtinguendum. Verum hæc quo modo ſe habeant, alio fortaſſe loco videndum erit.

PARS PRIMA

SIVE

DE IMITATIONE.

PRÆLECTIO TERTIA.

Cur Ars Poetica Imitatrix *dicatur. Expenduntur opiniones Ariſtotelis, Platonis, Scaligeri. Vox* Imitatio *multiplici ſenſu accipitur.* 1mo. *Ad verborum ſonum refertur:* 2do. *Ad verſus ſtructuram et dictionis colorem.* 3tio. *Ad rerum ipſarum deſcriptionem: quæ vera eſt imitatio Poetica.*

QUOD in pleriſque artibus tractandis maximi incommodi loco poſuere doctiſſimi viri, ut vocabulis aut laxe utantur homines, aut varias et diverſas ſententias eidem voci ſubjiciant; id in Critica arte eo frequentius evenire ſolet, propterea quod res in diſputationem veniunt reconditæ plerumque ac ſubtilioris doctrinæ, quæ porro ut ab oculorum et ſenſuum judicio longe ſunt remotæ, ita fixis certiſque terminis vix includi poſſe videntur. Quare nullis fere ab initio conſtitutis elementis, et plurima ad affectuum pariter ac rationis arbitrium referentes, principia artis homines pro ſuo quiſque captu intelligunt, et nomine ſervato rem fere accommodant ad ingenium aut voluntatem ſuam.

Quid enim (ut ab infinita quæſtione diſcedamus, et in ſingulo exemplo rem totam intueamur) quid magis apud omnes conſenſum eſt, quam Poeticam Artem maxima ex parte Imitatione contineri? De nomine mira eſt apud omnes concordia, de re non minima etiam inter doctos controverſia. Quorum de opinionibus pauca prius differenda ſunt, quo facilius ad integram et accuratam in hoc genere diſciplinam proficiſcamur.

Sunt qui in humanis moribus aut actionibus deſcribendis Poeticam Imitationem omnem verſari exiſtimant; quem in numerum referendus eſt acerrimus ille Philoſophiæ omniumque artium judex Ariſtoteles, qui etiam Poeſim, niſi quæ Imitatione conſtet, ullam omnino eſſe negat. Ab hoc, verbo magis quam re diſſentiens Plato ſtatuit, poemata quædam imitando quædam narrando confici, nonnulla etiam, ſicut Epopœiam, uti utriſque modis. Quibus ex locis inter ſe collatis intelligitur verbum hoc *Imitationem* liberiori ſenſu ab Ariſtotele eſſe uſitatum, qui et narratione ait Poetas aliquando imitari; cum *narrationem* (quam ἀπαγγελίαν vocat) Plato prorſus a μιμήσει diſtinguat; quæ ut vere efficiatur ipſæ coram neceſſe eſt inducantur perſonæ, et quaſi agatur res, non alieno ore nuntietur. Quamvis autem de vi vocabulorum diſcrepent, utrumque tamen in actione aut moribus humanis imitationem ponere ſatis conſtat: nam quod hic in tertio Reipublicæ ſuæ diſputat de Poeta diverſas omnium generum res imitante, hinnientes equos, boves mugientes, fragorem et murmur fluviorum aut maris fremitum, novo certe atque alieno ſenſu hac voce utitur, de quo mox dicendum erit.

Jam, quum ſummorum Philoſophorum auctori-

tate tota fere tenebatur antiquitas, tamen imperium illorum non eſt veritus detrectare doctiſſimus vir Scaliger; qui ſuo more ſtomachatur Poeticam artem mancam quaſi et circumciſam propriis finibus excludi, ſi eam imitatione ſola contineri ſtatuatur. Sic enim, ait, non injuria commotus, multa carminum eſſent genera, quorum nullum hoc in cenſu reponerentur, Lyrica, Scolia, Elegiæ, Hymni, alia in quibus nulla exſtat imitatio, ſed enarratio tantum aut explicatio conceptuum eorum qui ex ipſo oriuntur ingenio canentis. Quam in ſententiam complura homo copioſus locutus, ſtatuit tandem Imitandi munus neque detrahendum eſſe Poetis, neque iis ſolis eſſe tribuendum; quippe ad omnem artem quæ oratione pro inſtrumento utatur imitationem pertinere; neque minus Oratorem aut Hiſtoricum hoc munere fungi quam Poetam. Rerum enim imagines eſſe verba. Quamobrem, ut vera Poeſis conſtituatur, aliis opus eſſe adjumentis, ex aliis quoque fontibus hauriendum: neque ſatis eſſe ut hominum exponantur conſilia, ſermones, fortunæ, niſi et affectus moveantur, niſi mens fervidis impellatur conceptibus, niſi imaginibus delectetur, atque omni generoſæ voluptatis apparatu mulceatur.

Quæ omnia ſummi viri præcepta etſi vehementer probem, illud tamen deſidero, quod præcipue in hac parte quærendum videtur, quanam ſcilicet de cauſa *Ars Imitatrix* dicta ſit Poeſis, et quemadmodum ejus vis poſita eſſe Imitatione recte dicatur.

Alii aliter hac de re cenſuerunt, quorum opiniones ſingulas perſequi et longum ſane eſſet et laborioſum. At quoniam neque ab ullo veterum, quantum ſcio, de hac quæſtione accurate eſt diſputatum, neque recen-

tiorum opiniones bene inter ſe conveniunt, idcirco univerſam rem perſpicua oratione tractare melius judicavi, et quæ mea ipſius ſit de Poetica Imitatione ſententia, quot ſint ejus genera, quid in quoque genere probandum aut fugiendum aut cavendum putem juſto ordine explicare.

Primum igitur eſt genus, veteribus haudquaquam ignotum, a noſtris autem hominibus vulgo celebratum, quod ipſo orationis ſono efficitur. Ea eſt enim, ſicut aiunt, linguarum ratio, ut rerum naturam ſæpiſſime vocum ſimilitudine imitentur: ſic fulminum et tempeſtatum horrida confragoſis aſperiſque verbis ſignificari, modos cantuſque molles lenibus liquidiſque efferri—alios denique ſonos propriis conſentaneiſque vocibus utplurimum indicari poſſe, ex ipſa oris et linguæ confirmatione ad hanc ſimilitudinem confictis: quarum ſi delectum rite habeat Poeta, mirum eſt, uti perhibent, quantum valeant ad imagines rerum in animo excitandas, et quanta percipietur ex hac imitationis ſpecie voluptas. Neque exemplorum copia iis deeſt, ex optimis ſcriptoribus deſumpta, quibus hæc ita ſe habere commonſtrare pergant. Quale eſt illud Virgilii,

Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum,

quod volunt frequentes in putri gleba ungularum ictus ipſo verſus ſonitu referre. Sicut et hoc ſalientem in tegulis grandinem,

Tam multa in tectis crepitans ſalit horrida grando.

Aut etiam illuſtriore illo utuntur, utpote qui audientium aures ſtridulo et diſcordi ſono dilaceret,

Stridenti miſerum ſtipula diſperdere carmen.

Tum Ovidianum illud adfertur, quaſi ranarum vocem exprimat,

Quamvis ſint *ſub aqua, ſub aqua* maledicere tentant.
Met. vi. 376.

Aut Homeri carmen,

Τριχθά τε καὶ τετραχθὰ διέσχισεν ἰς ἀνέμοιο.
Od. i. 71.

Nolo plura hujuſmodi exempla attexere, quia frivolum hoc imitandi genus inter Criticorum commenta fere totum habendum eſſe cenſeo, utpote a vera ac generoſa Artis ratione penitus abhorrens. Quo etiam vix mihi perſuadere poſſum, ut credam Platonem rem ſeriam agere, ubi inter Poetæ munera recenſet, quod non modo grandiora naturæ miracula, tonitruum fragorem, ventorum atque oceani tumultus, verum et axium, rotarum, tibiarum reliquorumque inſtrumentorum ſtrepitus, etiam canum pecudumque voces imitari poſſit. Quas quicunque ineptias aucupentur, eos profecto nemo ſanus eſt, ut opinor, qui ex divini viri republica quam longiſſime exulare ægre ferret. Profecto ei, qui ad has artes confugeret, cætera admodum deeſſe crederem: ut ſi quis in narrando rem omnem geſtu atque ore exponere conaretur, nec quidquam proferret niſi quod flexu corporis, aut capitis et membrorum motu ſequeretur, eum eloquentiæ inopiam comœdi artificiis compenſare dicerem, et mimum agere non oratorem.

Neque ſane in hoc lubenter lites moveam, quamvis multa ſint quæ rem ipſam in dubio ponant, utrum ſcilicet a vocum ſono rei conceptus in mente pariatur, an ſolito verborum ſenſu repente impulſa

mens hanc vim a ſenſu vocis ad ſonum transferat. Quippe ita ſunt colligati inter ſe conceptus ac voces, ut uter in animo prior exſtiterit non facile dignoſci poſſit, et quod uſu tantum eſt conjunctum, id natura tandem cognatum videatur.

Lubrica ſane res eſt, et quæ minime hoc loco exagitari debet. Neque eam ante cætera ſumendam duxiſſem, niſi ita invaluiſſet opinio venuſtatis ex hoc fonte deducendæ, ut quid ſit in ea vitii juniores admonere voluerim; quo tandem impedimento jam ſublato ad præſtantiora quædam aditus fiet apertior.

Ne vero id temere damnare videar, quod multorum auctoritate comprobatur, non prætermittendum eſt genus quoddam imitandi a ſuperiore illo plane diverſum, licet ab imperitis plerumque pro uno habeantur; quod genus tantum abeſt ut vituperem, ut, ſublato illo, maximam ex carminibus gratiam tolli judicarem. Nam quod optimi quidam Poeticæ rei præceptores diligenter monent, ut ſonus et junctura verborum verſuumque curſus ad rerum naturam accommodentur, longe aliud mihi agere videntur, quam ut frigidam iſtam commendent ſimilitudinem de qua modo diximus, quæ ſi vera inſtitueretur, profecto mihi riſum potius moveret quam liberalem animi delectationem. Quippe alia plane res eſt ſonos voce imitari, alia orationis tonum aut ſtructuram ad rem de qua loquimur accommodare. Illud in ſtrepitu tantum et clamore referendo locum habet, hoc tota poemata pervadere ac moderari videmus.

Nihil eſt enim fere in rerum natura cui, ſi voce efferatur, non aptior ſit una quædam verborum ſpecies et forma quam cæteræ, quæ non tam arte aliqua

quam naturali quodam aurium judicio cernitur. Nam aut grandia et terribilia animo concipimus, quæ vehementem poſtulant aſperamque dictionem, aut contra lenia et tranquilla quæ remiſſum dicendi genus, aut læta quæ hilare et ornatum, aut ſolennia quæ grave, aut triſtia quæ ſubmiſſum et illætabile requirunt. Tum in verborum commiſſura, in rhythmo numeroque conficiendo, eadem rerum quæ tractantur habenda eſt ratio : quoniam ad cujuſque rei imitationem verſus quodammodo informari poſſunt. Aut enim ſunt celeres, aut tardi, aut in fruſta conciſi, aut præfracti, aut molles, aut ægre videntur promoveri, aut crebro ſubſultare, aut ſine more fluere ac vagari, quæ carminum varietates ut ad diverſos rerum impetus motuſque reſpondeant adeo eſt in promptu videre, ut vix hujuſmodi exemplis res indigeat.

Neque id in corporibus tantummodo externiſque cernitur : quin multo etiam magis affectus animi ſuum habent quiſque motum, ſuum ſonum, ſuum dictionis habitum et colorem, quo audientibus ultro, quaſi ſimilitudine quadam expreſſa, innoteſcant. Etenim quis eſt adeo natura tardus, qui non ex concitato genere dicendi iracundiam dignoſcat, ex humili, et interrupto mærorem, ex celeri et abundanti lætitiam, ex turbato rapidoque repentinam aliquam et tumultuoſam formidinem ?

> Format enim natura prius nos intus ad omnem
> Fortunarum habitum, juvat, aut impellit ad iram,
> Aut ad humum mærore gravi deducit, et angit ;
> Poſt effert animi motus interprete lingua.

Quinimo ex ipſis nominibus quæ variis dicendi modis imponere ſolemus, eam verbis ineſſe vim fa-

cile intelligitur, ut rerum proprietates ac præſertim motus poſſint quodammodo ſi non ſingula at certe conjuncta ſono referre. Quid enim eſt cauſæ, cur hoc dicendi genus liquidum ac profluens, illud rapidum et præceps et actuoſum, aliud lene et flexibile, aliud fractum, diffitum, divulſum appellemus, niſi quæ inſunt in rebus ipſis et quæ his nominibus reſpondent, eadem aut iis ſimile quiddam in orationis genus incidere videamus? Quoniam omnis in hoc poſita eſt nominum tranſlatorum virtus, ut a re ſimili in aliam rem propter ſimilitudinem transferantur.

Quare non immerito Vida doctiſſimus poeta illud inter exquiſitiora artis munera ponit, ut hanc imitandi ſpeciem carmina præ ſe ferant.

> Multa adeo incumbunt doctis vigilanda Poetis.
> Haud ſatis eſt illis utcunque claudere verſum,
> Et res verborum propria vi reddere claras:
> Omnia ſed numeris vocum *concordibus* aptant,
> Atque ſono quæcunque canunt *imitantur*, et apta
> Verborum facie, et quæſito carminis ore.
>
> *Vida, Poet.* iii. 364.

Quod vero de altera illa meri ſonitus imitatione dixi, ut quiſque inops et veræ Poeſeos expers fuerit, ita ambitioſius eam inſequi et captare; contra, hanc optimum quemque colere ac tueri video. Infinita fere ſunt Virgilii loca, quæ verborum delectu et curſu carminis rem non dico ignotam declarare poſſent, certe jam cognitam illuſtriorem reddunt. Pervulgata ſunt illa de curſu quadrigarum, quibus quid magis velox et concitatum cogitari poteſt?

> Nonne vides, quum præcipiti certamine campum
> Corripuere, ruuntque effuſi carcere currus,

et mox,

Jamque humiles, jamque elati ſublime videntur
Aera per vacuum ferri, atque aſſurgere in auras.

At contra, Cyclopes gravi et tardo motu æquis dimenſum intervallis opus moliuntur,

Illi inter ſeſe magna vi brachia tollunt:

quo etiam numero improbus ille Gigantum labor enuntiatur,

Ter ſunt conati imponere Pelio Oſſam;

ubi Poetæ conſilium ac poteſtatem nemo ſanus non conſpicatur.

Sexcentis pariter in locis id ſedulo agit Virgilius ut verſuum curſus rei narratæ reſpondeat.

Aggreſſi ferro circum, qua ſumma labantes
Juncturas tabulata dabant, convellimus altis
Sedibus, *impulimuſque. Ea lapſa repente ruinam*
Cum ſonitu trahit, et Danaum ſuper agmina late
Incidit. *Æn.* ii. 463.

Ille inter navem Gyæ ſcopuloſque ſonantes
Radit iter lævum interior &c. *Æn.* v. 169.

Labitur uncta vadis abies. *Æn.* viii. 91.

Demens! qui Rutulum in medio non agmine regem
Viderit irrumpentem. *Æn.* ix. 728.

Non aliter quam qui adverſo vix flumine lembum
Remigiis ſubigit: ſi brachia forte remiſit,
Atque illum in præceps prono rapit alveus amni.
Geor. i. 201.

Quibus etiam adjungatur ſerpentis deſcriptio, frequentia literæ L notabilis.

Ille inter veſtes et lævia pectora lapſus
Volvitur attactu nullo, fallitque furentem;
Vipeream inſpirans animam: fit tortile collo
Aurum ingens coluber, fit longæ tænia vittæ,
Innectitque comas, et membris lubricus errat.
Æn. vii. 349.

Neque illud interea in mentem cuiquam veniat, hæc acriorem quam par eſt curam deſiderare, et liberum Poetæ ingenium his adſtringi vinculis nec poſſe nec debere: quippe magna eſt in omnibus ac pene incredibilis vis conſuetudinis et diſciplinæ, quæ ſi in oratione deligenda rite adhibeatur, quemcunque in affectum inclinet mens tandem eodem ultro ſe flectet oratio, et aptiſſima quæque verba non quæſita atque ex latebris eruta, ſed ſtatim ac ſponte ſua nobis nec opinantibus occurrent. Quare minime verendum eſt ne ſic reſtinguatur æſtus ingenii aut attenuentur vires; quin potius hac ipſa ex re non parum adjumenti provenire arbitror, cum ad augendam conceptuum et phantaſmatum vim, tum ad fervorem illum animi alendum, quo ad majus quodque opus impellitur Poeta. Quem autem unquam (ut hunc ſcrupulum ſemel eximam, quem ingenioſis quibuſdam viris aliquando hærere cognovi) quem inquam ex nobilioribus Poetis conqueſtum eſſe accepimus, quod certa ſyllabarum menſura verſus claudere cogeretur, aut fixis numeris modiſque refrigerari ardorem et ſpiritum quaſi coerceri ſenſerit. Quod ſi ſeveris metri legibus nihil hujuſmodi effici videmus, cur jugum hoc laxius leviuſque æquum eſt detrectare, quaſi liberos greſſus impediret, aut refringeret vires?

Diutius fortaſſe in his immoror quam fert inſtituti noſtri ratio, quoniam accurata de hac re doctrina ad eam operis partem videtur pertinere, quæ in ſtylo numeroque carminum verſabitur. Sed quia hæc carminum moderatio inter genera imitationis a pleriſque habetur et falſo a nonnullis conjuncta eſt cum altero illo genere quod prorſus repudiandum

puto, propterea eam hoc loco præterire nolui, etſi procul abſit ab ea Imitatione quam præcipue quærimus. Nunc ad majora quædam et graviora tranſeamus.

Sunt igitur qui imprimis univerſum hoc naturæ corpus, quod oculis cernimus quodque animo concipere ac complecti valemus, non temere labentibus ſeculis ferri, ſed certis conſtare elementis ſtatuunt; quippe æternas rebus impoſitas eſſe leges, quibus omnia et humana et cœleſtia contineri. Hinc ſtabiles et perpetuas rerum exſtare formas, leves illas quidem et a ſenſibus abſtractas, quas neque naſci unquam aut interire volunt, neque mutationem aliquam aut defectus pati. In has autem incidere Poetæ mentem, dum huc illuc delata rapido volucrique curſu totam pervagatur naturæ faciem; has avide haurire, intus fovere, et tandem proprio veſtitu et colore præditas effundere: hinc non fictam et mendacem exprimi ſed vivam integramque rerum imaginem: hinc imitationem illam vere Poeticam nullis temporum, aut linguarum aut gentium finibus circumſcriptam, ſed ubique naturalem et neceſſariam, et quamdiu iiſdem ſtabit natura legibus duraturam.

Multa ſunt ſane in hanc ſententiam a graviſſimis doctiſſimiſque viris tradita, quibus, etſi ab iis re non multum differam, tamen in principiis artium eruendis uti nollem; quippe quæ ad divina illa Platonis ſomnia propius accedere videntur, et veritati ſplendidum potius circumdare amictum, quam ipſam ſimplicem ac nudam quærentibus monſtrare. Quare, ut hæc fervidioribus ingeniis ſpatia percurrenda relinquamus, atque ipſi veſtigia magis in tuto collocemus, formæ rerum de quibus loquuntur ad tria omnino genera

ſunt referendæ, e quibus ducitur illa toties decantata Poetarum Imitatio.

Eſt enim aut in externis poſita, iiſque omnibus deſcribendis quæ ſubjiciuntur ſenſibus, aut in humanis moribus, ſententiis, affectibus exprimendis, aut denique ad exemplum vitæ totam fingendo fabulam occupatur, nectendo cauſas exituſque rerum, et perſonarum fortunas ac vices moderando.

Quorum de ſingulis cum mihi propoſitum habeam deinceps dicere, pauca jam de primo libet apponere, non quod argumentum locuples ac plenum hoc loco penitus abſolvere ſperem, tamen ut rationem quandam inſtituam eorum quæ poſthac copioſius perſequi velim.

Fuit hoc quidem ſemper Poeticæ arti honori habitum, quod vivas imagines animo depingat, et abſentia quaſi ſub conſpectu ponat, ea nimirum cujuſque rei adjuncta menti objiciendo, quæ ſi res ipſa coram eſſet, cernerentur oculis. Quod licet idem quoque ſit in reliquis ſenſibus, tamen ea quæ viſu excipimus neſcio quo pacto acrius ferire videntur, altiuſque in mentem deſcendere, quam quæ auribus tactuique objiciuntur. Quamobrem, ut plerumque fit, in infirmiora valere nomen potentioris, ita totam hanc vim qua non modo viſibilium ſed rerum omnium ſimulacra efficiuntur *deſcribere* et *depingere* appellamus.

Magnam itaque poetis cum pictoribus intercedere neceſſitudinem ſatis conſtat; quæ ſi rite intelligatur, non parum conferet ad hanc operis partem quam tractamus expediendam. Nempe ubi in externis verſatur Poeſis, eadem utriſque ſubjecta eſt materies, idem exemplar naturæ propoſitum, eadem fere juſtæ

ac peritæ imitationis laus. Hinc fit, ut quo ſolertius in his ſe exerceat Poeta, hoc pictorem eum præſtantiorem dicere ſolemus : quo etiam nomine Homerum collaudat Lucianus, τὸν ἄριϛον τῶν γραφέων[a] appellans, præcipue vero diſciplinarum omnium ſagaciſſimus inveſtigator Cicero ; cui tanta hæc videbatur ſummi Poetæ facultas, ut cæteris omnibus poſthabitis vel potius omiſſis, poſtquam ‘ Picturam ejus non Poe- ‘ ſim’ nos videre affirmaverit, in hæc tandem verba prorumpit : ‘ Quæ regio, quæ ora, qui locus Græ- ‘ ciæ, quæ ſpecies ac forma pugnæ, quæ acies, ‘ quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum ‘ non *ita expictus eſt*, ut quæ ipſe non viderit, nos ‘ ut videremus effecerit ?’ *Tuſc.* v. 39.

Quoniam vero hoc in loco diſputet, de cæcitatis incommodis, quæ totis viribus extenuare ac diluere conatur, eſt aliquid certe dandum ingenio oratoris, nimis, ut fit, ei quod in manibus eſt tribuenti. Neque ſane crediderim Ciceronem hæc maximæ laudi Homero habuiſſe, quæ nihil affectuum, nihil morum, nihil, ut cum Ariſtotele loquar, aut ἠθικὸν aut διανοητικὸν in ſe continerent. Magnum procul dubio eſt, quod ejus carmina picturam non poeſim appellat. Qua re ſatis oſtendit deſcriptiones iſtas, ſua quidem ſententia, et pulcherrime eſſe confictas, et proxime ad naturam accedere : neque ſe tam teneri rerum ipſarum quas depingit venuſtate, quam eximiam artem Poetæ admirari.

Hæc autem vis quam ἐνάργειαν vocant, tametſi eam efficacem maxime et præclaram eſſe exiſtimem et per totum poematis corpus tanquam ſanguinem dif-

[a] Εἰκόνες· v. 2. p. 466. Edit. Hemſt.

fundi oportere, nihilo minus multas habet in ſe cautiones, quas qui non intelligunt, eos turpiter nonnunquam hærere ac labi video: dum bene pingendi, ut loquuntur, laudis cupidi, in alterius artis arbitrium ſuam transferunt, alienis ſtudent legibus, et quam partem cæteris obſequi et inſervire oportet, eam ſummo ſtudio conſectantur, et ubique eminere ac dominari volunt.

Profecto Artes hæ duæ, de quibus loquimur, in plurimis certe ſimiles ac cognatæ, in nonnullis diſpari omnino ſunt natura, et diſciplina indigent penitus diverſa. Neque enim ut Pictoris ita Poetæ ſunt partes ſingula aperte diſtinguere, membra formamque explere, et juſta mole ac menſura referre. Non patitur hanc operoſam ſolicitudinem ipſa Poeſeos natura: neque omnia iſto modo elaborari aut oportet aut decet. Quin diverſum quodammodo ad finem alter ab altero ſpectare, certe diverſam ingredi videntur viam. Nempe Illi, quam maxime ad fidem naturæ expreſſa re, mentem imitatione delectare propoſitum eſt. Hic rem eo uſque depingit, dum eam jam imperfectam arripiat mens, et ſuis ex copiis quod deſit ſuppleat. Hic admoto quaſi pabulo acuit provocatque animum, Ille ſaturatum dimittit. Tum, quod maximum eſt, etſi Pictori ſua ſemper qualiſcunque laus conſtabit, qui ad veritatem etiam in re vulgari ac viliſſima appropinquaverit, Poetam contra, nihil fere niſi quod ſua ſponte aliquid feret gratiæ aut venuſtatis imitari decebit; et ſæpiſſime fit, ut quod laudis ſtudio ac curæ debeatur, id omne ingenio ſit detrahendum.

Quibus cauſis permotus magnopere eos mirari ſoleo, qui in voluptatis illius naturam diligentius inqui-

rentes, quæ ex imitatione percipitur, præcipuam ejus partem ponunt in ſimilitudine rerum intuenda. Sed nimis ampla jam inire ſpatia, et tempus vetat et patientiæ veſtræ reverentia : neque ea quæ poſthac fuſius explicanda et plenioribus confirmanda exemplis propoſui, hoc loco in arctum concludere aut maturius prælibare volo.

PRÆLECTIO QUARTA.

Rem quam imitetur ſcriptor ſua ſponte pulchram ſumat. In deſcriptionibus errant poetæ ſi nimii ſint et operoſi. Pauca potius notanda quæ rei maxime ſint propria; et quæ ſimplicem ejus imaginem menti objiciant.

JAMPRIDEM in expendenda Poeticæ Imitationis natura tam multi fuimus, ut pauciſſimis opus ſit, quo ad pleniorem hujus loci tractationem progrediamur: et fortaſſe ſatis erit hæc modo vos breviter admonere; ‘ Tria rerum poſita eſſe genera quæ imitari diximus ‘ Poetam; primo, Externa omnia; deinde, Affectus, ‘ Mores, Sententias et Conceptus hominum; tertio, ‘ vitæ fortunæque humanæ rationem.’

Ex his autem partibus, ei quæ in externis verſatur maximam eſſe cum pictura ſocietatem: in nonnullis tamen longe eſſe ab ea diverſam, et proprios quoſdam fines habere, propriis gaudere legibus, quas multi non vident aut viſis parum obtemperant. Accidit enim, neſcio quo pacto, ut huic parti ſe addicant fere omnes qui Poetarum nomen affectant, et ſatis ſe Muſis facturos arbitrantur, ſi aquas, ſi ſcopulos, ſi pecudes et amœna rura carmine numeroſo ſtrepant, et quæcunque in manibus habent belle depingant, juſta partium et colorum et formarum ratione habita. Hi vero licet omnino mihi falli videntur, non eo tamen abreptus ſum faſtidio ut poeticam laudem prorſus ab

hac parte detraham, quæ modo docte exerceatur, maximam habet in ſe venuſtatem. Quin ita de tota re ſtatuendum judico: quamvis vivas rerum imagines exhibere, et quaſi picturas ob oculos audientium ponere ſit cujuſque Poetæ propria ac neceſſaria facultas; tamen altiora quædam appetere veram poeſim, quibus hæc pars ſubjici et inſervire debet; neque in carminibus tam dominæ auctoritatem præ ſe ferre, quam comitis aut pediſſequæ munus obire. Dormiunt enim certe affectus, torpet imaginatio, niſi diſtincta quædam ſint, et ad ſimilitudinem naturæ colorata. Rurſus, ſi nihil habeat ſcena in ſe quod moveat, nihil quod ad fabulam facit, nihil quo calor aut æſtus ingenii incendatur, languida quædam res eſt et puerilis, licet optime ſit depicta; et hujuſmodi artifex non dico poetarum ſede exulet, ſed inter poetas imam teneat.

Interea quid in hoc genere ſit Poeticæ proprium, quid maxime expetendum aut fugiendum quo perfectior fiat imitatio, videbimus.

Primo igitur rem ſumendam cenſeo non omnino quotidianam ac vulgarem, ſed quæ gratiæ aliquod aut ſponte in ſe habet, aut ex fabula mutuatur. Non enim ut in Pictura ſic in carmine quæcunque apte ſint expoſita, etiam viliſſima, cum voluptate aliqua intuemur. In tabula, ruſticus ſqualidus ac rudis, operi intentus, caballis atque agreſti inſtrumento cinctus, modo omnia ad veritatis normam ſint exacta, per ſe tenet ſæpe ſpectantes, nulla fabulæ aut morum ope interpoſita. Immo, ea eſt imitationis vis ut ab iis quæ in natura præteriiſſet aliquis, floribus nempe aut animantibus etiam mortuis depictis aliquantulum delectemur. Quod ſi in his et hujuſ-

modi referendis totum poema verſetur, quæ eſt tanta carminum ſuavitas, ut lectorem a faſtidio vindicet aut ſomno? Quippe ubi ex operis forma hæc locum habeant neceſſe eſt, ſicut in Georgicis et Paſtoralibus, ne ſic quidem optimos Poetas mera imitatione contineri videmus: uſque adeo ſe ex hiſce anguſtiis expedire avent, vagari liberius, et in affectuum aut phantaſiæ regiones migrare.

Melius fortaſſe quid in hac parte velim ab exemplis aliquot intelligi poterit. Nemini, credo, qui Oppiani carmina de Venatione aut illa de Piſcibus perlegerit, in mentem venit, deſcriptionibus iſtis de natura animantium aut fidem defuiſſe aut diligentiam. In feris præcipue, de quibus utpote magis notis facilius judicatur, ſpeciem, colorem, formam, magnitudinem, habitus motuſque membrorum, tum in præda capienda aut tuenda prole quæ ſint cuique propria verſu ſatis numeroſo comptoque edocuit. Quis autem hoc ideo poeſim appellat? Aut ſi appellat, quid quæſo impedit quo minus Plinii quidam aut Ariſtotelis de Animantibus libri in metrum redacti pari titulo inſigniantur? Quod ſi quæ pars in his carminibus præ cæteris arrideat, ut illa de Tigre ob amiſſos catulos furibunda, non id puto imitationi tribuendum, ſed rei quæ tractatur naturæ, nobiliori ſponte aut venuſtiori.

Unum hujus generis ſi apponam fortaſſe non injucundum fecero, in quo licet Gallinæ mores geſtuſque ad unguem exprimantur, dum conſpecto accipitre pullos anxie tuetur, tamen ex re magis, quæ eſt ejuſmodi ut cujuſvis oculos arriperet, voluptatem percipi exiſtimo, quam ex arte et ingenio ſcriptoris.

Πῶς δ' ὄρνις κατὰ δῶμα συνέσιος ἀνθρώποισιν
Ἀρτιτόκος νεαροῖσι περισκαίρουσα νεοσσοῖς,
Κίρκον ὑπὲρ τέγεος κατεπάλμενον ἀθρήσασα,
Ὀξὺ μὲν ἔκλαγεν αἶψα, καὶ ἄνθορεν ὀξὺ λακοῦσα;
Αὐχένα δ' ὑψόσ' ἄειρεν ἐς ἠέρα γυρώσασα,
Καὶ πάσαις ἑκατέρθεν ἑαῖς ἔφριξεν ἐθείραις,
Καὶ πτερὰ πάντ' ἐχάλασσε ποτὶ χθόνα· τοὶ δ' ἄρα δειλοὶ
Τεῖχος ὑπ' εὐπτέρυγον πρυλέες τρίζουσι νεοσσοί.

ΚΥΝΗΓ. Γ. 118.

Quantum autem meram imitationem ſuperet pulchra ac ſplendida imitari, ex comparatis hiſce Virgilii locis facile cernitur, quibus in utriſque perfecta imitationis virtus, vis ac ſpiritus longe diſpar. Notiſſima ſunt illa de pecudum delectu.

Optima torvæ
Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix,
Et crurum tenus a mento palearia pendent.
Tum longo nullus lateri modus: omnia magna:
Pes etiam, et camuris hirtæ ſub cornibus aures.
Nec mihi diſpliceat maculis inſignis et albo:
Aut juga detrectans, interdumque aſpera cornu,
Et faciem tauro propior: quæque ardua tota,
Et gradiens ima verrit veſtigia cauda.

Georg. iii. 51.

Ecquid unquam apertius aut magis enucleatum aut naturæ propius? At quoniam res humilis et vulgaris agitur, locum vix denuo legendum ducimus. Propoſito, inquimus, poetæ bene convenit, neque omitti poterat; veniam potius porrigentes quam laudem. At quo ſenſu nos illa equi effigies mox percellit?

Continuo pecoris generoſi pullus in arvis
Altius ingreditur, et mollia crura reponit.

Georg. iii. 75.

Conſulto celebres quoſdam et pulcherrimos verſus

prætermitto, quibus ineſt ardor vere poeticus, et in iis me contineo qui formam equi præſertim exprimunt.

Illi ardua cervix,
Argutumque caput, brevis alvus, obeſaque terga;
Luxuriatque toris animoſum pectus:

et poſt paulo,

Denſa juba, et dextro jactata recumbit in armo.
At duplex agitur per lumbos ſpina, cavatque
Tellurem, et ſolido graviter ſonat ungula cornu.

Illud interea priuſquam ex his diſceſſum fuerit memorandum duxi, (quanquam ad aliam operis partem magis pertinere videatur,) nempe quo ſtudio cæteri fere Poetæ omnia conantur ad oculos referre, et in pingendo nunquam ſe nimios eſſe putant, eodem divinum hunc Mantuanum ab externis ad intimos animi ſenſus tranſire, et ſumma ope niti ut fervidum alat ingenium, et ampliora quam quæ ſubjiciuntur oculis ineat ſpatia. Hinc imagine equi jam abſoluta ſtatim altius erigitur: Deos et Heroas, ſpecioſa attentat antiquioris ævi argumenta, fabulas quidem illas, ſed quæ in pectus influere et ſenſus mirifice delectare valent.

Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis
Cyllarus, et, quorum Graii meminere Poetæ,
Martis equi bijuges, et magni currus Achillis.
Talis et ipſe jubam cervice effudit equina
Conjugis adventu pernix Saturnus, et altum
Pelion hinnitu fugiens implevit acuto.

Jam vero ut in aliis quoque eandem rem perſequamur, quanquam hominum effigie et actionibus humanis magis certe movemur, tamen in his ipſis brevior eſt illa atque imperfecta voluptas quæ ex imitatione ſola oritur. Quid magis ad naturam accedit quam Catulliana illa fæminæ nentis figura?

Læva colum molli lana retinebat amictam:
Dextera tum leviter deducens fila ſupinis
Formabat digitis, tum prono in pollice torquens
Libratum tereti verſabat turbine fuſum:
Atque ita decerpens æquabat ſemper opus dens,
Laneaque aridulis hærebant morſa labellis,
Quæ prius in leni fuerant extantia filo,
Ante pedes autem candentis mollia lanæ
Vellera virgati cuſtodibant calathiſci.

Catull. de Nupt. Pel. et Thet. l. 312.

Nihil hac effigie fieri aut fingi poteſt fidelius. Formam operis, opificis ſupellectilem, utriuſque manus et digitorum motus, calathos ante pedes lana exſtructos, omnia ad verum vitæ exemplar expreſſa cernimus. At jejuna nihilominus eſt tota res, et cui vix aditus in mentem patet, niſi ex argumento carminis repetatur, Parcam hic non mulierem adumbrari, Achillis ortum fatidico ore monſtraturam. Quantam vero eidem imagini, vulgari licet, offundit gratiam Virgilius, adjectis modo paucis quæ in affectus blando gratoque introitu illabuntur!

Cum fœmina, primum
Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva,
Impoſitum cinerem et ſopitos ſuſcitat ignes,
Noctem addens operi, famulaſque ad lumina longo
Exercet penſo; caſtum ut ſervare cubile
Conjugis, et poſſit parvos educere natos.

Æn. viii. 408.

Pluribus, ut opinor, vix opus erit quo illud quaſi principium inſtitutionis noſtræ ratum fiat; niſi res ipſa quam imitantur Poetæ aut in ſe pulchra ſit, aut ἦθικὸν aliquod in ſe habeat, exiguam ſane voluptatem ex ſimilitudine etiam perfecta fluere. Quod ſi quis plura velit, poetarum locos adeat qui in materia humili verſantur, ſicuti ſunt illi Georgicorum de Aratri

ſtructura, de arborum inſitione, plurimi item Homeri qui viliſſimum quodque negotium, ignis ſuſcitationem, pecudum curam, etiam coqui aut lanii opificium ſumma cum fide exprimunt. Quos vero ita perſtringere viſum eſt, non ut ſanctiſſimi vatis auctoritatem imminuam, cujus excelſum ingenium et mentem illam diviniorem prope attonitus miror, ſed ne in vitium aliquando minores trahat imperita magni ducis imitatio, cui non in omnibus ea laus convenit, ut

Quæ deſperet tractata niteſcere poſſe relinquat.

His autem de toto genere præmiſſis, ad alia tranſeamus, quæ præcepto aliquo indigere videntur. Illos enim poetas qui plurimum deſcriptioni ſtudent, cerni licet ſæpiſſime, non inquam in vitium incurrere, id enim facimus omnes, ſed, quod multo eſt turpius, vitia ipſa in deliciis habere. Primum igitur eſt in quo peccari ſolet, quod ſollicita et laborioſa manu percurrant omnes rei quæ tractatur partes; atque ita demum ſe perfeciſſe opus putent, ſi nihil non manifeſto expoſitum linquant. At quæ eſt illa etiam pictura, cujus non aliqua rejici et quaſi abdi volumus?—in qua non aliquid deliteſcere juvat mente ipſa non oculis ſpectantium colligendum? Quod ſi in iſta arte, ubi omnia poſita ſunt in conſpectu, et niſi expleantur oculi jacet omnino mens, tamen offendimur diligentia nimis anxia, quanto intolerabiliores ſunt ii qui, ſi locus aut actio quædam in poemate deſcribitur, ſingula ex ordine recenſent, et tanquam officioſi comites, nihil cerni poſſe in rebus exiſtimant niſi quod ipſi digito monſtrent!

Nemini cui in manibus eſt Statius, aut Claudianus, aut etiam Ovidius, deerunt exempla quæ in hanc

partem trahi poſſent. Nos unum aut alterum inſpiciamus, in ea potiſſimum re quam ſemper affectant hujus ordinis Poetæ, amœni ruris deſcriptione.

Per octoginta verſus in amici Villæ Surrentinæ laudibus occupatur Statius: pulchræ interdum iis haud ſane deſunt imagines, ſed numero diſtrahunt conturbantque animum, neque ita inter ſe coeunt ut unum quoddam et ſimplex efficiatur.

Vix ordine longo
Suffecere oculi: vix, dum per ſingula ducor,
Suffecere gradus. Quæ rerum turba! locine
Ingenium, an domini mirer prius? hæc domus ortus
Aſpicit, et Phœbi tenerum jubar; illa cadentem
Detinet. *Stat. Sylv.* ii. 2. 42.

et mox

Hæc pelagi clamore fremunt; hæc tecta ſonoros
Ignorant fluctus, terræque ſilentia malunt.
. . . . . .
Mons erat hic ubi plana vides. hæc luſtra fuerunt,
Quæ nunc tecta ſubis.

Quo etiam modo regionem omnem pererrat. Attamen ne ſic quidem ſibi videtur argumento aut amicitiæ ſuæ ſatis feciſſe; media enim inter carmina in hæc prorumpit.

Non mihi ſi cunctos Helicon indulgeat amnes,
. . . . . .
Innumeras valeam ſpecies, cultuſque locorum
Pieriis æquare modis.

Mihi profecto plus Muſis debuiſſe viſus eſſet ſi pauciora dinumeraſſet.

Pari fere licentia exſultat Claudianus, qui nunquam ſibi magis placet, quam cum pictorem agit. Locus eſt in ſecundo de raptu Proſerpinæ libro, qui

liber tamen ingenium magis poeticum quam cæteri fere omnes ſpirat. Hunc autem in modum poſt roſarum violarumque frigidam mentionem infiſtit.

Forma loci ſuperat flores: curvata tumore
Parvo planities, et mollibus edita clivis
Creverat in collem: vivo de pumice fontes
Roſcida mobilibus lambebant gramina rivis.
Sylvaque torrentes ramorum frigore ſoles
Temperat, et medio brumam ſibi vindicat æſtu.
Apta fretis abies, bellis accommoda cornus,
Quercus amica Jovi, tumulos tectura cupreſſus,
Ilex plena favis, venturi præſcia laurus.
Fluctuat hic denſo criſpata cacumine buxus,
Hic ederæ ſerpunt, hic pampinus induit ulmos.
Rapt. Proſerp. ii. 101.

Regio ipſa non invenuſte depingeretur, niſi eadem culpa laboraſſet quam in Statio notavimus, ut rem eo melius depictam putet, quo plures ducat lineas. Neque elegantiæ laudem negaverim iis ubi buxum *fluctuare* et poſt paullo lacum *palleſcere* ait. Cæteri poetæ lacus habent *dulces*, *gelidos*, *vivos*, *vitreos*, at qui propriam eorum ſpeciem in proſpectu ruris refert ante Claudianum novi [a] neminem.

Contra, in ſummi illius artificis opere fruſtra quæremus exempla quæ pariter laſciviunt in locorum ſpecie referenda. Non ſane quod illi defuit ingenii ubertas aut fluminum ſylvarumque amor, qui quam fuerit in eo vehemens ſatis conſtat, ſed quia veræ poeſeos memor ad movendos aliorum affectus totum ſe compoſuit, non ad frivolam artis ſuæ oſtentationem. Quicquid in hoc genere habet, virile eſt, et ſimplex,

[a] Habet hanc imaginem Statius quoque:
" Albenteſque lacus." *Sylv.* i. 3. 65.

et verecundum, nec tamen lætitia ac lumine expers. Quanam in pictura clarius elucere poterat ſinus ille Africanus, quam in his Virgilii?

Eſt in ſeceſſu longo locus: inſula portum
Efficit objectu laterum; quibus omnis ab alto
Frangitur, inque ſinus ſcindit ſeſe unda reductos.
Hinc atque hinc vaſtæ rupes, geminique minantur
In cœlum ſcopuli: quorum ſub vertice late
Æquora tuta ſilent: tum ſilvis ſcena coruſcis
Deſuper, horrentique atrum nemus imminet umbra.
Æn. i. 163.

Raro autem in hæc ſpatia excurrit Virgilius, uno fere contentus aut duobus verſibus quo regionis formam exprimat. Nequeo tamen mihi temperare quin alterum vobis exemplum proferam, quod in ſuo genere mihi ſemper viſum eſt egregium. Italiæ oram prætervectus Æneas jam rubente Aurora Tybris adit oſtia,

Cum venti poſuere, omniſque repente reſedit
Flatus, et in lento luctantur marmore tonſæ.
Atque hic Æneas ingentem ex æquore lucum
Proſpicit: hunc inter fluvio Tyberinus amœno
Vorticibus rapidis, et multa flavus arena,
In mare prorumpit: variæ circumque ſupraque
Aſſuetæ ripis volucres et fluminis alveo
Æthera mulcebant cantu, lucoque volabant.
Æn. vii. 27.

Quantas hic haberemus nugas de variis arborum et volucrum forſan et florum generibus, de remigum motu et aquarum murmure, ſi Ovidio aut Claudiano eadem permiſſa res eſſet! At levi quaſi adumbratione facta quam in Virgilio omnia ſubjecta ſunt oculis! atque ita ſubjecta ut nequaquam fabulæ obliviſcamur, ſed Æneam ipſum leni et placido perfuſum gaudio cernamus.

Flectere iter ſociis, terræque advertere proras
Incipit, et lætus fluvio ſuccedit opaco.

Eleganter item eandem rem interdum attigit Horatius, artem quaſi diſſimulans, et brevitatis ſtudioſus.

Qua pinus ingens albaque populus
Umbram hoſpitalem conſociare amant
Ramis, et obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo. *Od.* ii. 3. 9.

De Homero nollem in hac parte loqui, quoniam in regionis forma deſcribenda, ejuſmodi dico qualem ſibi ſumerent pictores, neque eſt frequens neque admodum felix: quanquam admirabilis illa vis animi qua viget ſemper, ut hæc vix deſideremus efficit; et ſi quando in his verſatur, longiſſime abeſt ab effœta illa examinique rerum imitatione quam paulo ante diximus. Quinimo in eorum ſententiam non invitus cedo, qui rura ac regiones cum venuſtate quadam in carminibus deſcribere rem eſſe aiunt ante Auguſti tempora pene ignotam—cauſam ſimul non ineptam adferentes, quod Pictores (quos Poetis fuiſſe duces volunt) tunc primum [b] in hoc genus pingendi ſuam impenderint operam.

Jam vero, ut unde egreſſi ſumus revertamur, eadem fere in omnium externorum imitatione danda ſunt præcepta, quæ valent in locorum deſcriptione.

Infinitus prope eſſem ſi plena exempla adferrem ex Ovidio, Lucano aliiſque, quorum ingenio vix unquam frænum impoſuit docta et caſtigata ſimplicitas. Meminerit modo, qui hæc cupiat, quam pueriliter in diluvio exſpatietur Ovidius, quam incendium

[b] Vid. Plin. Hiſt. Nat. xxxv. 10.

illud a Phaetonte exortum ambitioſe perſequatur, ſingula ſingulis adjiciens, quæ adeo non vim addunt ut priora conturbent penitus et obruant.

Unum ex millibus adferam, ubi pro integra imagine diſſitas tantum partes animo proponit, Æneæ navium in nymphas converſionem.

> Robore mollito, lignoque in corpora verſo,
> In capitum faciem puppes mutantur aduncæ.
> In digitos abeunt et crura natantia remi:
> Quodque ſinus fuerat latus eſt; mediiſque carina
> Subdita navigiis ſpinæ mutatur in uſum.
> Lina comæ molles, antennæ brachia fiunt.
>
> *Ovid. Met.* xiv. 549.

Quas habet ille ineptias de brachiis, coma, digitis, ſolito judicio præterit Virgilius, qui rem paucis abſolvit.

> Delphinumque modo demerſis æquora roſtris
> Ima petunt. Hinc virgineæ (mirabile monſtrum)
> Reddunt ſe totidem facies, pontoque feruntur.
>
> *Æn.* ix. 119.

Nota ſunt in hoc genere Lucani vitia. Ovidio certe gravior eſt, et generoſum magis ſapit: ſed poeſim plane addidicit tanquam artificium quoddam, non divino munere delatum accepit. Singulas partes aliquando non infeliciter deſignat: hæret autem in his uſque ad faſtidium, et ſicut cæteri qui in eo laborant ſuam ut fœcunditatem monſtrent, mentem lectoris dimittit frigidam. Quot exiguas res ingerit in pugnam illam navalem in Tertio Pharſaliæ, haud ſane vi quadam ingenii deſtitutam! Iſta autem nimia ſollicitudo a ſumma rerum avertit aciem, et ne aliquid deſideretur confundit omnia.

Iterum in ſexto ejuſdem carminis, aſperrimum in

propugnaculis certamen hac rerum enarratione conatur efficere perſpicuum magis et terribilius.

> Nunc ſude, nunc duro contraria pectora conto
> Detrudit muris, et valli ſumma tenentes
> Amputat enſe manus: caput obterit oſſaque ſaxo,
> Ac male defenſum fragili compage cerebrum
> Diſſipat: alterius flamma crineſque genaſque
> Succendit: ſtrident oculis ardentibus ignes.
>
> *Luc. Pharſ.* vi. 174.

Prope ad hæc accedit Statii denſiſſimæ pugnæ imago.

> Excluſere diem telis, ſtant ferrea cœlo
> Nubila, nec jaculis arctatus ſufficit aër.
> Hi pereunt miſſis, illi redeuntibus haſtis:
> Concurrunt per inane ſudes, et mutua perdunt
> Vulnera, concurrunt haſtæ, ſtridentia fundæ
> Saxa pluunt: volucres imitantur fulgura glandes
> Et formidandæ non una morte ſagittæ.
>
> *Stat. Theb.* viii. 412.

Facillime poterant plura hujuſmodi ex utroque poemate congeri. Aut ſi quis κακοζήλε iſtius exemplar adhuc perfectius requirat, adeat tempeſtatem illam in quinto Pharſaliæ per centum verſus deductam; ubi captat fere omnia Lucanus quæ nos fugienda ducimus.

Sin autem pulcherrima artis exempla in hoc genere imitationis quæramus, ex eo petenda ſunt, quem (ut Scaligeri verbis utar) 'unum cenſeo ſciviſſe, quid 'eſſet non ineptire.' Unus profecto mihi videtur Virgilius ſatis perſpectum habuiſſe, qui modus in deſcriptione ſit ſervandus—quam diverſæ penitus ſint res *totum* dicere, et *omnia*—et quam ſit animo gratum a dictis ad non dicta tranſire.

Sæviſſimæ illius tempeſtatis horror in primo Æneidos, quibus adjectis rebus augeri potuit? Eam autem dimidio breviore ambitu concludit, quam ſuas Ovidius et Lucanus. Rurſus in caſtrorum a Turno oppugnatione, rem diſtinctam et quaſi particulatim exponit, ſed ita tamen ut nuſquam ſit nimius, nuſquam veritatis aut naturæ egrediatur fines. Cum prioribus illis in re non abſimili conferat aliquis quæ ſequuntur,

Dum ſe glomerant, retroque reſidunt
In partem, quæ peſte caret; tum pondere turris
Procubuit ſubito, et cœlum tonat omne fragore.
Semineces ad terram, immani mole ſecuta,
Confixique ſuis telis, et pectora duro
Transfoſſi ligno, veniunt. *Æn.* ix. 539.

Infinitum vero eſſet in his verſari. Toto etenim poemate elucet illa virtus, ut quæcunque agantur (nihil autem fere eſt in vita hominum aut in rerum natura quod illic non agitur) pugnas, ludos, venationes, convivia, navigiorum curſus, incendium ac direptionem urbis, adeo manifeſte et velut adſtantes cernimus, ut nihil melius adjecto aliquo nihil non adempto fieret deterius.

Neque id ſemper ſubtilitate aliqua aut delicata ac ſuſpenſa manu adſequitur. Quin cæco quaſi jactu manus, ducta una et altera linea, efficit ſæpe quod alii ſumma nequeunt explere diligentia.

Sic in Clypei deſcriptione

Hæc inter tumidi late maris *ibat* imago
Aurea. *Æn.* viii. 671.

Et in luctuoſiſſima illa Trojæ expilatione, poſtquam vis Neoptolemi perrupit robora

——et ingentem lato dedit ore feneſtram:
Apparet domus intus et atria longa pateſcunt:
Apparent Priami et veterum penetralia regum:
Armatoſque vident ſtantes in limine primo.
Æn. ii. 482.

Non enim ut in pictura ab oculis ad mentem itur, ſed contra mente ſemel concita ante oculos viſa eſt imago poni: quod tunc optime effectum erit, ſi repentino quodam impetu percellatur mens, et quaſi tactu æthereo ingenii incendantur igniculi, quos intus ſopitos tenemus omnes.

Quanto efficaciores ſunt illæ divini vatis effigies, non difficili et laborioſo partu editæ, ſed quæ ſubito niſu tanquam ex cerebro Jovis emicant!

Illum indignanti ſimilem, ſimilemque minanti
Aſpiceres. *Æn.* viii. 649.

Aut illud adhuc manifeſtius

Te, Catilina, minaci
Pendentem ſcopulo furiarumque ora trementem.
Æn. viii. 668.

Aut qua partium diſtinctione res magis exſtare ac protrudi potuit quam illa Nili effigies?

Contra autem magno mærentem corpore Nilum,
Pandentemque ſinus, et *tota veſte vocantem*
Cæruleum in gremium, latebroſaque flumina victos.
Æn. viii. 711.

Non omnibus certe rebus ineſt ſtatus ille ac præcipuus quidam, ut Græci vocant, χαρακτὴρ, quo ſemel arrepto ſtatim apparent omnia. Complura ſæpe adjuncta perſequi oportet, ſæpe adjicere aliena, et per ambages de induſtria factas quaſi per veſtibulum ad interiora adire.

Acri tamen judicio et multa arte opus eſt in hiſce deligendis, cum non raro longe a vulgi opinione abſunt ea quæ rei cujuſque *maxime* ſunt propria, et minus oculis occurrunt nonnunquam, quæ ſi exprimantur vim habent in commovendis ſenſibus præcipuam. Hujus autem capitis integram doctrinam, quum pateat latius quam ut his terminis includi queat, per ſe poſthac ſumendam judicavi.

PRÆLECTIO QUINTA.

Res copioſe et particulatim enarrari interdum oportere: præſertim ſi ad magnum aliquod ſtruatur via. Voluptatem tamen inde ortam parum ex Imitatione pendere. In Externorum Imitatione (excepto Virgilio) excellere non ſummos poetas, ſed ſummis proximos.

PRÆCIPUO jam notato errore, qui complures poetas in deſcriptionibus male habet, ut neſciant quid ſit ſatis, ſicut de Protogene Apellem dixiſſe fertur, ‘ma-‘num eum de tabula non ſcire tollere,’ proximum eſt ut doceam quem ad modum memorabili illo præcepto uti oporteat, *nimiam nocere diligentiam.* Etenim longe a propoſito aberat ut res ſingulatim enarrari et ſua cuique apponi adjuncta ubique improbem, tanquam a Poeſi omnino alienum. Frigide certe hoc poteſt fieri atque imperite, veluti in compluribus exemplis monſtratum volui; ut neque manifeſtior fieret pictura, neque animus legendo concaleſceret. At vero ſi caſte et ſuo loco adhibeatur, maxima eſt ejus vis in concitandis ſenſibus, et mentem reddit lectoris intentam, alacrem, actuoſam; ut non modo iis quæ in promptu ſint tanquam præſentibus delectetur, verum et avide proſpiciat atque expectet futura.

Jam in ore omnium ſunt illa Homeri de Achille arma divinitus ſibi delata induente. Quanto appa-

ratu, quali ac quam minuta rerum diſtinctione ad rabiem invicti herois, et prælium illud pluſquam mortale deducimur! Tanto ſcilicet in diſcrimine ipſa exercitûs armatura exponitur particulatim; adjectis etiam iis quæ in magno motu armatæ multitudinis nuſquam non eveniunt.

Ὡς τότε ταρφειαὶ κόρυθες, λαμπρὸν γανόωσαι,
Νηῶν ἐκφορέοντο ϗ ἀσπίδες ὀμφαλόεσσαι,
Θώρηκές τε κραταιγύαλοι, ϗ μείλινα δοῦρα·
Αἴγλη δ' ἠρανὸν ἶκε, γέλασσε δὲ πᾶσα περὶ χθὼν
Χαλκῷ ὑπὸ ϛεροπῆς, ὑπὸ δὲ κτύπος ὦρνυτο ποσσὶν
Ἀνδρῶν· *Iliad.* T. 359.

Achillis autem ipſius terribilem formam, oculos, dentes, ſingulas armorum partes ex ordine indutas, dum quæ ſequuntur legit, quis non ſibi videtur intueri et quaſi tremere futuri expectatione? Locum integrum apponere quoniam per tempus non licet, ea tantum inſpiciamus quæ præcipue ad rem præſentem faciunt.

Κνημῖδας μὲν πρῶτα περὶ κνήμῃσιν ἔθηκε
Καλὰς, ἀργυρέοισιν ἐπισφυρίοις ἀραρυίας·
Δεύτερον αὖ, θώρηκα περὶ ϛήθεσσιν ἔδυνεν·
Ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον,
Χάλκεον· αὐτὰρ ἔπειτα σάκος μέγα τε, ϛιβαρόν τε
Εἵλετο, τῷ δ' ἀπάνευθε σέλας γένετ' ἠΰτε μήνης.
Iliad. T. 369.

Tum galeam, criſtam minacem, haſtam quoque paternam ex theca propria manu ſumptam ſimiliter recenſet, et horrenda viri imagine adumbrata in armis decurrentis, comitum etiam, equos ad currum jungentium, ſingulos geſtus perſequitur.

Ἵππους δ' Αὐτομέδων τε καὶ Ἄλκιμος ἀμφιέποντες
Ζεύγνυσαν, ἀμφὶ δὲ καλὰ λέπαδν' ἔσαν· ἐν δὲ χαλινὼς
Γαμφηλῇσ' ἔβαλον, κάτα δ' ἡνία τεῖναν ὀπίσσω

Κολλητὸν ποτὶ δίφρον· ὁ δ' ἄρ' μάστιγα φαεινὴν
Χειρὶ λαβὼν ἀραρυῖαν, ἐφ' ἵπποιϊν ἀνόρουσεν
Αὐτομέδων· ὄπιθεν δὲ κορυσσόμενος βῆ Ἀχιλλεὺς
Τεύχεσι παμφαίνων, ὥς' ἠλέκτωρ ὑπερίων.

Iliad. T. 392.

Quod ſi quis voluptatem exinde oriri arbitretur, quia picturam hic optime elaboratam intueatur, et ſingulas partes naturæ convenientes agnoſcat, magnopere eum falli exiſtimo. Major quippe et acrior hic erigitur ſenſus, quam qui ſola imitatione concitari poſſit, cujus, ut ante dictum eſt, lenior quædam eſt voluptas et tranquillior. Neque enim niſi impendente magna aliqua re, hæc ſingulorum diſtinctio propriam vim habet. Quando autem ad expectationem quandam provocanda eſt mens, aut ad magnitudinem adventantis rei digne concipiendam, docet ipſa natura ut hæc comminiſcamur artificia, et quaſi ſignis quibuſdam ingruentem hyemem commonſtremus. Nonne etiam in vulgi circulis et congreſſionibus videmus eos qui facinus aliquod inſigne aut portentum narrant, ut rem præcipuam callide velent, ut moras nectant, ut eventum diſtineant, ut ſingula vel minima prius recenſeant quam ad interiora rei progrediantur? Neque id auditorum impendio faciunt; quin hoc ipſo multo intentiores omnium animi fiunt et erectiores.

Mille ex Virgilio loca adferri poſſent, quæ, ut cætera, ita hoc optime ſenſiſſe ſummum poetam docent. Æneæ legatos non niſi interjecta mora ac veluti per veſtibulum ad graviſſimum regem Latinum introducit.

Ille inter tecta vocari
Imperat, et ſolio medius conſedit avito.
Tectum auguſtum, ingens, centum ſublime columnis,

Urbe fuit ſumma, Laurentis regia Pici,
Horrendum ſylvis, et relligione parentum.
Æn. vii. 168.

Quinetiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua e cedro, Italuſque, paterque Sabinus
Vitiſator, curvam ſervans ſub imagine falcem;
Saturnuſque ſenex, Janique bifrontis imago,
Veſtibulo adſtabant: aliique ab origine reges,
Martia qui ob patriam pugnando vulnera paſſi.
Multaque præterea ſacris in poſtibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque ſecures,
Et criſtæ capitum, et portarum ingentia clauſtra,
Spiculaque, clypeique, ereptaque roſtra carinis.
Ibid. 177.

Tali intus templo Divum, patriaque Latinus
Sede ſedens, Teucros ad ſeſe in tecta vocavit.

Quas vero non ſtruit ambages, quo ad luctuoſam illud Trojæ excidium tarde et pedetentim accedamus!

Dividimus muros, et mœnia pandimus urbis,
Accingunt omnes operi: pedibuſque rotarum
Subjiciunt lapſus, et ſtupea vincula collo
Intendunt: ſcandit fatalis machina muros,
Fœta armis: pueri circum innuptæque puellæ
Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.
Illa ſubit, mediæque minans illabitur urbi.
Æn. ii. 234.

Quo etiam modo Sinonem facit loquentem,

Jamque dies infanda aderat; mihi ſacra parari,
Et ſalſæ fruges, et circum tempora vittæ;
Æn. ii. 132.

hujuſce artificii vim duplici argumento confirmans, cum hæc callido nequiſſimoque ſimulatori tribuit.

Tanta quidem eſt in ſingulis enarrandis gratia ac tanta vis, modo in re grandi aut magnifica fiat, ut

nequaquam hoc facere ſolis in uſu ſit Poetis, ſed ne tum quidem a proſa oratione, graviſſimis auctoribus, alienum habeatur. Quas laudes a Longino tulerit celeberrimus Demoſthenis locus de Elateæ occupatione nemo neſcit; qui locus tamen fere in hoc ſolo vertitur. At, ne forte quis hoc inter rhetoricæ pigmenta referat, etiam in Thucydide (cujus brevitas fere in proverbium abiit) nonnulla ſunt quæ ſimiliter in hanc libertatem excurrunt. Quod jam princeps in hoc genere mihi in mentem venit, eſt de claſſe in Siciliam Athenis profectura. Poſtquam enim ſatis copioſe dinumeraſſet quæ in navibus, copiis, commeatu, cæteriſque comparandis inſumpta eſſent, quo rem non exiguam agi ſignificaret, hæc inſuper adjungit, quorum nulla plane eſt virtus niſi ut erectos intentoſque lectorum animos reddant.

Ἐπειδὴ δὲ αἱ νῆες πλήρεις ἦσαν, καὶ ἐσέκειλο πάνλα ἤδη ὅσα ἔχοντες ἔμελλον ἀνάξεσθαι, τῇ μὲν σάλπιγγι σιωπὴ ὑπεσημάνθη, εὐχὰς δὲ τὰς νομιζομένας πρὸ τῆς ἀναγωγῆς, ὡ κατὰ ναῦν ἑκάςην, ξύμπαντες δὲ ὑπὸ κήρυκος ἐποιοῦντο· κρατῆράς τε κεράσαντες παρ' ἅπαν τὸ ςράτευμα, καὶ ἐκπώμασι χρυσοῖς τε καὶ ἀργυροῖς οἵ τε ἐπιβάται καὶ οἱ ἄρχοντες σπένδοντες. ξυνεπεύχοντο δὲ καὶ ὁ ἄλλος ὅμιλος ὁ ἐκ τῆς γῆς, τῶν τε πολιτῶν, καὶ εἴτις ἄλλος εὔνους παρῆν σφίσι. παιωνίσαντες δὲ, καὶ τελεώσαντες τὰς σπονδὰς, ἀνήγοντο. *Thucyd.* vi. 32.

Paria quædam ſunt in Xenophonte, caſto, ſi quis alius, et ſimplici ſcriptore. Perlegat aliquis locum in Expeditione Cyri, ubi Regis exercitum jam adventare ſubitus occurrit nuntius Cyro, ipſi negligentius tum agenti agmen. Totæ narrationi mirabilis quidam ſpiritus ac lumen offunditur, ut numeris adjectis nequaquam ipſi Homero cederet.

Καὶ Κῦρός τε καταπηδήσας ἐκ τοῦ ἅρματος τὸν θώρακα ἐνέδυ, καὶ ἀναβὰς ἐπὶ τὸν ἵππον τὰ παλτὰ εἰς χεῖρας ἔλαβε, τοῖς τε ἄλλοις

πᾶσι παρήγγελλεν ἐξοπλίζεσθαι καὶ καθίζασθαι εἰς τὴν ἑαυτῦ τάξιν ἕκαστον. *Xenoph. Anab.* i. 8. 3.

Hoſtium autem conſpectus paullatim ſubeuntium, et magis magiſque ſe in oculos aperientium terribili ἐναργείᾳ depingitur.

Καὶ ἤδη τε ἦν μέσον ἡμέρας, καὶ οὔπω καταφανεῖς ἦσαν οἱ πολέμιοι. ἡνίκα δὲ δείλη ἐγένετο, ἐφάνη κονιορτὸς, ὥσπερ νεφέλη λευκὴ, χρόνῳ δὲ ὑ συχνῷ ὕστερον, ὥσπερ μελανία τις ἐν τῷ πεδίῳ ἐπὶ πολύ. ὅτε δὲ ἐγγύτερον ἐγίγνοντο, τάχα δὴ καὶ χαλκός τις ἤστραπτε, καὶ αἱ λόγχαι καὶ αἱ τάξεις καταφανεῖς ἐγίγνοντο.

Xenoph. Anab. i. 8. 8.

Quantum diſtant hæc omnia quæ attulimus ab exili rerum deſcriptione et περιεργίᾳ iſta quam in Statio, Ovidio et Claudiano notavimus, nemini, credo, non liquet. At diſtant tamen, non tam quod in his propius ad naturam res deſcribitur, quam quia deſcriptio ipſa ſuo loco adhibetur, quia ſenſus erigit, quia naturæ humanæ convenit, quæ mirifice tali apparatu movetur, ſi quando ſic ad ulteriora quædam itur et majora.

Quamobrem melius forſan inſtituto noſtro conſuluiſſe viderer, ſi quæ de his dicta ſunt, jam præteriiſſem, ut quæ potius pertineant ad phantaſiæ partes et commotæ mentis impetus, aut denique ad leges iſtas quibus tota poemata fingi ac dirigi oportet, quarum doctrinam poſtremo in loco tractandam judicavi. Neque profecto ita ſe rem habere negare poſſum. Sed utilitati, quam omnino ſequor, cedat interdum neceſſe eſt inſtituti operis forma; neque aliter viſum eſt perſpicuam ſatis a me reddi poſſe doctrinam de Imitatione Poetica, nec ſcrupulos prorſus ex animis nonnullorum eximi, qui fortaſſe infimo in loco ea me habere putarent, quæ poeſeos vim admodum ſibi videntur augere, et vere augent.

Quinetiam ea eſt omnium poetices partium inter ſe conjunctio, ut penitus divelli, et per ſe quæque tractari nequeant: quantum poterit, hoc ita fieri curandum eſt: ſed non eſt quod quis jure miretur, ſi diverſæ aliquando in ſe invicem incurrant partes, cum et eo ſæpe nos trahat argumenti curſus, et ratio ipſa poſtulet.

Jam vero, quæ ad perfectam Poeticæ deſcriptionis artem ſpectant, dicenda reſtant aliqua. Eam equidem artem, quantum in externis verſatur, tametſi inter ſumma Poetæ munera referre nolui, tamen elegantiæ et ſuavitatis laudem ſibi conciliare et facile patior, et hanc lubens ipſe tribuo. Quod ſi ea mente ad veteres nos convertamus poetas, ut quibus hæc laus potiſſimum conveniat, ſeligamus, non levi inde etiam argumento probari poſſe opinor, æquam eſſe noſtram de hac re ſententiam. Etenim (ut a Virgilio diſcedamus, qui hic quoque palmam facile cæteris præripuit) neminem apud Latinos Claudiano anteferendum cenſeo. Proximum poſt hunc locum tenet Statius, niſi quis forte Ovidium malit, deinde Italicus, Lucanus, cæteri qui in hoc genus ſcribendi multam impenderunt operam. Poſt Latinos ne quis miretur me Græcos nominare. Quoniam (ſi Apollonium excipiamus) hujuſmodi gloria, qualiſcunque tandem fuerit, apud antiquiores Græcos eſt certe minor. Cedit etiam in hoc Theocritus. In nobiliſſimis poetis Æſchylo et Pindaro fruſtra quæritur quod proprium picturæ ingenium ſapit. Fit nonnunquam in Euripide et Sophocle, ut in hujus Antigone, in illius Polyxena et Alceſtide moribunda: ſed hoc rarius: atque etiam hic plus poſitum eſt in commovendis affectibus quam in rei imagine nitide

enucleanda. Quod vero audacius fortaſſe atque inſolentius dictum videbitur, dicetur tamen—ipſi etiam Homero, quanquam intima ei patebant naturæ penetralia, et omnia cœli terræque ſpatia videtur unus complecti, tamen artem hanc externas res depingendi ab affectibus et moribus ſejunctas, aut deeſſe ferme judico, aut ab eo contemptui haberi.

Reclamantem in hac parte cum antiquitatem omnem, tum præſertim Ciceronem me habere novi, cujus ſunt illa de divino vate jampridem recitata, ‘ Quæ ſpecies ac forma pugnæ, quæ acies, quod ‘ remigium, qui motus hominum, qui ferarum non ‘ ita expictus eſt, ut quæ ipſe non viderit, nos ut ‘ videremus effecerit ?’ Tuſc. v. 39.

Aliquid ex hoc præconio oratoris ingenio tribuendum eſſe jam ante dixi—nonnihil inſuper dandum videtur ætatis iſtius ingenio, quæ ut vixdum hiſce artibus florere ipſa cœperat, ita in admirationem veterum magis erat converſa. Sumptis autem exemplis aliquot, videamus utrum recentiores non verſati fuerint in hoc genere felicius, ſi quidem id felicius habendum eſt, rem ita ſuis adjunctis diſtinguere, ut eam magis in propatulo ponas.

Plurima ſunt Homeri loca quæ in re navali fuſe explicanda immorantur; quando aut in mare deducitur navis, aut velis ſive remigio per fluctus agitur, aut ad terram appellitur: e quibus vero omnibus vix unum aut alterum invenias, qui rem ita exponit ut picturam efficiat, niſi ſingulos motus geſtuſque corporis fideliter ac nudo ſermone referre, id demum ſit pictorem agere. Sic in quarto Odyſſeæ :

Νῆας μὲν πάμπρωτον ἐρύσσαμεν εἰς ἅλα δῖαν,
Ἐν δ' ἱστὸς τιθέμεσθα καὶ ἱστία νηυσὶν ἔτυχε·

Ἐν δὲ καὶ αὐτοὶ βάντες ἐπὶ κληῖσι κάθιζον,
Ἑξῆς δ' ἑζόμενοι πολιὴν ἅλα τύπτον ἐρετμοῖς. *Od.* Δ. 577.

Similiter in eodem libro,

Νῆα μὲν ἂρ πάμπρωτον ἁλὸς βένθοσδε ἔρυσσαν·
Ἐν δ' ἱστόν τ' ἐτίθεντο καὶ ἱστία νηῒ μελαίνῃ·
Ἠρτύναντο δ' ἐρετμὰ τροποῖς ἐν δερματίνοισι,
Πάντα κατὰ μοῖραν· ἀνά Ϝ' ἱστία λεύκ' ἐπέτασσαν,
Τεύχεα δέ σφιν ἔνεικαν ὑπέρθυμοι θεράποντες·
Ὑψῆ δ' ἐν νοτίῳ τὴν γ' ὥρμισαν· ἐν δ' ἔβαν αὐτοί. *Ib.* 781.

Præter otioſa vocabula μελαίνῃ et λεύκα cætera meram narrationem non ſuperant. Vix opus eſt ut plura hujuſmodi congeram, cujus generis plerique veſtrûm bene multa, ut opinor, memoria tenetis. Semel in duodecimo ejuſdem poematis, cum eadem res agitur, dari videtur aliquid oculorum delectationi.

—οἱ δ' ἐπ' ἐρετμὰ
Ἑζόμενοι, λεύκαινον ὕδωρ ξεςῆς ἐλάτῃσιν. *Od.* M. 171.

Etiam illa Telemachi navigatio, quanquam in principiis magnarum rerum paulo liberius effundi ſolent poetæ, nullo tamen imaginum delectu commendatur oculis. Malum, vela, rudentes ſuo more recenſet: tum

Ἔπρησεν δ' ἄνεμος μέσον ἱστίον·

ne ſic quidem rem, ut ita dicam, oculis aperit: narrat tantum:—at quæ ſequuntur

ἀμφὶ δὲ κῦμα
Στείρῃ πορφύρεον μεγάλ' ἴαχε, νηὸς ἰούσης·

tametſi in minutiora quædam et adjuncta deſcendant, tamen ad aures non minus quam ad oculos referuntur.

Nunc autem, ut eandem rem in cæteris perſequamur, imprimis ab Apollonio eſt ordiendum. Egregia

eſt illius deſcriptio, qua Navem Argo ædificatam jam et omni inſtrumento ornatam in mare deducentes heroas fingit. Stratis igitur phalangibus, per quas navis feratur in aquam lapſura, et fune utrinque ad latera navis affixo, hunc in modum inſiſtit.

Ὣψι δ' ἄρ' ἔνθα κὴ ἔνθα μεταστρέψαντες ἐρετμὰ
Πηχύϊον πρὄχοντα περὶ σκαλμοῖσιν ἔδησαν.
Τῶν δ' ἐναμοιβαδὶς αὐτοὶ ἐνέσαθεν ἀμφοτέρωθεν,
Στέρνα θ' ὁμῶ κὴ χεῖρας ἐπήλασαν· ἐν δ' ἄρα Τίφυς
Βήσαθ', ἵν' ὀτρύνειε νέας κατὰ καιρὸν ἐρύσσαι.
Κεκλόμενος δ' ἤϋσε μάλα μέγα· τοὶ δὲ παρᾶσσον
Ὦ κράτεϊ βρίσαντε μιῇ ςυφέλιξαν ἐρωῇ
Νειόθεν ἐξ ἕδρης, ἐπὶ δ' ἐῤῥώσαντο πόδεσσιν
Προπροβιαζόμενοι· ἡ δ' ἔσπετο Πελιὰς Ἀργὼ
Ῥίμφα μάλ'· οἱ δ' ἑκάτερθεν ἐπίαχον ἀΐσσοντες.

Arg. i. 378.

Quot ille habet non ſparſas diſſitaſque imagines, ſed ita conſpirantes inter ſe atque in unum coeuntes, ut ſtatim in tabulam pictoris transferri poſſent! Navem rurſus in altum provectam et remorum impetu per fluctus propulſam eodem modo proſequitur, non ſingula ſingulis ex ordine adjiciens, ſed delectu habito, rem iis diſtinguens luminibus quæ ut rem coram agi videatur efficiunt, quæque, ſi ageretur, ſpectantium oculos præcipue tenerent.

Ὡς οἱ ὑπ' Ὀρφῆος κιθάρῃ πέπληγον ἐρετμοῖς
Πόντῳ λάβρον ὕδωρ· ἐπὶ δὲ ῥόθια κλύζοντο·
Ἀφρῷ δ' ἔνθα κὴ ἔνθα κελαινὴ κήκιεν ἅλμη,
Δεινὸν μορμύρουσα ἐρισθενέων μένει ἀνδρῶν.
Στράπτε δ' ὑπ' ἠελίῳ φλογὶ εἴκελα, νηὸς ἰούσης,
Τεύχεα· μακραὶ δ' αἰὲν ἐλευκαίνοντο κέλευθοι,
Ἀτραπὸς ὥς χλοεροῖο διειδομένη πεδίοιο. *Arg.* i. 540.

Ab hujus loci ſpiritu ac colore illo de quo nunc

præſertim agitur, longe abeſt Valerius, quem tamen in cæteris ducem ſuum æquis fere paſſibus ſequi dixerim. Sed ex minoribus poetis petenda ſunt exempla quæ rem accurate expediunt—certe quæ id impenſe ſtudent, ut imagines quaſdam nobis tanquam ſpectantibus objiciant. Quale eſt illud Italici,

> Jamque adeo egreſſi ſteterant in litore primo,
> Et promota ratis, *pendentibus arbore nautis,*
> *Aptabat ſenſim pulſanti carbaſa vento.*
>
> *Sil. Ital.* iii. 128.

Eadem fere res adhuc venuſtius a Lucano aperitur!

> Sidera prima poli Phœbo labente ſub undas
> Exierant, et luna ſuas jam fecerat umbras:
> Cum pariter ſolvere rates, totoſque rudentes
> Laxavere ſinus: et flexo navita cornu
> Obliquat lævo pede carbaſa, ſummaque pandens
> Suppara velorum perituras colligit auras.
> Ut primum levior propellere lintea ventus
> Incipit, exiguumque tument, mox reddita malo
> In mediam cecidere ratem: terraque relicta
> Non valet ipſa ſequi puppes, quæ vexerat aura.
>
> *Lucan.* v. 424.

Nihil autem habet Homerus quæ remigum motus tanquam ſpectaculum prætendunt, ut illa Italici;

> At, patulo ſurgens jam dudum ex æquore, late
> Nauticus implebat reſonantia litora clamor,
> Et, *ſimul adductis percuſſa ad pectora tonſis,*
> Centeno fractus ſpumabat verbere pontus.
>
> *Sil. Ital.* ii. 487.

Quis vero lintrem non ſubſultare cernit dum iſta perlegit?

> Quanta eſt vis agili per cærula ſumma Liburnæ,
> Quæ, pariter quoties revocatæ ad pectora tonſæ

Percuſſere fretum, ventis fugit ocior, et ſe,
Quam longa eſt, uno remorum præterit ictu.
Sil. xiii. 240.

Hoc idem in compluribus aliis pariter obtinere facillimo negotio monſtrari poſſet. Arma ac veſtitus ſigillatim percenſere ſolenne eſt Homero: raro tamen eo hoc facit conſilio, ut diverſæ partes in unum quiddam apte coaleſcant, et figura quaſi adumbrata permulceant animum. Fit enim plerumque, ſicuti ſupra monſtravimus, quando adaugere vult expectationem, aut ſenſus animi affectuſque commovere.

Hac mente interdum terribili nos imagine minacis galeæ percellit;

—δεινὸν δὲ λόφος καθύπερθεν ἔνευεν. *Iliad.* Γ. 337.

aut clypei fulgorem magnifice effert,

Τῷ δ' ἀπάνευθε σέλας γένετ' ἠΰτε μήνης. Τ. 374.

quo ſublimiores fierent noſtri de principe bellatore conceptus. Quam vero penitus diverſam rem agit Claudianus, cum armatas Stilichonis acies his verſibus depingit!

Hic ultrix acies ornatu fulgida Martis
Explicuit cuneos: pedites in parte ſiniſtra
Conſiſtunt: equites illic poſcentia curſum
Ora reluctantur preſſis ſedare lupatis.
Hic alii ſævum criſtato vertice nutant,
Et tremulos humeris gaudent vibrare colores,
Quos operit formatque chalybs: conjuncta per artem
Flexilis inductis animatur lamina membris,
Horribilis viſu: credas ſimulachra moveri
Ferrea, cognatoque viros ſpirare metallo.
Par veſtitus equis: ferrata fronte minantur,
Ferratoſque levant ſecuri vulneris armos,
Diviſo ſtat quiſque loco: metuenda voluptas

Cernenti pulcherque timor; ſpiriſque remiſſis
Manſueſcunt varii vento ceſſante dracones.
Claud. Ruf. ii. 351.

Vix quenquam id credo fugere, quam omnia in conſpectu ponat, quam in hoc fere totus laboret, ut res veræ vivæque exprimantur—non ut ardorem animi excitet, ſed quæ ductis lineis pictor efficeret, eadem ut verbis diſtincta reddat.

Sunt profecto qui vividas mirantur ferarum deſcriptiones quas carminibus ſuis Homerus inſeruit: neque injuria: quoniam tunc materia utitur nobili, quæ et rem plerumque illuſtrat pulcherrime, et lectorem imaginibus novis reficit, et non raro ad naturæ ſimilitudinem proxime accedit. Quod ſi in certamen artis veniant, cedant opinor recentioribus quibuſdam, quibus etſi ingenio ſuo interdum nimis indulgeant, ineſt tamen proprius nitor atque elegantia, et ſingularis quædam in externis depingendis felicitas. Leonem *ille* habet (ut exemplo utamur) ſævientem ira, venatoribus undique ſeptum, aut prædæ inhiantem—*hi* feræ effigiem adumbrant, ſingulos monſtrant geſtus, diducunt rictus, dentes aperiunt, jubam quaſſant—aut denique aliqua addunt foris petita, quæ nihil ad rem faciunt, niſi ut picturam reddant plenam et abſolutam.

Quem ad modum Italicus,

Illa pererrat
Deſertas victrix valles, jamque ora reducto
Paullatim nudat rictu, ut præſentia mandens
Corpora, et immani ſtragem meditatur hiatu.
Punic. iv. 334.

Et rurſus de tigre vulnerata

— ceu vulnere tigris
Letifero cedens tandem, projectaque corpus

Luctatur morti, et languentem pandit hiatum
In vanos morſus, nec ſufficientibus iræ
Ictibus, extrema lambit venabula lingua.
Punic. x. 295.

Optimus eſt in eadem re Lucanus,

Pannonis haud aliter poſt ictum ſævior urſa,
Cum jaculum parva Libys amentavit habena,
Se rotat in vulnus: telumque irata receptum
Impetit, et ſecum fugientem circuit haſtam.
Lucan. vi. 220.

Quibus adjungi poteſt Statius nemini priorum ſecundus,

Qualis ubi audito venantum murmure tigris
Horruit in maculas, ſomnoſque excuſſit inertes;
Bella cupit, laxatque genas, et temperat ungues;
Mox ruit in turmas, natiſque alimenta cruentis
Spirantem fert ore virum. *Theb.* ii. 128.

Habet effigiem pari arte effictam Claudianus,

Ille, velut ſtabuli decus armentique juvencam
Cum leo poſſedit, nudataque viſcera fodit
Unguibus, et rabiem totos exegit in armos,
Stat craſſa turpis ſanie, nodoſque jubarum
Excutit, et viles paſtorum deſpicit iras.
Rapt. Proſ. ii. 209.

Nihil autem propius ad picturam accedit quam comparatio illa feræ, pleno theatro in arenam miſſæ.

Ut fera, quæ montes nuper dimiſit avitos,
Altorumque exul nemorum damnatur arenæ
Muneribus, commota ruit, vir murmure contra
Hortatur, nixuſque genu venabula tendit.
Illa pavet ſtrepitus, cuneoſque erecta theatri
Reſpicit, et tanti miratur ſibila vulgi.
Claud. Ruf. ii. 394.

Plurimis hoc adhuc comprobarem, niſi in re aperta vererer, ne ſim nimius. Quoniam tamen rem, ut mihi videtur non inutilem neque inelegantem reliquerunt intactam hactenus Critici, pauca quæ cum hoc genere ſcribendi conjuncta mihi inter legendum obſervatu digna obtigerint, et quæ ad poeticum cujuſque ætatis ingenium rite expendendum apprime ſunt idonea, poſtquam in modum quendam et rationem fuerint redacta, proxima prælectione me vobis prolaturum ſpero.

Interea, ne quis me læſæ majeſtatis Homericæ inſimulet, quid præcipue mihi videatur in cauſa fuiſſe, cur minores hac facultate magis polleant, breviter perſtringam.

Primum igitur eſt, quod *illi* fabula et mores ſemper tanquam ſcopus ſunt propoſita :—hæc ardens inſequitur :—in his unice hæret : quicquid animum alias abducat, et in frivolis otioſiſque defixum teneat, tanquam operi impedimentum repudiat ; aut ſi quando extra limitem vagari libet, ad grandia et terribilia potius ſe convertit :—neque vacat deſcriptionibus, niſi quæ inſerviant argumento, aut affectus commoveant, aut ſint quodammodo cum moribus perſoniſque conjunctæ. Tantopere autem cauſæ, ut ita loquar, inſtat, ut quæ de ſummo Oratore dicta ſunt in hunc pariter conveniant, ‘ Omnia, etiam quæ ‘ delectationi videntur data, ad victoriam ſpec- ‘ tant.’

Hæc igitur cauſa poſita eſt in ipſius judicio ac voluntate. Extra voluntatem eſt reliqua ; quæ porro petenda eſt ex cognatæ artis hiſtoria. Multum in regionum ac locorum deſcriptione poetas pictoribus debuiſſe jam ante oſtenſum eſt : Atqui re diligentius

perpenſa, non in hac parte ſolum, verum et in formis omnibus referendis plurimum iis profuiſſe arbitror picturæ exemplum. Etenim ex quo perfecta evaſerat Ars pingendi (quod non ante Apellem factum ſatis conſtat) mira quædam poetas torquere cura cœpit imagines accurate et venuſte delineandi, novus inde continuo irrepſit operibus nitor, nova lætitia :—tum lumina diſponere, colores variare—quid in quaque re maxime eſſet proprium obſervare—elicere hoc atque ornare, et quaſi expoſito ſpectaculo legentibus ultro offerre ; donec progreſſu ætatis magis magiſque hac luxuria diffluerent, et ſicut hodie in compluribus poetis cernitur, priſtina illa vis ac virile robur, ſenſim in elegantiam quandam et cultum puerilem migraret. In quos equidem et in fautores ſuos convicium illud Homericum non verebor inferre,

Ἦπυ καγχαλόωσι καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ,
Φάντες ἀριςῆα πρόμον ἔμμεναι, οὕνεκα καλὸν
Εἶδος ἔπ'· ἀλλ' οὐκ ἔςι βίη φρεσὶν, οὐδέ τις ἀλκή.

PRÆLECTIO SEXTA.

Picturæ plurimum debuiſſe Poeticam artem—quod in poetis recentioribus potiſſimum cernitur. Hi plerumque oculorum voluptati ſtudent. Quo in genere plus ſæpe efficitur ſingulare quiddam proferendo quam multa. Idem fere obtinet in reliquis naturæ partibus deſcribendis—ad quas fit tranſitus.

QUONIAM in hunc finem nata videtur Poeſis, ut puram animo voluptatem præbeat, et quoniam cuilibet in promptu ſit videre, hominum mentes iis magnopere delectari fabulis quæ præterita aut abſentia tanquam oculis objiciunt, fieri vix potuit quin ſtatim a principio hiſce oblectamentis opera ſua condire vellent poetæ, quanquam ad altiores et nobiliores animi affectus movendos potiſſimum ſe contulerint. Unde et Homero cæteriſque veteribus in uſu fuiſſe conſtat locos, regiones, perſonas ita coloribus notiſque propriis diſtinguere, ut certam induerent ac definitam formam; atque minora interdum rerum adjuncta perſequi, quorum ope ſpeciem totam magis arriperent, atque ut ita dicam, uſurparent oculi. Cujus rei quanta ſit virtus, cum ſæpe antehac exemplis ſit edoctum, tum et alias una cum præceptis aliquot accuratius monſtrabitur.

Quod vero ſuperioris prælectionis in fine breviter perſtrinxi (priuſquam ad cætera progrediar) paucis adhuc comprobatum volo—nempe 'pictores in hac 'parte maximo fuiſſe poetis ſubſidio:' quorum

ætas ut in poſteriora tempora incidit quam ut principi illi Poetarum prodeſſe potuerit, ita recentioribus quibuſdam cum illo comparatis, conſtabit illico quantos hi fructus exinde perceperint.

Claudianum maxime huic generi ac feliciter ſtuduiſſe jam ante dictum eſt. Hujus eſt ſuaviſſima Antri deſcriptio quo Venus Gratiis comitata et Amoribus feſſam ſe recipit.

Forte Venus blando quæſitum frigore ſomnos
Vitibus intexti gremio ſucceſſerat antri,
Denſaque ſidereos per gramina fuderat artus,
Acclinis florum cumulo: criſpatur opaca
Pampinus, et mites undatim ventilat uvas.
Ora decet neglecta ſopor, faſtidit amictum
Æſtus, et exuto tranſlucent pectore frondes.
Idaliæ juxta famulæ, triplexque viciſſim
Nexa ſub ingenti requieſcit Gratia quercu.
Pennati paſſim pueri, quo quemque vocavit
Umbra, jacent: fluitant arcus, ramiſque propinquis
Pendentes placido ſuſpirant igne pharetræ.
Pars vigiles ludunt, aut per virgulta vagantur,
Scrutantur nidos avium, vel roſcida læti
Mala legunt donum Veneris, flexuſque ſequuntur
Palmitis, et ſummas pennis librantur in ulmos.

Claud. xxxi. *Epithal. Pall. et Celer.* 1.

Conferantur hæc cum Homero in materia non diſſimili, ubi ſcilicet Calypſûs antrum omni artis lenocinio, et imaginum delectu, et dulcedine carminis commendare voluit.

Ἡ δ' ἔνδον ἀοιδιάουσ' ὀπὶ καλῇ
Ἱστὸν ἐποιχομένη, χρυσείῃ κερκίδ' ὕφαινεν.
Ὕλη δὲ σπέος ἀμφιπεφύκει τηλεθόωσα,
Κλήθρη τ', αἴγειρός τε, ἢ εὐώδης κυπάρισσος.
Ἔνθα δὲ τ' ὄρνιθες τανυσίπτεροι εὐνάζοντο,
Σκῶπές τ', ἴρηκές τε, τανύγλωσσοί τε κορῶναι

Εἰνάλιαι, τῇσίν τε θαλάσσια ἔργα μέμηλεν.
Ἡ δ' αὐτῇ τετάνυστο περὶ σπείρης γλαφυροῖο,
Ἡμερὶς ἠβώωσα, τεθήλει δὲ σταφυλῇσι·
Κρῆναι δ' ἐξείης πίσυρες ῥέον ὕδατι λευκῷ,
Πλησίαι ἀλλήλων τετραμμέναι ἄλλυδις ἄλλη·
Ἀμφὶ δὲ λειμῶνες μαλακοὶ ἴα, ἡδὲ σελίνα,
Θήλεον· *Odyſſ.* E. 60.

Quanquam animum lectoris permulcet uberrima illa rerum gratiſſimarum copia, tamen nihil hic ante oculos explicatur, nihil ſuo loco et ordine, ut quid ſit præcipuum quid ſecundum intelligamus, nihil denique eorum quæ in picturis *parerga* vocant, quæ præcipuæ rei inhærere ſicut membra corpori, et tabulam explere ſolent. Quæ omnia in altero plane elucent.

Ex millibus Claudiani delectu dignis, dum in hac quæſtione verſamur, unum aut alterum adjiciam quæ picturam omnino ſapiunt. In dulciſſimo poemate de Nuptiis Honorii et Mariæ, Matrem ſuam accerſit Cupido, obſecrans ut adeſſe dignetur feſtis, et votis annuat. Omitto Cupidinis volantis, Veneris a Gratiis ornatæ, aliaſque egregie effictas imagines; Deam autem triumphali Tritone per æquora invectam admirabili arte expreſſit; ſed ita tamen expreſſit ut quantum debeat pictoribus nequaquam lateat.

Prorupit gurgite torvus
Semifer: undoſi verrebant brachia crines
Hiſpida tendebat bifido veſtigia cornu,
Qua priſtis commiſſa viro: ter pectora movit;
Jam quarto Paphias tractu ſulcabat arenas;
Umbratura Deam retro ſinuatur in arcum
Bellua: tum vivo ſqualentia murice terga
Purpureis mollita toris: hoc navigat oſtro
Fulta Venus: niveæ delibant æquora plantæ.

Proſequitur volucrum late comitatus Amorum,
Tranquillumque choris quatitur mare: Serta per omnem
Neptuni diſperſa domum: Cadmeia ludit
Leucothoë, frenatque roſis delphina Palæmon.
Cl. x. *Nupt. Hon. et Mar.* 144.

Ejuſdem eſt elegantiſſima Hymenæi effigies, quo nihil præſtantius in hoc genere novi, niſi forte excipias Achillis jam ephebi pulcherrimam deſcriptionem in Achilleide Statii. Utrique ut opinor plurimum profuit pictura. Claudiani ſunt hæc:

Conſpicitur tandem. Platano namque ille ſub alta
Fuſus inæquales cera texebat avenas,
Mænalioſque modos, et paſtoralia labris
Murmura tentabat relegens, oriſque recurſu
Diſſimilem tenui variabat arundine ventum.
Reſtitit, ut vidit Venerem, digitiſque remiſſis
Ad terram tacito defluxit fiſtula lapſu.
Dulce micant oculi: niveas infecerat igni
Solque pudorque genas: dubiam lanuginis umbram
Cæſaries intonſa tegit.
Cl. xxxi. *Epith. Pall. et Celer.* 34.

Non multo aliter Ovidius Apollinem adumbrat,

Ille caput flavum lauro Parnaſſide vinctus,
Verrit humum Tyrio ſaturata murice palla;
Inſtructamque fidem gemmis, et dentibus Indis,
Suſtinet a læva: tenuit manus altera plectrum.
Artificis ſtatus ipſe fuit. *Ov. Met.* xi. 166.

Geſtus habitumque corporis pari cum diligentia diſtinguit idem in Europa,

——— pavet hæc: littuſque ablata relictum
Reſpicit: et dextra cornu tenet; altera dorſo
Impoſita eſt: tremulæ finuantur flamine veſtes.
Met. ii. 874.

Rurſus in Arachnes tela intextam Europam facile quis a pictura in carmen tranſlatam dixerit.

> Ipſa videbatur terras ſpectare relictas,
> Et comites clamare ſuas, *tactumque vereri*
> *Aſſilientis aquæ*; *timidaſque reducere plantas.*
> *Met.* vi. 105.

Quod vero belle atque eleganter figuræ quaſi in cumulum addit de veſtibus vento ſinuatis, id ex eodem ut opinor fonte deductum non fugit Claudianum; qui in Græco carmine de Gigantomachia ſic depingit Venerem;

> Λεπτὰς εὐανέμοιο ῥαφὰς χαλάσασα χιτῶνος.

Neque infirmo prorſus argumento contenderim, ſi deeſſent alia, Hymnos qui vocantur Homeri Poetæ illius ætati certe non omnes convenire, quod in quibuſdam huic ſimile quoddam reperitur, ſicut in illo ad Solem;

> Περὶ κροτάφοισι τ' ἔθειραι
> Λαμπραὶ ἀπὸ κρατὸς χαρίεν κατέχουσι πρόσωπον
> Τηλαυγές· καλὸν δὲ περὶ χροΐ λάμπεται ἕσθος
> ΛΕΠΤΟΥΡΓΕΣ ΠΝΟΙΗ ΑΝΕΜΩΝ.

Theocritum jamdudum dixi minus hoc artificio pollere—tamen Amyci Athletæ forma ad exemplum ſtatuæ alicujus inſignis aut tabulæ videtur exprimi. Certe apud veteres poetas, in membris ac lacertis referendis non tam curioſe ſolet elaborari.

> Στήθεα δ' ἐσφαίρωτο πελώρια, καὶ πλατὺ νῶτον,
> Σαρκὶ σιδαρείῃ, σφυρήλατος οἷα κολοσσός·
> Ἐν δὲ μύες τερεοῖσι βραχίοσιν ἄκρον ὑπ' ὦμον
> Ἕστασαν, ἤυτε πέτροι ὀλοίτροχοι, ἥς τε κυλίνδων
> Χειμάῤῥους ποταμὸς μεγάλαις περιέξεσε δίναις.

Αὐτὰρ ὑπὲρ νώτοιο καὶ αὐχένος ἤωρεῖτο
Ἄκρων δέρμα λέοντος ἀφημμένον ἐκ ποδεώνων.

Εἰδυλλ. κβ'. 44.

Infinita ſunt poetarum præſertim Romanorum loca quæ eodem fere redeunt—digna ſane memoratu et perquam jucunda, niſi ad alia properanti nimis longam injeciſſent moram. Duo tamen breviſſima ex Silio Italico adjungam, alterum de Cupidine,

Parvulus ex humero corytos, et aureus arcus
Fulgebat, nutuque vetans trepidare parentem,
Monſtrabat gravidam telis ſe ferre pharetram.

Sil. vii. 443.

Pana alterum his verſibus ad unguem depingit, ſicuti in tabulis ſigniſque non raro expreſſum vidimus,

Interdum inflexus, medio naſcentia tergo
Reſpicit arridens hirtæ ludibria caudæ:
Obtendenſque manum ſolem inferveſcere fronti
Arcet, et umbrato perluſtrat paſcua viſu.

Sil. xiii. 339.

Hactenus de ſubſidiis quæ ex cognatis artibus peti videntur. At perſæpe in poetica imitatione, longe diverſa ab his ratione utendum eſt, ac via plane ſua; quippe ubi majora rerum lineamenta, tanquam communia et ſatis nota præterimus, et pauca modo aut fortaſſe unum duntaxat, quod ejus rei quam tractamus maxime ſit proprium, aperte commonſtramus. Quo ſemel arrepto, facili negotio mens ad reliqua tranſire, et tacita poteſt cogitatione quod deeſt ſupplere.

Namque ut in moribus hominum accurate tradendis non ſatis eſt prima ac rudia deſcribere elementa, quæ tametſi maximam ſibi mentis partem vendicent, nihil tamen conferunt ad ſinguli cujuſ-

que naturam penitius expediendam, et qui callide hanc rem agunt, ad minuta potius atque ea quæ caſu eveniunt tanquam indices animi certiſſimos ſe convertunt; ita ſæpe fit et in externis rerum figuris, ut quod vulgi oculos capit nihil habeat in ſe diſtinctum aut proprium: latet hoc plerumque, et a communi viſu recedit, non niſi intenta acie et doctis luminibus eruendum.

Mirum eſt quantum in hoc genere efficere poteſt acre ac ſubtile ingenium longo uſu excultum. 'Quam multa,' exclamat optimus ille et artium ingenuarum et intimæ philoſophiæ interpres Cicero, 'quam multa vident pictores in umbris et in emi-'nentiis quæ nos non videmus!' Et profecto neſcio unde fit, in iis ipſis rebus quas vulgus quotidie intuetur, neſcit tamen plerumque ubinam partium conſiſtat id quod propriam dat cuique ſpeciem, et quo ſublato habitus ille ac quaſi ſtatus rei peculiaris una tolleretur. Sin autem peritior quis ad haſce partes coram intendat digitum, aut etiam abſens verbis edoceat, ſubit illico in mentem imago clara ac perfecta —miraturque vim rei ſimplicis atque apertæ, cum fit tanta, a ſe tunc primo eſſe compertam.

Atqui licet ingenio facili opus ſit, quo hæc ars bene ſe habeat, non tamen ardentis eſt aut elati animi, et qui affectus tentat ſublimiores. Quin diligenti potius efficitur obſervatione, et limati judicii eſt comes, parce ſemper ac preſſe loqui ſtudentis. Quamobrem Homerum adire nolim, ut quæ de his poſita ſunt exemplis confirmem: at Virgilio eſt conſtans ac fere ſingularis laus, quod deſcriptionum nitori atque efficaciæ (ut loquuntur Critici) ſua non obſit verecundia. Nihil in eo eſt otioſum,

nihil tumidum et commune. Veluti in arena diu exercitatus pugil, rem vigili ſcrutatur atque intenta acie, nec niſi quando ictum ſerio meditatur, ferit.

Quæ in univerſo opere conſpicitur virtus, ſi in ſingulis locis ſpectatur, videtur eſſe diminuta; ſed fortaſſe non inepte monſtrabunt quid velim illa de naufragis ægre ex fluctu in terram ſubeuntibus.

> Namque inflicta vadis, dorſo dum pendet iniquo,
> Anceps ſuſtentata diu, fluctuſque fatigat;
> Solvitur, atque viros mediis exponit in undis;
> Fragmina remorum quos et fluitantia tranſtra
> Impediunt, *retrahitque pedem ſimul unda relabens.*
>
> *Æn.* x. 303.

Rem omnem caſte ac graviter exponit—unicuique voci ſua ſubeſt ſententia; at in poſtremo verſu felicitatem illam præcipue miror, qua veritas ipſa naturæ neque vulgari imagine neque nimis exquiſita effertur.

Sic rupem fluctibus vexatam exhibet;

> Ut pelagi rupes, magno veniente fragore,
> Quæ ſeſe, multis circum latrantibus undis,
> Mole tenet: ſcopuli nequicquam et ſpumea circum
> Saxa fremunt, *laterique illiſa refunditur alga.*
>
> *Æn.* vii. 587.

Sic Mezentii bene compoſitam in equo formam;

> —exceptus tergo *conſueta* locavit
> Membra. *Æn.* x. 867.

Et Troili effigiem cæſi et curru rapti, exigua certe nota diſtinguit, ſed quæ animum ſtatim ad cætera manifeſtius concipienda erigit;

> Curruque hæret reſupinus inani,
> Lora tenens tamen: huic cervixque comæque trahuntur
> Per terram, et *verſa pulvis inſcribitur haſta.*
>
> *Æn.* i. 481.

Similia ſunt his, quæ in minoribus Poetis, Ovidio, Lucano, Italico non tam invenire eſt difficile quam ex inventis ſecernere magis apta. Nemini vero poſthabendus eſt in hac laude Statius, quem ſine dubio proximo poſt Virgilium loco adſcripſerim, ſive in natura rerum accurate et nitide explicanda ſive in affectibus lenioribus commovendis verſetur. Quæ ſequuntur ex hoc ſcriptore decerpta in eo genere memoratu digna judicavi, quod a communi viſu remotiora non ambitioſe ſed ſcite ac prudenter in lucem promovet.

In tertio Thebaidos Mæon, Apollinis vates, lethale vulnus ſua ſibi manu infert, quem ſic proſequitur;

——ille dolori
Pugnat, et ingentem nixu duplicatus in ictum
Corruit, extremiſque animæ ſingultibus errans
Alternus nunc ore venit, nunc vulnere ſanguis.
Stat. Theb. iii. 88.

Neque inconcinnius illud in eodem libro cadaveris defuncti dudum et rigentis ſpeciem refert;

——pars ſpicula dextra
Nequicquam parcente trahunt. *Theb.* iii. 130.

Hippomedontis figuram equo rapide invectam ſimplici ſatis re ſed non vulgi uſu contrita denotat.

Illum Palladia ſonipes Nemeæus ab arce
Devehit arma pavens: umbraque immane volanti
Implet agros, longoque attollit pulvere campum.
Theb. iv. 137.

Cui non longe differt certantium in equeſtri curſu levis adumbratio;

Et jam rapti oculis, jam cæco pulvere mixti
Una in nube latent. *Theb.* vi. 411.

In loco ejuſdem poematis pulcherrimo ubi Argivo-

rum exercitus ſiti pæne deficiens tandem fluvio appropinquat, tumultuoſæ multitudinis imaginem pari arte exponit. Profecto vigor ineſt carminibus et ſpiritus vere Poeticus: quare ſi integra recitentur, tædio fortaſſe mederi poterunt, quod ab exemplis oritur minutatim conciſis.

Jamque amne propinquo
Rauca ſonat vallis, ſaxoſumque impulit aures
Murmur: ibi exultans conclamat ab agmine primo,
Sicut erat, levibus tollens vexilla maniplis
Argus, Aquæ: longuſque virum ſuper ora cucurrit
Clamor, Aquæ. Sic Ambracii per littora ponti
Nauticus in remis juvenum, monſtrante magiſtro,
Fit ſonus, inque vicem contra percuſſa reclamat
Terra, ſalutatus cum Leucada pandit Apollo.
Incubuere vadis paſſim diſcrimine nullo
Turba ſimul primique; nequit ſecernere mixtos
Æqua ſitis: frenata ſuis in curribus intrant
Armenta, et pleni dominis, armiſque feruntur
Quadrupedes: hos turbo rapax, hos lubrica fallunt
Saxa: nec implicitos fluvio reverentia reges
Proterere, aut merſiſſe vado clamantis amici
Ora. *Theb.* iv. 800.

Communia ſunt hic quædam, neque omni ex parte Lucani vitio carent; ſed quod propoſito noſtro præcipue convenit eſt in jumentis una cum viris ad flumen properantibus, et ſecum onera ac currus in alveum fluminis ferentibus.

Elegans porro mihi ſemper viſus eſt, atque hac præſertim virtute inſignis infans ille dormiens in Quinto Thebaidos;

Ille graves oculos languentiaque ora comanti
Mergit humo; feſſuſque diu puerilibus actis
Labitur in ſomnos: *prenſa manus hæret in herba.*
Theb. v. 502.

Rurſus ubi oſtendit athletam arduo certamine peracto terra proſtratum, et mox victum arena decedentem, quantum facit ad augendam ἐνάργειαν ſolum ubi recens jacuerat corporis nota impreſſum!

> Deficit obſeſſus, ſoloque pudore repugnat,
> Tandem pectus humi, pronamque extenſus in alvum
> Sternitur: ac longo mæſtus poſt tempore ſurgit,
> Turpia ſignata linquens veſtigia terra. *Theb.* vi. 901.

Hujuſmodi eſt illud Lucani de Elephanto prælii tumultum ſuſtinente, quod belluæ iſtius invictum robur et magnitudinem fortius depingit, quam ſi in hiſce celebrandis mille verſus poſuiſſet;

> Omne repercuſſum ſqualenti miſſile tergo
> Frangit, et hærentes *mota cute* diſcutit haſtas.
> *Lucan.* vi. 209.

Eandem vero rem Silius ultra pudorem auget.

> Stat multa in tergo et nigranti lancea dorſo,
> Ac ſylvam ingentem concuſſo corpore vibrat.
> *Sil. Ital.* iv. 618.

Quod vitium in hoc Poeta eo magis mirandum, quia plerumque humili et timido eſt ingenio, ſibi nihil credens, et tuto intra orbem pedes continens. Atqui in levioribus Poeſeos officiis exequendis non raro peritum ſe præſtitit, et quam venuſtatem nunc præſertim quærimus feliciter ſæpe eſt conſecutus.

Ita hominis cæſi in propugnaculis et per muros jecti illuſtrem habet effigiem:

> Tum ſubitum in vulnus præceps devolvitur altis
> Aggeribus muri, juxtaque cadentia membra
> *Effuſi verſa calami fluxere pharetra.* *Sil.* ii. 129.

Sic militum ardor in navibus pugnantium geſtu ipſo corporis belle exprimitur;

Incumbunt proni, *poſitiſque in margine puppis*
Extremæ plantis nutantes ſpicula torquent.
Sil. xiv. 376.

Et in miſerabili ſpectaculo militis roſtro navis tranſfixi his verbis intentum lectorem tenet,

——Pars ſubnatat unda
Membrorum, pars exſtat aquis; *totumque per æquor*
Portatur. *Sil.* xiv. 482.

quæ, ni fallor, efficiunt ut lacerum cadaver continuo huc illuc proſequamur oculis.

Huc etiam ejuſdem referenda eſt egregia Cycni natantis deſcriptio, non eam ob cauſam quod imaginem proponit pulchram atque elegantem, aut quod rem ingenioſe explicat ſervata diligenter fide naturæ, ſed quia totus rei χαρακτὴρ, ut vocant, ubi eſſet et quonam efficeretur plane vidit.

Haud ſecus Eridani ſtagnis ripave Cayſtri
Innatat albus olor, pronoque *immobile corpus*
Dat fluvio, et pedibus tacitas eremigat undas.
Sil. xiv. 189.

Diſtant multum hæc et ſimilia a deſcriptionibus iis quibus abundant omnis ævi Poetæ—ubi ſcilicet exemplar naturæ ſibi proponunt imitandum—ubi tempeſtatum ac cœli proprietates, motus animalium, ſtudia, conſuetudines, deſideria, dolos, ſubtiles illos perſæpe et conſpectum vulgi fugientes, exquiſite narrant, et quaſi abdita ex latebris in lucem educunt.

Nequit tamen in alterutro horum generum bene verſari, niſi qui ad intimam naturæ cognitionem et propria indole et diuturno uſu ſit præparatus. Superiori adjuvat multum pictura, cujus rei ſcientia mi-

nus eſt cum hoc altero conjuncta—utpote quod in veritate rerum ſcrutanda fere totum vertitur. Quo quidem in genere cum Latinos veteribus Græcis anteire plurimum, tum ex Latinis aliquos, ætatis paullo recentioris et minoris certe notæ, maximis interdum ſcriptoribus præſtare arbitror. Illi rem oculis aperiunt ſatis, hi propius non raro ad naturæ veritatem accedunt.

Sumatur exemplum ex Serpentium motu ſæpiſſime apud Poetas celebrato. Lubricus, ſinuoſus, contortus, fluctuabundus millies deſcribitur. Quæ optime forſan hanc rem attigerunt ſunt in Apollonio, qui ſpiras ulterius ſe promoventes fumi voluminibus adſimilat.

Ὡς δ' ὅτε τυφομένης ὕλης ὑπὲρ αἰθαλόεσσαι
Καπνοῖο σροφάλιγγες ἀπείριτοι εἰλίσσονται,
Ἄλλη δ' αἶψ' ἑτέρῃ ἐπιτέλλεται αἰὲν ἐπιπρὸ
Νειόθεν εἰλίγγοισιν ἐπήορος ἐξανιοῦσα·
Ὡς τότ' ἐκεῖνο πέλωρον ἀπειρεσίας ἐλέλιξε
Ῥυμβόνας ἀζαλέῃσιν ἐπηρεφέας φολίδεσσι. *Argon.* iv. 139.

Veriora tamen ſunt illa, non dico pulchriora, Statii:

Terrigena erigitur ſerpens: tractuque ſoluto
Immanem ſeſe vehit, *ac poſt terga relinquit.*
Theb. v. 506.

Conſtat enim ex pulſu primo, mox tractu, omnis reptilium motus, ſicut poſtrema illa 'ac poſt terga 'relinquit' diſerte indicant.

Adjiciatur unum adhuc de cervorum fuga inter venandum. Virgilii quidem ſunt venuſta et naturæ ſatis convenientia,

Ecce feræ ſaxi dejectæ vertice capræ
Decurrere jugis: alia de parte patentes

Tranſmittunt curſu campos, atque agmina cervi
Pulverulenta fuga glomerant, monteſque relinquunt.
Æn. iv. 152.

Laxa tamen ſunt nimis et quodammodo communia. Concinnior multo eſt Statius, quem hanc rem ad unguem exprimere nemo negabit.

Non aliter celeres Hircana per avia cervi,
Cum procul impaſti fremitum accepere leonis,
Sive putant, rapit attonitos fuga cæca, metuſque
Congregat, et *longum dant cornua mixta fragorem.*
Theb. vi. 598.

Plurima ſunt itidem in hoc poeta, quibus enitet peculiaris illa deſcriptionum virtus—nempe ubi imaginem exhibet naturæ, non, uti Claudianus, picturæ tantum affinem, quantum diligentia, fide, proprietate conſpicuam. Qua in re neque Virgilium omnino, neque Lucretium, quanquam in id unice intentum, Statio priorem duco. Sed grandia nonnunquam fugiunt ingenia quæ humilioribus patent: neque in magno opere particulas curioſe abſolvi oportet; immo hac ipſa cura corrumpitur ſæpe totum, atque in partes diſſipatur. Certe Epopœiæ dignitati, quæ in gravioribus vitæ caſibus fortuniſque principum enarrandis occupatur, minus convenit de via ſæpius deflectere, decerpere flores, et quaſi ſerta et coronas, ornandi gratia, carminibus intexere.

Ubi ad majora non itur, plenum eſt hoc genus elegantiæ, plenum ſuavitatis. Neque in materia utcunque occupata non relictum fuit poetis ſatis ſuperque recentioribus; qui in noſtra ætate præſertim exſtiterunt eo genere nobiles,—adeo locis fæcundi, adeo ex vetuſtis et quotidianis nova continuo elicientes, ut

naturæ ſpatia docte ac ſedulo quærentibus immenſa prorſus eſſe et varietate infinita monſtraverint.

Quæ vero ad hanc partem perficiendam ſuperſunt pauca, proxima prælectione complecti ſpero. Deinde ad mores hominum et affectus tranſeundum.

PRÆLECTIO SEPTIMA.

Petitas ex rure imagines admodum eſſe jucundas. In hiſce tractandis poetas minores non raro excellere. Acri tamen opus eſſe obſervatione ut naturæ veritas exprimatur. Quæſtio oritur, an hanc naturæ partem neſcire liceat poetæ. Nonnulli in hoc genere perſtringuntur errores, quibus non ignoſcendum videtur.

ELEGANTER ſane ac probe dictum eſt a populare quodam noſtro, ‘ Naturæ ac ruris admirationem ‘ primam boni poetæ animo innaſci virtutem, ſo- ‘ lam autem ineſſe mediocri.’ Etenim quas imagines oculis rus objicit, ipſæ non modo ſunt in ſe ſpectabiles, verum et, ſint modo nominatæ, mentem procul in regiones rapiunt ſtrepitu et cura vacuas; atque illa duo ſtatim in animum revocant quæ poetarum ſtudiis ſunt aptiſſima, otium ac ſolitudinem.

Quamobrem, ſi quando per fabulam licet, cupide in hæc ſpatia diverti ſolent, et prout cujuſque in hanc rem magis proclive fuerit ingenium, nemora, ſcopulos, ſaltus, fluvios, avium concentus, armenta et greges paſſim oberrantes, et totum ruſticæ vitæ exemplar proponere intuendum. Quodnam ſit de hac re judicium Homeri ex Odyſſea omnino, ſatis autem vel ex Iliade patet, ubi ſæpiſſime ab armis et cæde, et principum concionibus, raptim ad ſemotioris vitæ munera ſe recipit: neque ex nobilioribus

poetis quenquam nominaverim, cui deeſt ille fluminum ac ſylvarum amor, aut cui non viſum eſt, quo longius abeſſet ab urbium negotiis, eo ſe propius ad Deos accedere.

Data ſunt jam a nobis in hac parte præcepta bene multa, et poeticæ quid præſtiterint auxilii pictores, cum in locis et regionibus tum in cæteris externis referendis, jampridem eſt edoctum. Quod ſi quis huic voluptati plus æquo conſulat, quæ ex vago regionis proſpectu et tranquilla modo rerum facie oritur, cito abſumitur materies parum ampla: languet autem paullatim legentis animus, faſtiditque aut jejunam et inertem moram, aut frigidam in eaſdem res reverſionem. Quare ab univerſo genere tandem deflectenda eſt acies—et in ſingulas formas et minutas rerum proprietates acriter inſpiciendum. Hinc utique promendæ ſunt copiæ—hinc facultates novæ uſque colligendæ. Neque enim iſtæ tantum nos delectant deſcriptiones, quæ in oculorum gratiam ſunt effictæ; quin omnino veritatem rerum diſerte exponi magnopere amat mens: (non eam ſane ob cauſam quod hactenus ignota diſcit, quæ eſt aliena prorſus et diverſi generis voluptas) ſed quia ſic refricatur memoria, et ſopitæ in animo ſubeunt imagines, et quæ narrat alius cum prius cognitis conferre juvat, et quatenus conveniant inter ſe videre.

Equidem in expedienda univerſæ hujus diſciplinæ ratione, illud olim comprobatum volui—voluptatem quæ efficitur imitatione non ex mera fide ac veritate deſcriptionis naſci, ſed majorem tunc multo eſſe et alacriorem, ſi quando imitatio fiat in re pulchra aut venuſta, aut quæ aliqua propria virtute nobis ſe commendet. Et profecto quæ mox adducenda ſunt ex

variis ſcriptoribus exempla in eo potiſſimum ſunt argumento, quod nobis ſua ſponte placet:—tamen ſi quis ea attentius perpendat, vix dubium habeo, quin et hoc quoque in iis eſſe perjucundum concedat, quod rem, ſicut eſt, liquido et fideliter exponunt, ſervata cujuſque rei proprietate.

Jam vero, quod inter ſummos Poetas et minores præcipue intereſſe viſum eſt, iterum hoc loco proferre liceat. Nempe illos fabulam ornare atque augere velle, conquirendo imagines ſuapte natura pulchras, quas eo uſque depingunt, donec in mentem lectoris introire queant: contra, qui nitidum et lene poematum genus colunt, ipſa imitandi arte admirationem captare, et ſingulas partes ea mente perſequi, ut non minus deſcriptionis fide delectent, quam rei venuſtate.

Hæc autem quaſi in univerſum dicta accepta velim: namque interdum utrobique aliter evenit. Sic nives hibernas toto aere molliter cadentes et uno velamine cooperientes omnia, optime ſane ſed fuſius ſolito exſequitur Homerus,

Τῶνδ', ὥϛε νιφάδες χιόνος πίπτεσι θαμειαὶ
Ἤματι χειμερίῳ, ὅτε τ' ὤρετο μητίετα Ζεὺς
Νιφέμεν ἀνθρώποισι, πιφαυσκόμενος τὰ ἃ κῆλα,
ΚΟΙΜΗΣΑΣ Δ' ΑΝΕΜΟΥΣ ΧΕΕΙ ΕΜΠΕΔΟΝ, ὄφρα καλύψῃ
Ὑψηλῶν ὀρέων κορυφὰς, καὶ πρώονας ἄκρους,
Καὶ πεδία λωτεῦντα, καὶ ἀνδρῶν πιόνα ἔργα·
Καί τ' ἐφ' ἁλὸς πολιῆς κέχυται, λιμέσιν τε, καὶ ἀκταῖς·
ΚΥΜΑ ΔΕ ΜΙΝ ΠΡΟΣΠΛΑΖΟΝ ΕΡΥΚΕΤΑΙ, ἄλλα τε πάντα
Εἰλύαται καθύπερθ', ὅτ' ἐπιβρίσῃ Διὸς ὄμβρος.

Il. M. 278.

At ſi ejuſdem ſegetem vento fluctuantem cum Silii

carminibus conferamus, facile apparebit uter magis ex accurata et diſerta deſcriptione laudem quærat. Merum culmorum motum indicat Homerus:

Ὡς δ' ὅτε κινήσει Ζέφυρος βαθὺ λήϊον ἐλθών,
Λάβρος ἐπαιγίζων, ἐπὶ τ' ἠμύει ἀσταχύεσσιν. *Il.* β. 147.

Rem ſpecioſam atque elegantem ita aperit Silius, ut ſe ſæpius ſpectaculo fuiſſe intentum ſignificet.

Mitia ceu virides agitant quum flamina culmos,
Necdum maturas impellit ventus ariſtas,
Huc atque huc it ſumma ſeges, nutanſque viciſſim
Alterno lente motu incurvata *niteſcit*. *Sil.* ix. 358.

Ejuſdem eſt calculus in lacum demiſſus:

Sic ubi perrupit ſtagnantem calculus undam,
Exiguos format per prima volumina gyros,
Mox, tremulum vibrans motu gliſcente liquorem,
Multiplicat crebros ſinuati gurgitis orbes;
Donec poſtremo laxatis circulus oris
Contingat geminas patulo curvamine ripas.
Sil. xiii. 24.

Illuſtrandi quidem gratia hæc habet ardorem pugnandi paullatim per exercitum creſcentem; ſed nemo non videt poetam (præſertim in poſtremis verſibus) rem principem obliviſci, et id ſolum curare, ut veritatem in ſecunda accuratiſſime tueatur.

Quod conſilium frequentius adhuc in variis animantium ſtudiis ac moribus referendis adhiberi ſolet: utpote quibus plus ineſt ſuum cuique proprium, et diligenti obſervatione cognoſcendum. Tum cuicunque eſt vita et ſenſus et affectus, id magis certe attingit animum, et dignius quam quæ his carent explicatu videtur.

Duobus in locis rem quæ agitur optime illuſtrat Statius, adducta *Avium* ſimilitudine: in multa tamen excurrit, quæ nihil ad præcipuam rem pertinent, gratiſſima autem fiunt, quia ſpeciem præ ſe ferunt naturæ. Sic lætitiam Thebanorum ob ſocios intra propugnacula receptos, pullis comparat matrem in nidum redeuntem ſummo gaudio excipientibus.

Volucrum ſic turba recentum
Cum reducem longo proſpexit in æthere matrem,
Ire cupit contra, ſummaque e margine nidi
Extat hians: jam jamque cadat, ni pectore toto
Obſtet aperta parens, et amantibus increpet alis.
Theb. x. 458.

Quibus fere paria ſunt altera de ave ad direptum nidum reverſa, cui Hipſipylen comparat ſuper lacerum cadaver filii in lacrymas effuſam.

Ac velut aligeræ ſedem, fœtuſque parentis
Cum piger umbroſa populatus in ilice ſerpens,
Illa redit, querulæque domus mirata quietem,
Stat ſuper impendens, advectoſque horrida mæſto
Excutit ore cibos: cum ſolus in arbore cara
Sanguis, et errantes per capta cubilia plumæ.
Theb. v. 599.

Auget aliquando ſecundam rem Virgilius,

Ille, velut pelagi rupes————
————laterique illiſa refunditur alga.
Æn. vii. 586.

ſed parcius multo ac verecundius. Quemadmodum ubi Auni necem refert;

Quam facile accipiter ſaxo ſacer ales ab alto
Conſequitur pennis ſublimem in nube columbam,
Comprenſamque tenet, pedibuſque eviſcerat uncis:
Tum cruor, et vulſæ labuntur ab æthere plumæ.
Æn. xi. 721.

Et in notiſſima luminis ex aqua repercuſſi comparatione per laquearia tecti diſſultantis, quam (ſicut ipſe ex Apollonio ſumpſerat) ita ab eo totam in ſe tranſtulit Italicus.

At in ſublimi iſta Jovis imagine per nimborum noctem fulminantis, qua cura exactam rerum fidem ſervat! Injuſte ſane Critico cuidam noſtrati bilem movet, quod a conceptibus nobiliſſimis ad communia illa deſcendat ‘ Ingeminant Auſtri et denſiſſimus im-‘ ber.’ Neſcit utique criticus, quod optime ſenſit poeta, poſt fulmen emiſſum largiorem extemplo imbrem deſcendere, et ventorum augeri vim.

Liberior eſt in hujuſmodi materia Valerius Flaccus, gravis alioqui et ſeverus ſcriptor. Ejus eſt pulcherrima comparatio Medeæ patriam relicturæ jam pavidæ atque hæſitantis, cum prole avium e nido recens educta.

> Qualis adhuc teneros ſupremum pallida fœtus
> Mater ab excelſo produxit in aëra nido,
> Hortaturque ſequi, brevibuſque inſurgere pennis;
> Illos cærulei primus ferit horror Olympi;
> Jamque redire rogant, adſuetaque quæritur arbor.
>
> *Argon.* vii. 375.

Magnum in hoc poeta fuiſſe naturæ ſtudium atque amorem plurima confirmant loca: neque enim venuſtiſſima illa de Halcyones nido abrepto fluctibus ſcribi potuiſſe credo, niſi et rem ſuis ipſe vidiſſet oculis, et in mentem tanquam χειμήλιον quoddam poſtea depromendum retuliſſet.

> Fluctus ab undiſoni ceu forte crepidine ſaxi
> Cum rapit Halcyones miſeræ fœtumque laremque;
> It ſuper ægra parens: queriturque tumentibus undis,
> Certa ſequi quocunque ferant; audetque, pavetque;

Icta fatiſcit aquis donec domus, hauſtaque fluctu eſt:
Illa dolens vocem dedit, et ſe ſuſtulit alis.
Arg. iv. 44.

Similiter in nono Thebaidos idem argumentum perſequitur Statius, adjectis etiam quibuſdam quæ volucris hujus indolem et mores ad vivum referunt, et defixum in iis quæ narrantur animum tenent.

Fluctivagam ſic ſæpe domum, madidoſque penates
Halcyone deſerta gemit, cum pignora ſævus
Auſter, et algentes rapuit Thetis invida nidos.
Mergitur orba iterum, penituſque occulta ſub undis
Limite non uno, liquidum qua ſubter eunti
Lucet iter, miſeri nequicquam funera nati
Veſtigat, plangitque tamen. *Theb.* ix. 360.

Profecto in hoc fere de cæteris omnibus palmam fert Statius, quod univerſum naturæ corpus penitus perſpexerit: unde fit, ut quæ ex hoc fonte ad poemata ornanda deducat, non fucata ſint illa et domo allata, non lampada, ut aiunt, oleant, ſed ex vera rerum notitia omnino fluant. Quin ad iſta quæ jam recitavimus, apponantur etiam aliqua in eodem genere præclara. In primo Achilleidos, dulciſſimi poematis, columbas perhibet peregrinam avem in gregis numerum cooptantes.

Qualiter Idaliæ volucres, ubi mollia frangunt
Nubila, jam longum cœloque domoque gregatæ,
Si junxit pennas, diverſoque hoſpita tractu
Venit avis, cunctæ primum mirantur, et horrent:
Mox propius propiuſque volant, atque aëre in ipſo
Paullatim fecere ſuam, plauſuque ſecundo
Circumeunt hilares, et ad alta cubilia ducunt.
Achill. i. 372.

Pecudes idem in ripa fluminis, cujus alveum adhuc tentare metuunt, pulcherrime expreſſit:

Ac velut ignotum ſi quando armenta per amnem
Paſtor agit, ſtat triſte pecus; procul altera tellus
Omnibus, et late medius timor: aſt ubi ductor
Taurus init, fecitque vadum, tunc mollior unda,
Tunc faciles ſaltus, viſæque accedere ripæ.

Theb. vii. 436.

Juvencam idem depingit inquietam amiſſa prole, ac per agros vagantem;

Non ſecus ac primo fraudatum lacte juvencum
Cui trepidæ vires, et ſolus ab ubere ſanguis,
Seu fera, ſeu duras avexit paſtor ad aras,
Nunc vallem ſpoliata parens, nunc flumina queſtu,
Nunc armenta movet, vacuoſque interrogat agros:
Tunc piget ire domum, mæſtoque noviſſima campo
Exit, et oppoſitas impaſta avertitur herbas.

Theb. vi. 186.

Optima ſunt hæc quidem omnia, itemque veriſſima, at ſingularem quandam vim habent illa 'interrogat 'agros,' quæ breviſſimo ambitu plus menti adferunt quam auribus. Neque cedunt admodum Lucretianis illis, quæ in eadem re pulcherrima ſemper ſunt habita.

At Mater virideis ſaltus orbata peragrans
Linquit humi pedibus veſtigia preſſa biſulcis,
Omnia conviſens oculis loca, ſi queat uſquam
Conſpicere amiſſum fœtum: completque querelis
Frundiferum nemus adſiſtens; et crebra reviſit
Ad ſtabulum, deſiderio perfixa Juvenci:
Nec teneræ ſalices, atque herbæ rore vigentes,
Fluminaque ulla queant ſummis labentia ripis
Oblectare animum, ſubitamque avertere curam.

Lucret. ii. 355.

Principes certe ſunt in hoc genere Virgiliani Georgicorum libri, ubi anni varietates, ruſticorum munera ac labores, tum animalium varios cultus ac ſtudia ſua-

viter et ſuo more caſtigate narrat. Qui in turba virtutum paucas præ cæteris indicari quærit, adeat iſta cœlorum ac tempeſtatum ſigna ſumma arte et exquiſita rerum cognitione elaborata. Verumtamen hic ſpatia naturæ vulgaria et externa pererrat potius, quam nos manu ducit ad interiores aditus et ſecreta domus penetralia. Minoribus hoc relictum eſſe videtur munus, quibus, utpote in occupata materia, doctæ imitationis laus non alias eſſet conſequenda.

Itaque pro communibus iis,

Ubera vaccæ
Lactea demittunt, pingueſque in gramine læto
Inter ſe adverſis luctantur cornibus hædi,

aut ſimilibus in ſuaviſſimo carmine Horatii,

Aut in reducta valle mugientium
Proſpectat errantes greges,

ubi nihil niſi confuſa quædam et ſatis nota referuntur, hi contra attentius rem introſpiciunt, et ſi qua ſunt aliquantum a viſu recedentia, hæc eruunt ſedulo et in lucem promovent. Qualia ſunt illa in decimo quinto Punicorum:

Ipſe, otia molli
Exercens cura, gelido nunc flumine ſoles
Frangebat nimios pecori, nunc lætus in herba
Tondebat niveæ ſplendentia vellera lanæ;
Aut, pecus e paſtu quum ſeſe ad tecta referret,
Noſcentes matrem ſpectabat ovilibus agnos.
Sil. xv. 703.

Plurima ſunt hujuſmodi, quæ ſi quis ſerio id agat, ſi ad intimum naturæ ſtudium bene ac gnaviter ſe componat, paucis adhuc cognita conquirere, aut, quod eſt majus, ipſe forſan primus reperire poterit. Quo in ſtudio feliciſſime verſati ſunt recentiorum ali-

quot, et noſtrorum poetarum præſertim non pauci: quibus famam ſic partam ita non invideo, ut meritam imprimis eam eſſe exiſtimem, et ſperem diuturnam fore. Hanc certe præ veteribus laudem ferunt, quod novam eandemque jucundiſſimam commenti ſint poematis formam, quæ has ruris opes ita complecti poſſit et in unum coire faciat, ut neque diſſitæ ſint paſſim, nullo nexu inter ſe conjunctæ, ſicuti utplurimum ſe habent in Epopœia; neque rurſus, uti eſt in Oppiano, fabula, moribus, ſententiis prorſus deſtituta, languido et inerti tractu producantur. Neque enim, licet nobiliori poetarum ordini prorſus cedat, non eſt hoc genus debili et otioſo illi generi longe præponendum, quod totum in pingendo, ut loqui amant, verſatur, et in formis coloribuſque rerum referendis. Immo non minime pertinet ad ſanctiſſimum illud Poetæ munus unde naturæ Interpres audit, ut hac cognitione ſit quodammodo imbutus, neque in regno ejus ampliſſimo uſquam ſe fateatur hoſpitem.

Jam vero, quoniam mox tranſeundum eſt in aliam ſuſcepti operis partem, pauca ſatius hoc loco dicenda judicavi, ut de quæſtione apud veteres perſæpe diſceptata, litem aliquando, ſi poſſim, dirimam. Interea, ſicut in pleriſque accidit controverſiis, non tantum alios ab aliis opinione diſtare arbitror, quantum ipſam quæſtionem male ab utriſque diſtingui. Etenim turpiter labi poetam nonnulli aiunt, ſi quando alicui rei tribuat quæ ab ejus natura abhorrent, aut quæ propria ſunt auferat, aut quæ ſimul eſſe nequeunt conjungat, aut quoquo modo ſe naturæ rerum imperitum arguat. Contra alii contendunt audaciores, omni lege liberum eſſe poetam—nullo definito orbe, nullis eum includi terminis: non inſervire eum Na-

turæ clamitant, ſed ipſum proprio jure dominari. Unde ſi qua in re vero diſcedere videatur, factum non abnuunt, culpam non extenuant:—'licuit quia 'libuit' exclamant:—culpam omnino eſſe negant.

Sic vetus illud Callimachi carpebant aliqui, quod Cervam fecerit cornutam. Etiam Ariſtoteles peccari in hoc *leviter* potius, quam peccatum *non eſſe* ſentit. Contra aperte defendit Scaliger. 'Cur enim, ait, 'Poetæ non licuit cornua tribuere, cui etiam credas 'cantanti aurea fuiſſe illa[a]?' tum Achillis equum in Iliade loquentem et navium in Nymphas mutationem tanquam paria huic licentiæ exempla prætendit.

Permultum equidem miror ſententiam adeo exilem ex acerrimi ingenii viro excidiſſe. Non enim naturam excedere Callimachum critici iſti criminabantur, ſed imprudentem violare. Quis autem non duo eſſe plane diverſa ſentit *fingere*, et *errare*? Quæ utique voluptatis cauſa aperte ſimulat, quantumlibet a veris abſint, condonamus ſcriptori; immo ea ſæpe amplectimur avidius et miramur, quo magis ſint prodigioſa. Neque enim a quoquam illud vitio dari Homero arbitror, quod perpetuum ver offuderit Calypſûs antro, herbaſque et flores fecerit ſine imbre vigentes, aut quia in Alcinoi hortis arbores per totum annum fructiferos poſuerit;

Ὄγχναι, καὶ ῥοιαὶ, καὶ μηλέαι ἀγλαόκαρποι
Συκαῖ τε γλυκεραὶ, καὶ ἐλαῖαι τηλεθόωσαι·
Τάων οὔποτε καρπὸς ἀπόλλυται, οὐδ' ἐπιλείπει
Χείματος, οὐδὲ θέρευς, ἐπετήσιος. *Odyſſ.* H. 115.

Quo quid magis naturæ adverſum excogitari potuit? Sed in his nemo decipitur. Nemo poetam audaciæ

[a] Poetic. p. 215.

inſimulat aut ſtultitiæ. Neque tamen hoc temere et ſine cauſa fieri fas eſſe ducimus; nec niſi ſi fabulæ vis quædam aut gratia hiſce artibus concilietur a veri veſtigiis abſiſtendum: de quo plura poſthac erunt diſputanda in phantaſiæ partibus tractandis.

Quod ſi quis nulla ſpe delectandi inductus falſa pro veris tradat, aut naturam cum profiteatur ſequi, plane aliam nobis oſtendat, profecto ei parum proderit libertatem artis obtendere vitiis; ſed aut mendacii impudentis aut inſcitiæ jure poſtulabitur.

Quin etiam Scaligeri ipſius traditur ſententia in hac quæſtione ſatis aſpera, cum tranſit in examen Græcorum, quos ſemper Latinis ſubmittere amat. Nempe ejuſdem Callimachi Hymno ad Cererem exprobrat, quod in ſylva Deæ dicata varias congeſſerit arbores, quales nulla unquam tellus alat in uno nemore tam diverſas[b]. Iterum cum Delphinas circa navem in ponto laſcivientes his verſibus venuſte expreſſerit Apollonius,

Ὡς δ' ὁπόταν δελφῖνες ὑπ' ἐξ ἁλὸς εὐδιόωντες
Σπερχομένην ἀγεληδὸν ἐλίσσονται περὶ νῆα·
Ἄλλοτε μὲν προπάροιθεν ὁρώμενοι, ἄλλοτ' ὄπισθεν,
Ἄλλοτε παρβολάδην· ναύτῃσι δὲ χάρμα τέτυκται.

Apoll. iv. 933.

Subjungit Criticus: ‘Epiphonema illud haud peni-
‘tus eſt tutum: maxima enim ex parte delphines,
‘quum ita ludunt, imminentem nunciant tempeſta-
‘tem; quare nautis nullam afferunt voluptatem[c].’ Triſte ſane in re levi judicium. Sed neque ipſa Homeri majeſtas ab his tuta eſt aculeis; quem utique inter complura alia eo nomine reprehendit, quod dum

[b] Poetic. p. 724. [c] Ibid. p. 649.

ningit Jovem fulgurare facit. Ita revera eſt in decimo Iliados: neque iniqua fortaſſe eſt doctiſſimi viri cenſura, qui præ ſolito faſtu ſententiam tribus hiſce verbis expedit. ‘Nunquam hoc vidimus.’ Nec multo aliter perſtringit Statii ‘*alpinam cupreſſum*,’ ‘ubi hanc invenerit, ait, neſcio: univerſas pene Al-‘pes peragravimus nos, at nulla cupreſſus viſa eſt[d].’

Atqui in iis quæ ſingulas regiones ſpectant errare, leviorem certe in ſe culpam habet (ſi quidem omnino habenda eſt culpa) quam cum lapſum fuerit in univerſis æterniſque naturæ legibus. Potiore igitur jure in hunc Thebaidos locum invehitur.

> Talis hyperborea virides nive verberat agros
> Juppiter; obruitur campis genus omne ferarum,
> Deprenſæque cadunt volucres, et meſſis amaro
> Strata gelu. *Stat. Theb.* v. 390.

Ubi bis, ait, fallitur: ‘nam volucres nunquam in nive ‘cadunt; et nuſquam tam altæ ſunt ſegetes, quum ‘ingruit nix, ut ſternantur[e].’ Adjeciſſe poterat nivem non recte dici *verberare* humum. Vocem hanc peſſimo conſilio ſumpſerat ex Virgilii verſu ‘*Verberat* ‘*imber humum*,’ quo in loco propriam vim obtinet.

Multa hujuſmodi vitia idem in Lucano notat, in tempeſtate illa præſertim in quinto Pharſaliæ, ubi, ut Critici ipſius verbis utar, ‘quæ reliquit Virgilius, ‘tanquam minime probanda, iſta quaſi omiſſa et ig-‘nota illi importuna ſedulitate perſequitur.’ Quinetiam Valerium Flaccum, prudentem alias et ſeverum ſcriptorem, hac culpa haud immunem eſſe arguit illa in Argonauticis tempeſtas;

[d] Ibid. p. 842. [e] P. 714.

Fundunt ſe carcere læti
Thraces equi, Zephyruſque, et nocti concolor alis
Nimborum cum prole Notus, crinemque procellis
Hiſpidus, et multa flavus caput Eurus arena
Induxere hyemem, raucoque *ad littora tractu*
Unanimi freta curva ferunt. *Arg.* i. 610.

Quod ſi quatuor ſimul ſpirarent venti, quî poſſent fluctus ad littus impelli? Falſiſſime item ponit Statius aſtra ex fulgure manifeſta fieri;

Sic ubi nocturnum tonitru malus æthera frangit
Juppiter, abſiliunt nubes, et fulgure claro
Aſtra patent, ſubituſque oculis oſtenditur orbis.
Theb. x. 373.

Pariter offendit Italicus, ubi ad exemplum Homeri Virgiliique ingentem depingere vult fluctum; at ſtrepitu plauſum quærit magis, quam ſplendore et luce veritatis. Locis omnibus inter ſe collatis, quanam ex parte claudicet Silius melius patebit. Homeri ſunt hæc, et pulchritudine, et, quod nunc præcipue ſpectamus, fide eximia;

Ὡς δ' ὅτ' ἐν αἰγιαλῷ πολυηχέϊ κῦμα θαλάσσης
Ὄρνυτ' ἐπασσύτερον, Ζεφύρῳ ὑποκινήσαντος,
Πόντῳ μὲν τὰ πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα
Χέρσῳ ῥηγνύμενον μεγάλα βρέμει, ἀμφὶ δέ τ' ἄκρας
Κυρτὸν ἐὸν κορυφῶται, ἀποπτύει δ' ἁλὸς ἀχνην. *Il.* Δ. 422.

Rem magis ante oculos exponit Virgilius, et obſervata naturæ proprietate ab initio uſque ad finem accurate proſequitur.

Fluctus ut in *medio cœpit cum albeſcere ponto,*
Longius ex altoque ſinum trahit; utque volutus
Ad terras immane *ſonat per ſaxa,* nec ipſo
Monte minor procumbit: at ima exæſtuat unda
Vorticibus, nigramque alte ſubjectat arenam.
Georg. iii. 237.

Italici ingenium quantum ab utroque diſtet facile intelligitur,

> Talis ubi Ægæo ſurgente ad ſidera ponto
> Per longum vaſto Cori cum murmure fluctus
> Suſpenſum in terras portat mare, frigida nautis
> Corda tremunt: ſonat ille procul, flatuque tumeſcens
> Curvatis pavidas tranſmittit Cycladas undis.
>
> *Punic.* i. 468.

Mittamus nunc quod falſo ventum aperto æquore ſonare ait—quod ‘ *ponto* ad ſidera ſurgente’ *mare* a *fluctu* portatur—quod nautæ ſine cauſa tremunt fluctu ad terras provoluto—peſſime autem in his lapſus eſt, ‘ ſonat ille *procul*,’ quum contra ſilentio potius ex alto ſe promoveat fluctus, neque prius ſonitum edat, uti bene novit Virgilius, quam ad ſaxa aut littus perveniat.

Unum adhuc Statii (quod a nemine obſervatum video) maxime huic regulæ occurrit. Eſt in elegantiſſima illa ad Somnum querela.

> Crimine quo merui juvenis, placidiſſime divûm,
> Quove errore miſer, donis ut ſolus egerem,
> Somne, tuis? tacet omne pecus, volucreſque feræque
> Et ſimulant feſſos curvata cacumina ſomnos.
> *Nec trucibus fluviis idem ſonus:* occidit horror
> Æquoris, et terris maria acclinata quieſcunt.
>
> *Sylv.* v. 4.

Propoſito forſan poetæ melius conveniret tacita eſſe omnia, et quieta: ſed in tranquilla nocte fluviorum certe augetur ſonus, non minuitur.

Ex iis autem exemplis quæ late ſparſa per Summi Critici opera ſedulo in unum collegi, ſatis intelligi poteſt quam ſanctam haberi voluerit reverentiam naturæ ac veritatis; et quantum ex poetica laude merito detractum fore exiſtimet, ſi unquam in hac parte erratum fuerit. Summa quidem ſemper erit apud me

illius viri auctoritas, quem aliquando in ſententiis præcipitem, arrogantem, contumacem, ſui oblitum, nuſquam autem non nativa indole et immenſa eruditione et, quod eruditionem omnem ſuperat, vi quadam ac robore ingenii excellentem admiror.

Verum ut ab auctoritate eruditorum ad commune hominum judicium provocemus, quid magis ridiculum quam oppidi incolam de rure garrientem audire, et in elementis ruſticarum rerum titubantem? Quod unquam turpius vitium carminibus objici ſolet, in iis præſertim quæ ex proſpectu naturæ et ardenti ejus amore nata eſſe profitentur, quam ſi ſcriptorem res illas, quas tam impenſo colit ſtudio, neque noſſe omnino convincant, neque propriis unquam oculis vidiſſe?

Quin rebus ipſis interſit ſedulus Muſarum cultor: ſylvas exquirat; rus obambulet; cœlum, ac maria contempletur; tempeſtatum notet varietates; diverſa animantium diſcat genera, varios habitus, mores, geſtus, ingenia; omnia denique inveſtiget naturæ miracula; ſic demum ex integris fontibus puros deducet hauſtus; et ſi quid ex his opibus ad proprios uſus transferat, non id erit frigidum et exoletum, non tanquam in fumo nutritum ac ſqualore, ſed vivum præ ſe feret ſanguinem, et verum robuſtæ valetudinis ſuccum et colorem.

PRÆLECTIO OCTAVA.

De Imitatione Morum *quæſtio ad proprios fines redigitur. In communi vitæ conſuetudine referenda, quid deceat dictum, quid non, inquiritur. Tum ad mores ſingularum ætatum fit tranſitus: ac primo, infantium.*

ISTOS mihi jam fines ingreſſuro, intra quos nonnulli univerſam rem Poeticam includi volunt, pauca prius præfari viſum eſt, ut quid huic parti proprium, quid alieni ſit juris decerni poſſit. Critici enim veteres fere omnes vix aliud habuerunt Poetæ munus, quam hominum actiones bene imitari; et totam, quæ ex legendo poemate percipitur, voluptatem juſta imitatione effici docuerunt.

Ad quam opinionem infirmandam plurima ſunt a me jampridem diſputata, quæ hoc loco iterare parum convenit. Interea neminem id ægre laturum ſpero, ſi breviter vos commonefaciam, complures poetarum locos ob hanc virtutem a pleriſque inſignes habitos, me ad alia capita retuliſſe; quia aut in affectibus iis exprimendis verſantur, qui, ſint modo ficti in poemate, veros tamen in legentium animis cient motus—aut quia res quæ agitur eſt ejuſmodi, ut phantaſiæ vim accendat—aut denique, ſicut in ſcenicis perſæpe accidit, quia conſtantia et æquabilitas perſonarum, et tenor quidam actionis ad finem uſque ſervatus, delectationem pariat. Quæ omnia

ab iſta voluptate quam nunc potiſſimum quærimus, ſunt quodammodo aliena.

Etenim ubi in materia lugubri et horrenda immoratur ſcriptor, ſi incendium narratur urbis, domus direptio, propinquorum cædes, arrecta illico ſit mens, et inani paſcitur duræ calamitatis imagine. Aut ſi in affectus leniores inclinetur fabula, ſi parentis ſolicitudinem referat propter abeuntem filium, aut ſuper mortuum miſerabiles ploratus, cujus non tangit animum, et amara quaſi dulcedine perfundit iſta humanorum caſuum ſimilitudo? Veriſſime ſane hæc a Poeta ponitur ‘ noſtri pars optima ſenſus :’ Veriſſime item ſtatuit hoc bonos maxime ab improbis diſtare,

> Naturæ imperio gemimus, cum funus adultæ
> Virginis occurrit, vel terra clauditur infans,
> Et minor igne rogi: quis enim bonus et face dignus
> Arcana, qualem Cereris vult eſſe ſacerdos,
> Ulla aliena ſibi credat mala? *Juv.* xv. 137.

Quod ſi filii rurſus aut conjugis aut amici pietas deſcribitur, quanto propius ad naturæ veritatem accedit ſcriptor, hoc magis ad intima corda penetrat, et cognato quodam nos affectu imbuit, ut ad amorem, aut admirationem aut miſericordiam ultro impellamur.

Quinetiam ubi nihil ejuſmodi agitur, quod mentem commoveat, et in moribus modo hominum verſatur poema ab affectu omni remotis, ſæpe tamen fit ut aliæ quoque ſe inſinuent illecebræ quarum vi captemur, præter illam quæ prima fronte apparet diſertam morum imitationem: quoties nimirum ad ruſticorum munera nos mente conferamus, aut id genus vitæ contemplemur, quod a communi et quotidiano genere eſt longe ſemotum, aut (quod præ-

cipue ad rem facit) quando ad præteriti et rudioris ævi effigiem convertamus oculos. Adeo unuſquiſque fere ad antiquitatis reliquias deſiderio quodam et neſcio quo nativo ſtudio trahitur :

Singula lætus
Exquiritque auditque virum monimenta priorum.

Deciſo igitur omni hoc Poeticæ artis inſtrumento, utpote quod ad Affectuum et Phantaſiæ partes magis pertineat, materies tamen relicta erit ſatis larga, quæ non niſi hic loci recte tractari poteſt. Etenim ubicunque ex docta et perſpicua imitatione plus ad delectandum oritur, quam ex rei ipſius natura quam ſibi ſcriptor ſumit imitandum, id omne, opinor, in hanc argumenti partem cadit. Neque ſane religio erit, quo minus iis utar exemplis, quæ motus affectuſque animi univerſos exprimant, modo ſint ejuſmodi, ut egregiam eſſe doceant imitatoris artem, et præceptis quæ in hac parte ſunt tradenda ſubſidio eſſe poſſint. Quanto autem inter ſe commercio omnia inſtitutionis hujuſce conjuncta ſint et colligata capita, non opus eſt ut iterum vos moneam : et profecto me eorum apud quos agam plane ignarum eſſe arguerem, ſi ullo metu premerer ne aliqua in principiis explicandis poſtuletur ἀκρίβεια, quam rei ipſius natura de qua inquiritur in ſe non recipit.

Jam vero, ut videamus quæ ſit meræ imitationis vis ad delectandum, principio obſervanda eſt in quotidianis vitæ moribus referendis, ubi nihil eſt quod aut in admirationem aut miſericordiam lectorem provocet. Quod genus ut in Comœdiis præcipue obtinet, ita et in cæteris nonnunquam formis adhibetur, ſive ornandi gratia, ſive ut gravioribus negotiis grata

interjiciatur varietas. In quibuſdam vero id unice ſibi videtur Poeta propoſuiſſe, ut tueatur rerum ipſarum fidem, quantumvis communium; in quibus delineandis totam artis vim collocat. Cujuſmodi ſunt nonnulli ex Sermonibus Horatii, præſertim ille de inſulſo importunoque ſcurra, cujus loquacitate pene enectus eſt in Via Sacra: ubi multum certe ineſt gratiæ ac leporis, ſed in veritate vitæ ſervanda præcipua ejus laus conſtat.

Ad ſcenicos autem adeundum eſt, ſi quis optima in hoc genere conquireret exempla; quoniam in hoc fere ſolo vertitur Comœdia, ut vivam exprimat vitæ communis atque uſitatæ ſpeciem: neque ultra Terentii fabulas oculos diverti opus erit, quo in medias feramur domeſticæ rei turbas; et ſtudia privata hominum, curas, fraudes, amicitias, ſimultates, gaudia, tum erga propinquos, parentes, liberos officia et affectus, varioſque intimarum cogitationum flexus quaſi expoſito ſpectaculo intueamur. Accuratius quidem in hæc inquirendum erit, quando ad ſingulas cujuſque perſonæ proprietates, et interiores ſenſus affectuſque hominum tractandos deducet nos inſtituti operis ratio: atqui in his quæ ſequuntur exemplis, eam præſertim virtutem animadverſam volo, quæ ex rebus humillimis et de medio ſumptis, ſine fabulæ et ſententiarum ope, aliquid tamen ad blandiendos ſenſus elicit.

Sparſa hæc ſunt ut plurimum in Comœdis, et non niſi continua lectione ex tota ſcena et colloquio familiari colligenda. Illud autem Menedemi non inepte expediet quid velim;

Ubi comperi ex iis, qui ei fuere conſcii,
Domum revertor mæſtus, atque animo fere

Perturbato, atque incerto præ ægritudine:
Adſido: accurrunt ſervi: ſoccos detrahunt:
Video alios feſtinare, lectos ſternere,
Cœnam apparare: pro ſe quiſque ſedulo
Faciebant, quo illam mihi lenirent miſeriam.
Heauton. i. 1, 69.

Pari artificio narratur cœna illa quam Bacchidi dederat ſenex Chremes; Ibid. iii. 1, 45. et caſta pauperculæ virginis cum anu habitatio; Ibid. ii. 3, 35. Aut quid verius unquam deſcriptum, quam illa Demeæ querela de fratre et filiis?

Ille alter ſine labore patria potitur commoda.
Illum amant: me fugitant: illi credunt conſilia omnia:
Illum diligunt: apud illum ſunt ambo: ego deſertus ſum.
Adelph. v. 4, 17.

Optime item a Charino exponitur ſingularis quædam morum turpitudo;

Imo id eſt genus hominum peſſimum,
In denegando modo quîs pudor paullulum adeſt:
Poſt, ubi tempus eſt promiſſa jam perfici,
Tum coacti, neceſſario ſe aperiunt, et timent;
Et tamen res cogit denegare.
Ibi tum eorum impudentiſſima oratio eſt;
Quis tu es? quis mihi es? cur meam tibi?
Heus, proximus ſum egomet mihi. Attamen, ubi fides?
Si roges, nihil pudet: hic, ubi opus eſt,
Non verentur: illic, ubi nihil opus eſt, ibi verentur.
Andr. iv. 1, 5.

Poteſt hoc inſcite quidem et vitioſe fieri, ſicuti eſt nonnunquam in Euripide, qui tragici inceſſus et gravitatis oblitus, ad hæc frivola et communia deſcendit aliquando, quæ cothurno minus conveniunt. Poteſt etiam in leviori ſcribendi genere urgeri uſque ad faſtidium, ſi quando in carmina transferatur nuda,

infimæ ſortis effigies, nullo cultu ſermonis aut delectu rerum habito.

Quis enim in notiſſimo Theocriti Idyllio de Syracuſiis ipſam ineſſe naturæ veritatem neget? At vix ferenda eſt inepta illa ac vulgaris muliercularum garrulitas, non compta, non lepore et ſalibus condita, ſed qualem in vico aliquo aut triviis audire poſſis.

Profecto mihi ſemper infimæ res laudis habita eſt ex vulgi ore decerpere ſermones et ad exemplum imæ plebis ſtudia ac mores fingere, modo hæc in certum poſſint rhythmum ac menſuram redigere. Ac proinde tota res Bucolica, præter cætera quæ illic male ſe habent, hoc inſuper vitio mihi laborare viſa eſt, ut ſi veram adhibeat rerum imaginem, ſordibus iſtius vitæ atque ineptiis protinus offendamur :— ſin autem ornandi ſtudio ad elegantiora quædam et comptiora ſcriptor ſe componat, id omne a natura rei abhorrere merito queramur. Unde factum eſt, ut ſi veritati ſtudeat poeta, horridus habeatur, ſi venuſtati, putidus ac mendax. Pulchre equidem novi, quantum a veſtigiis ſummorum virorum hic auſus ſim abſiſtere, quorum opinionem ea proſequor reverentia, ut communem tamen hominum ſenſum pluris faciam, qui jam in hac quæſtione contra omnem Criticorum auctoritatem videtur ſententiam tuliſſe. Verum ut ad Theocritum redeamus : in Herculiſco iterum ſedulæ matris cura ſumma fide ac ſimplicitate deſcribitur :

Ἡρακλέα δεκάμηνον ἐόντα ποχ' ἁ Μιδεᾶτις
Ἀλκμήνα, καὶ νυκτὶ νεώτερον Ἰφικλῆα,
Ἀμφοτέρᾳς λύσασα καὶ ἐμπλήσασα γάλακτος,
Χαλκείαν κατέθηκεν ἐπ' ἀσπίδα, τὰν Πτερελάω
Ἀμφιτρύων καλὸν ὅπλον ἀπεσκύλευσε πεσόντος·
Ἄπτομένα δὲ γυνὰ κεφαλᾶς μυθήσατο παίδων·

Εὕδετ' ἐμὰ βρέφεα γλυκερὸν καὶ ἐγέρσιμον ὕπνον·
Εὕδετ' ἐμὰ ψυχὰ, δῦ' ἀδελφεὼ, εὖσοα τέκνα·
Ὄλβιοι εὐνάζοισθε, καὶ ὄλβιοι ἀῶ ἵκοισθε.
Ὡς φαμένα δίνασε σάκος μέγα· τὼσδ' ἔλαβ' ὕπνος.

Idyll. κδ'. 1.

At mox ab hoc dulci candidoque ſtylo nimis migrat in humilia, quum infantium vagitu perterrita Alcmena ſic alloquitur maritum.

Ἄνστα, μηδὲ πόδεσσι τεοῖς ὑπὸ σάνδαλα θείης. *Ibid.* 36.

Non intemerato Homerum ubique in hac re judicio uti, fere ab omnibus eſt conceſſum: ſed priſco et rudi ævo multa condonari æquum eſt quæ in poſterioribus merito forent culpanda. Immo iis ipſis in locis, ubi communia vitæ explicantur negotia, ineſt jucundum aliquid quod mentem capit tenetque, modo ne ſummæ dignitatis viros ad hæc munera detrudat. In ſuaviſſimo Odyſſeæ libro, ubi Ulyſſes ad Eumæi tugurium inops et mendicus accedit, quantam ideo offundit toti fabulæ gratiam, quod intra naturæ fines ſe contineat, et ſimplex hujuſcemodi vitæ exemplar, ſine fuco et coloribus intuendum præbeat! Etiam illa:

Αὐτὸς δ' ἀμφὶ πόδεσσιν ἑοῖς ἀράρισκε πέδιλα,
Τάμνων δέρμα βόειον, εὐχρόες·

quanquam, nonnullorum judicio, plebeium nimis ſapiunt, mihi quidem perpulchra et jucundiſſima videntur, optimeque ſocietatem ineunt cum cæteris quæ paullo ante dixerat de cubilibus et grege ſuum, caulaque humili undique lapidibus et ſpinis ſepta. Quæ vero ſequuntur in medio ſpectaculo defigunt oculos.

Ἐξαπίνης δ' Ὀδυσῆα ἴδον κύνες ὑλακόμωροι
Οἱ μὲν, κεκλήγοντες ἐπέδραμον· αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς

Ἕζετο κερδοσύνῃ· σκῆπτρον δέ οἱ ἔκπεσε χειρός.
Ἔνθα κεν ᾧ παρὰ σταθμῷ ἀεικέλιον πάθεν ἄλγος,
Ἀλλὰ συβώτης ὦκα ποσὶ κραιπνοῖσι μεταστὰς
Ἔσσυτ' ἀνὰ πρόθυρον· σκῦτος δέ οἱ ἔκπεσε χειρός·
Τὸς μὲν ὁμοκλήσας σεῦεν κύνας ἄλλυδις ἄλλῃ
Πυκνῇσιν λιθάδεσσιν· ὁ δὲ προσέειπεν ἄνακτα. *Odyſſ.* Ξ. 29.

Feliciſſima ſunt Ovidii in ſimili argumento; ubi ſcilicet ignotos advenas a Baucide et Philemone benigno hoſpitio receptos narrat: quæ propterea huc lubentius apponenda duxi integra, quia, licet in minutias forſan nimis licenter excurrant, et ſingula ſingulis præter neceſſitatem adjiciant, ingenium tamen præ ſe ferunt ſimplex magis et naturæ accommodatius, quam ſolent facere hujus Poetæ carmina; neque plenius ullum novi exemplum, aut in hoc genere perfectius; niſi forte Moretum illud excipias, quod Virgilii præ ſe fert nomen.

Illa ſunt annis juncti juvenilibus, illa
Conſenuere caſa: paupertatemque fatendo
Effecere levem, nec iniqua mente ferendam.
Nec refert dominos illic, famuloſne requiras;
Tota domus, duo ſunt: iidem parentque, jubentque.
Ergo ubi Cœlicolæ parvos tetigere Penates,
Submiſſoque humiles intrarunt vertice poſtes;
Membra ſenex poſito juſſit relevare ſedili:
Quo ſuper injecit textum rude ſedula Baucis.
Inde foco tepidum cinerem dimovit: et ignes
Suſcitat heſternos; foliiſque et cortice ſicco
Nutrit, et ad flammas anima producit anili:
Multifidaſque faces, ramaliaque arida tecto
Detulit, et minuit, parvoque admovit aëno.
Quodque ſuus conjux riguo collegerat horto,
Truncat olus foliis: furca levat inde bicorni
Sordida terga ſuis nigro pendentia tigno:

Servatoque diu reſecat de tergore partem
Exiguam; ſectamque domat ferventibus undis.
Met. viii. 633.

Si quis hæc attentius inſpiciat, vix verſum aliquem aut particulam verſus ſuo carentem pondere reperiet: adeo omnia quæ in hunc humillimæ vitæ ſtatum conveniunt, et vidit penitus et diſerte nitideque explicuit. Pariter deinde ad curtam domus ſupellectilem, et mox ad dapes enarrandas pergit.

Erat alveus illic
Fagineus, dura clavo ſuſpenſus ab anſa:
Is tepidis impletur aquis; artuſque fovendos
Accipit: in medio torus eſt de mollibus ulvis
Impoſitus lecto, ſponda, pedibuſque ſalignis.
Veſtibus hunc velant, quas non niſi tempore feſto
Sternere conſuerant; ſed et hæc viliſque vetuſque
Veſtis erat; lecto tamen haud indigna ſaligno.
Accubuere Dei: menſam ſuccincta tremenſque
Ponit anus: menſæ ſed erat pes tertius impar:
Teſta parem fecit; quæ poſtquam ſubdita clivum
Suſtulit, æquatam mentæ terſere virentes.

Ferculas itidem menſæ impoſitas nude ac fideliter exponit:

Intubaque, et radix, et lactis maſſa coacti,
Ovaque, non acri leviter verſata favilla;
Omnia fictilibus.

Tum poſt paulo,

Parva mora eſt: epulaſque foci miſere calentes:
Nec longæ rurſus referuntur vina ſenectæ:
Dantque locum menſis paullum ſeducta ſecundis.
Hic nux, hic miſta eſt rugoſis carica palmis,
Prunaque, et in patulis redolentia mala caniſtris,
Et de purpureis collectæ vitibus uvæ.
Candidus in medio favus eſt: ſuper omnia vultus
Acceſſere boni, nec inops, pauperque voluntas.
Ibid.

Hæc igitur ad finem uſque perduxi, quia ſi minus omnia in ſe præclara ſint et recitatu digna, maximam tamen quæ in hoc genus cadit, ſibi laudem vindicant; et duobus illis quæ diſciplinæ noſtræ quaſi principia ſunt poſita omnino favent: nempe a qualibet juſta veraque rerum imagine depicta jucundum effici in animo ſenſum; tum languidiorem eſſe hanc et magis infirmam voluptatem, ſi in re communi ſordidaque imitatio fiat. Quin hoc ipſo in loco acrius, ut opinor, erigitur mens brevi ſententia '*fa-* '*tendo effecere levem,*' alteraque illa '*ſuper omnia vul-* '*tus acceſſere boni,*' quam juſtiſſima officiorum humilium, et ſupellectilis, et cibi deſcriptione.

Gravius eſt Virgilii judicium, quam ut his nugis ſe nimis impediat. In Georgicis interdum, prout res poſtulat, agreſtium opera et genus vitæ ſolet leviter adumbrare. Parce tamen id agit et moderate: ut poemata his quaſi diſtinguat luminibus; non rem communem ambitioſe augeat. Sicuti in illis de agricolæ muneribus, quem cœli intemperies intus tenet.

Durum procudit arator
Vomeris obtuſi dentem, cavat arbore lintres:
Aut pecori ſignum, aut numeros impreſſit acervis.
Georg. i. 261.

Atque iterum de feſtorum dierum negotiis.

Sæpe oleo tardi coſtas agitator aſelli
Vilibus aut onerat pomis: lapidemque revertens
Incuſum, aut atræ maſſam picis urbe reportat.
Ib. 273.

Idem fere argumentum quanta venuſtate percurrit Horatius in pulcherrimo carmine de Ruſticæ Vitæ laudibus!

Quod ſi pudica mulier in partem juvans
Domum atque dulces liberos

(Sabina qualis, aut peruſta ſolibus
Pernicis uxor Appuli)
Sacrum vetuſtis exſtruat lignis focum
Laſſi ſub adventum viri:
Claudenſque textis cratibus lætum pecus
Diſtenta ſiccet ubera:
Et horna dulci vina promens dolio
Dapes inemptas apparet. *Epod.* ii. 39.

Quamvis in ſingula deſcendat quæ ſunt maxime hujus vitæ propria, quantum tamen in eo ſtudium poſuit, ut ne quid dignitati obſit, neque circa vilem patulumque orbem diutius quam par eſt morari videatur!

Optima ſane ſunt Virgilii, quibus iter ad Evandrum ab Ænea ſuſceptum et priſtinam illam ſimplicemque vitæ rationem explicuit. Nihil autem ejus præſtantius novi in hoc genere, nihil ad veritatis normam exactius, quam eſt tota illa in ſeptimo Æneidos hiſtoria, de Sylviæ cervo Aſcanii manu interfecto: ubi tamen ita rerum fidem coluit ut nuſquam diſcedat a gravitate.

Quamdiu autem in univerſo genere vitæ deſcribendo verſamur, tam late patet materies, tam in diverſas exiguaſque ſe ſcindit partes, ut exempla vix comparanda ſint ſatis commoda; et manifeſtior apparebit, ut ita dicam, ſtatus cauſæ, ſi in anguſtiorem ambitum res perducatur. Videamus igitur in ſingulorum moribus, atque iis imprimis qui ætatis cujuſque ſunt proprii, annon recta fuerint quæ de vi poeticæ imitationis jam ante diximus.

Elegantiſſimum illud Catulli nemo neſcit,

Torquatus, volo, parvolus
Matris e gremio ſuæ

Porrigens teneras manus,
Dulce rideat ad patrem
Semihiante labello. *Carm.* lxi. 216.

At ne quis in rei ipſius pulchritudine totam hujus loci vim ponat, alterum inſpiciamus ex Statio ſumptum, qui ſtudia et geſtus pueriles docta ac delicata manu percurrit.

At puer in gremio vernæ telluris, et alto
Gramine, nunc faciles ſternit procurſibus herbas
In vultum nitens: caram modo lactis egeno
Nutricem clangore ciens, iterumque renidens,
Et teneris meditans verba illuctantia labris,
Miratur nemorum ſtrepitus, aut obvia carpit,
Aut patulo trahit ore diem: nemoriſque malorum
Inſcius, et vitæ multum ſecurus inerrat. *Theb.* iv. 786.

Nihil hic longe quæſitum, nihil non apertum et in medio poſitum: et tamen in re ipſa non tantum ineſt decor, quantum ex imitatione oritur ſummo judicio efficta. Etenim non cuivis contigit quæ ſunt in propatulo cernere; pauciorum adhuc eſt, turpia ab honeſtis ſecernere, videre quid deceat dictum, quid præterire ſit ſatius. Multa enimvero ſunt quæ naturæ optime, nequaquam autem arti conveniunt: quæ proinde peritus artifex omnino reſpuenda judicabit. Neque ſane eo nomine Homerum excuſatum velim quod vera ſint et naturæ congrua, quæ Phœnicem facit loquentem de Achille.

Πολλάκι μοὶ κατέδευσας ἐπὶ στήθεσσι χιτῶνα,
Οἶνῳ ἀποβλύζων ἐν νηπιέῃ ἀλεγεινῇ. *Il.* I. 486.

Profecto quod in conſuetudine vitæ caveri ſolet, id vel magis in hiſce artibus e re fore credo, nimirum, *veritatem ne ſemper in lucem proferamus.* Quatenus autem ei decet obſequi, non tam id docendum eſt præceptis, quam judicio prudenti ac ſincero diſ-

tinguendum: ideoque alibi rectius de his vîdendum erit.

Interea ut concedamus divinum vatem, utpote grandioribus intentum, levia hæc aliquando percurriſſe negligentius, et nonnunquam in vulgaria et quidem odioſa eſſe delapſum; ex eodem tamen ſumenda ſunt, etiam in hoc nitido et leniori genere, quæ ſummi opificis manum teſtantur. Diſceſſus ille Hectoris ab Andromache totus deliciis abundat: at quæ interjecta ſunt de infante filio ſunt melle dulciora.

Ὡς εἰπὼν ἄ παιδὸς ὀρέξατο φαίδιμος Ἕκτωρ.
Ἀψ δ' ὁ πάϊς πρὸς κόλπον ἐϋζώνοιο τιθήνης
Ἐκλίνθη ἰάχων, πατρὸς φίλα ὄψιν ἀτυχθεὶς,
Ταρβήσας χαλκόν τε, ἰδὲ λόφον ἱππιοχαίτην,
Δεινὸν ἀπ' ἀκροτάτης κόρυθος νεύοντα νοήσας·
Ἐκ δ' ἐγέλασσε πατήρ τε φίλος καὶ πότνια μήτηρ.
Αὐτίκ' ἀπὸ κρατὸς κόρυθ' εἵλετο φαίδιμος Ἕκτωρ,
Καὶ τὴν μὲν κατέθηκεν ἐπὶ χθόνι παμφανόωσαν·
Αὐτὰρ ὅ γ' ὃν φίλον υἱὸν ἐπεὶ κύσε, πῆλέ τε χερσὶν,
Εἶπεν ἐπευξάμενος Διΐ τ', ἄλλοισίν τε θεοῖσι. *Il.* Z. 466.

Neque eſt quod objiciat aliquis, commoveri hic animum legentis, et quaſi miſeratione quadam deliniri. Res certe eſt amabilis et affectuum plena: ſed vel a communi hominum voce, quæ, ut verſus jam ſunt notiſſimi, in laudem iſtius carminis unice eſt conſentiens,

Ἐκλίνθη ἰάχων, πατρὸς φίλα ὄψιν ἀτυχθεὶς,

ex hoc, inquam, ſatis intelligi poteſt, capi nos præcipue admirabili naturæ imitatione; ea ſcilicet facultate, quam caput eſſe hujus artis diximus, qua ſubjiciuntur oculis adjuncta, quæ ſunt maxime cujuſque rei propria, ſed quæ pigri alicujus aut imperiti ingenium fugerent.

Inſignem eſſe illam in Statio virtutem jam ante poſui, ut quæ in natura rerum confuſa jacent cernat penitus et diſtinguat; et ſi quæ ſint cæteris probatiora, eruat hæc e turba atque eminere faciat. Neque meliori unquam augurio eum hunc puto delectum habuiſſe, quam in Epicedio ob mortem filii infantis atque unici.

Nonne gemam te, care puer, quo ſoſpite natos
Non cupii? primo gemitum qui protinus ortu
Implicuit, fixitque mihi: cui verba, ſonoſque
Monſtravi queſtuſque et vulnera cæca reſolvens.
Reptantemque ſolo demiſſus ad oſcula dextra
[a] Erexi, blandoque ſinu jam jamque natantes
[a] Exercere genas, dulceſque accerſere ſomnos.
Cui nomen vox prima meum, luduſque tenello
Riſus, et e noſtro veniebant gaudia vultu.

Tanta eſt in poſtremis verſibus elegantia ac ſubtilitas, ut (ſicut de Parrhaſii picturis olim dictum eſt) 'ambire ſe videatur extremitas ipſa, et ſic deſinere ut 'promittat alia poſt ſe, oſtendatque etiam quod oc-'cultat.' Neque hic me fugit plurimum eſſe in dolore patris poſitum; quem natura duce decuit in ſingula diligenter excurrere, et fuſe commemorando ætatulæ iſtius blandimenta, acerbam alere amiſſi filii memoriam.

Quæ vero ad affectus pertinent omnemque humani ſenſus rationem, ſicuti ſe habet in variis diverſis vitæ conditionibus ac fortunis, tum quæ in hiſce expediendis ſervanda ſint præcepta, prioribus quidem illis ferme ſimilia, proximæ nobis curæ erit perſequi.

[a] Omnes in his verſibus emendandis hærent Critici.

PRÆLECTIO NONA.

De Morum Imitatione reſumitur quæſtio—Scenicos præſertim ſcriptores adire oportet—De Terentio et Plauto judicium fertur. A Perſonarum *imitatione tranſitur ad* ſenſus affectuſque animi ſubtiliores, *qui pro re nata oriuntur. Eadem ferme in his tractandis adhibenda eſt cautio, quæ in* Externorum *deſcriptione.*

QUÆ exempla de infantum moribus ad naturæ veritatem expreſſis proxima prælectione proferre viſum eſt, ea hanc vim habuiſſe puto, ut quid effici poſſit diſerta imitatione ſignificarent, etiam in ſumma rei tenuitate. Quod quidem adhuc manifeſtius cernitur in provectioribus vitæ ſpatiis; quibus ut varietas ineſt major et quædam quaſi perſonæ dignitas, ita ad eam voluptatem propius acceditur, qua mulcetur animus, dum humanos mores intuetur atque omnem communis vitæ conſuetudinem.

Difficile enimvero eſt in hac parte imitationem prorſus ab affectibus ſecernere, atque hanc voluptatem de qua præſertim agitur, ita integram ſinceramque exponere, ut nihil alieni in ſe recipiat. Neque ſane hoc loco expediendam duco doctrinam de moribus et perſonis apte ad naturam accommodandis. Qua de re notiſſima ſunt Horatii carmina, ubi Magiſtri ſui Ariſtotelis præcepta fere ad verbum reddidit. Et profecto quod in hoc genere præſtari

ſolet, non id uno et altero loco elucet, ſed colligitur potius ex toto curſu et quaſi contextu poematis: crebris fit evidens ſermonibus, conſiliis, factis: neque ſi quid unquam in hac parte peccatum fuerit, videtur id tam defectu ingenii eveniſſe, quam judicii ac mentis vitio.

Quod vero nunc, ut antea, præcipue ſequor eſt, ut artem eſſe aliquam commonſtrem in condendis carminibus, non dico optimam aut præ cæteris admirabilem, ingenioſam tamen, quæ naturam animi, et quicquid ſive intus homo ſentiat, ſive ore ac geſtu profiteatur palam, tanquam imagine expreſſa referat. Quod demum efficietur non ſi omnino abdita et longinqua conquiras, ſed ſi deligas propria, quæ ſi rarius, uti nonnunquam fit, occurrant oculis, idcirco tamen rara ſunt, quia in unum dumtaxat vitæ genus, aut ætatem, aut fortunarum ac rerum habitum bene conveniant.

Quod igitur ad notas morum proprietates et quaſi communia lineamenta ſpectat—haud equidem diu in vulgato orbe, multorum veſtigiis jam contrito, verſari velim. Quare exemplis aliquot adductis brevi abſolvatur quæſtio.

Senectutem ſi quis requirat proprio habitu ac colore præditam, gravem ſine ſeveritate, ſanctam, comem, decoram, eandem vero loquaciorem paullo et præteriti laudatricem, et ſicut corporis ita mentis viribus affectis jam et propemodum vacillantibus, Neſtorem illum adeat Homeri, præſertim in Odyſſea, aut ejuſdem Laertem—adeat egregios illos ſenes, quos ad Græcum exemplar aut, quod fere eodem redit, ad naturæ normam effinxit Virgilius—Pria-

mum illum, Anchiſem, Aceſtem, Evandrum. In hoc ultimo ſumma mihi ſemper viſa eſt ac perfecta imitationis virtus: et quanquam ſingula vix habeo quæ cauſam rei quærentibus objiciam, juſtam tamen certe viri præ me videor habere et corporis et animi effigiem, cum perlectis omnibus ad iſta tandem devenio, ubi perfunctis dapibus et dimiſſo cœtu convivarum ad urbem redeunt.

Ibat rex obſitus ævo
Et comitem Æneam juxta natumque tenebat
Ingrediens, varioque viam ſermone levabat.

Æn. viii. 307.

Nihil autem in reliquis deſidero, aut quibus adjectis meliores fierent video. Sed non nimis hac virtute abundant, ut naturæ congrua eademque minus obvia in conſpectum promoveant: niſi forte in hoc numero ponantur illa de Anchiſe, qui filii precibus diu flecti nequit, ut domo et laribus relictis ſaluti ſuæ conſulat. Hoc ego ſi tardioribus ingeniis minus apertum fuiſſe ſtatuam, complures fortaſſe habeam qui mecum ſentiant: ſi modo ut ætati illi congruum collaudem, neminis certe diſſenſionem vereor.

Interea a Comicis potiſſimum petenda ſunt in eo genere exempla, quod ſimplicem et interiorem animi naturam aperit; et res in communi uſu poſitas hoc artificio nobis commendare ſolet. Excelſiora quædam meditatur Tragœdia—narrat fortunas principum—vehementes amat affectus et caſus graviores—quos dum proſequitur totum in ſe defixum tenet ſpectatoris animum: neque id blanditiis hiſce et quaſi lenocinio artis efficit: imo nonnunquam e re fuit evitare hanc nudam veritatis ſpeciem, ne nimis

in humilia atque uſitata deſcendat poema, et dum naturæ obſequatur dignitati ſuæ obſit.

Alia plane res agitur in Comœdia: ubi ſæpe fit, ut fabulæ et ſententiarum rationem vix ullam habeamus, modo ſolidam et expreſſam intueamur morum imaginem. Terentiano illo Chremate aut Simone ecquid unquam naturæ propius? Quod cernitur itidem in duobus quos habet in Hecyra ſenes. Tum in Nauſiſtrata perfecta exponitur matronæ ſpecies, non potentis quidem illius et decori ſervantiſſimæ, ſed magis ex communi more ac modulo effictæ.

Adoleſcentis autem mentem, ingenii ſane liberalis ſed voluptatibus dediti, quam juſte explicuit ſcena illa in Heautontimorumeno, ubi Clitipho patre ſemoto ſecum ita loquitur!

Quam iniqui ſunt patres in omnis adoleſcentis judices!
Qui æquom eſſe cenſent, nos jam a pueris illico naſci ſenes:
Neque illarum affines eſſe rerum, quas fert adoleſcentia.
Ex ſua libidine moderantur, nunc quæ eſt, non quæ olim fuit.
Mihi ſi unquam filius erit, næ ille facili me utetur patre:
Nam et cognoſcendi et ignoſcendi dabitur peccatis locus;
Non ut meus, qui mihi per alium oſtendit ſuam ſententiam.
Perii! is mihi, ubi adbibit plus paullo, ſua quæ narrat facinora!
Nunc ait, periculum ex aliis facito, tibi quod ex uſu fiet.
Aſtutus: næ ille haud ſcit, quam mihi nunc ſurdo narret fabulam.
Magis nunc me amicæ dicta ſtimulant, Da mihi, atque affer mihi:
Cui quid reſpondeam, nihil habeo; neque me quiſquam eſt miſerior. *Act. 2. Sc. 1.*

Quo in genere præ Terentianis omnibus palmam facile fert Soſtrata in Hecyra: quam quidem eo libentius appono, quia ſive id pravo factum ſit judicio, ſive ita tulerit iſtius vitæ ratio, ut fœminas rebus agendis intereſſe non admodum deceret, aut quacunque demum ex cauſa evenerit, certe in moribus earum familiariter explicandis parum laboris poſuiſſe videntur poetæ veteres. Et profecto ſi quam fabulam nominarem ut præ cæteris recte moratam, et quæ, ut Critici verbis utar, ſine pondere et arte hac una ratione voluptatem pariat, ultra Hecyram Terentii vix proſpiciendum puto.

Plauti autem, utcunque arte et venuſtate, iiſque omnibus quæ in pectus viam aperiunt a Terentio longe abſit, uberius tamen fuiſſe ingenium in variandis moribus, iiſque ſimul ad vitæ exemplar exigendis, facile conſtat. Quippe exigua admodum eſt in Terentio perſonarum varietas: continuo in iiſdem fere anguſtiis vertitur. Ille alter liberius in conſuetudinem vitæ excurrit, ex diverſis quæſtibus, artificiis, ſtudiis hominum, materiem ſumit ſibi: habet quidem, uti cæteri, adoleſcentes prodigos, difficiles ſenes, paraſitos edaces; ſed Mercatorem illum in Aſinaria quanta arte paucis adumbravit, cautum, oculatum, prudentem, ſeptum undique et munitum, nec blanditiis, nec contumelia, nec irriſione commotum, quo lucri obliviſcatur, et rem in ancipiti ponat. Tum Avaritiæ ſordes ac miſeria, ubi melius depicta cernuntur quam in ejuſdem Aulularia? Avaro ſemper in ore paupertas, animo ſemper inſidet theſauri cura: hæc eum exedit continuo: hac ſe cruciat: hinc omnes malitioſe obſervat, timet, odit. Si quod forte verbum de divitiis ex loquentis ore

excidat, hoc illico ad ſe transfert. Si comiter a quoquam exceptus fuerit, aut familiarius ſolito ſalutatus—rem omnem evolaſſe—aurum cognitum—actum de ſe putat. Et poſtquam mille modis ſe vexavit, cum nemini fidat, huc illuc ſecum deportans aurum, tandem, uti par erat, præ nimio tumultu ſuum ipſe ſibi proditorem agit.

Neque ſane cum a toto genere diſceditur, locus non patet ampliſſimus ubi ingenium ſcriptoris ſe exerceat—quoties ſcilicet minutas captat morum ſicuti ſe habent in certo quodam rerum ſtatu ac conditione, proprietates, et exquiſitum aliquod notat idemque ſubtilius quam pro communi hominum captu. Multa enimvero ſunt in vitæ commercio quæ maxime naturæ conveniunt, ſed quoniam infrequentiora fortaſſe fuerint, aut majoribus apertiſque ſignis careant, aut brevi diſpereant tempore et evaneſcant penitus, idcirco in ſenſum vulgi raro cadunt. Aut ſi quid unquam hujuſmodi efferre opus ſit, ſtatim ad illud confugiunt,

Nequeo monſtrare, et ſentio tantum.

In his igitur expediendis quidam operæ bonam partem non infeliciter collocarunt. Quanquam enim procul abeſt, ut rem ſummæ facultatis id eſſe judicem, attamen quo bene procedat, ingenio certe opus eſt non inerti, et ſagaci judicio, acieque acri et in rem unice intenta.

Nam ſicuti in cælorum ac naturæ facie, multa quotidie fiunt quæ, licet imperitorum oculos fugiant, pictoribus patent—nebularum varii aſpectus—luminum mutationes—colores vagi et inſtabiles qui vel in tranſitu pereunt—quæ illi omnia ſtudioſe obſervando ad uſum artis ſuæ colligunt; idem fere

eſt in hominum moribus deſignandis. Animi enim natura cum ſit multiplex et inconſtans, pro rei, temporis, loci occaſione motus habet longe diverſos, eoſdemque ſubtiles ſæpe et incertos, et quales non niſi ipſo temporis articulo comprehendere ac complecti licet. Quo in ſtudio ſi quis docte verſetur, tinetimos reconditoſque ſenſus curioſe eliciat, eum ſane, ut cætera deſint omnia quæ in poeta requirimus, non ſine admiratione quadam et voluptate legimus.

Etenim in celeberrimo Lucretii libro, ubi ſingillatim ea percurrit, quibus ſub falſa veri ſpecie capiuntur ſenſus, delectamur certe venuſtate carminis quæ eſt in hac parte egregia—maxime tamen tenemur facultate illa, qua totam ſenſuum rationem et perſpicere penitus potuit et ſumma fide explicare. Paucos modo ex ſexcentis fere verſibus in eodem argumento fas ſit apponere.

Qua vehimur navi, fertur, cum ſtare videtur :
Quæ manet in ſtatione, ea præter creditur ire,
Et fugere ad puppim colles, campique videntur,
Quos agimus præter navim, veliſque volamus.
Lucret. iv. 388.

Denique ubi in medio nobis equus acer obhæſit
Flumine; et in rapidas amnis deſpeximus undas;
Stantis equi corpus tranſverſum ferre videtur
Vis, et in adverſum flumen contrudere raptim :
Et, quocunque oculos trajecimus, omnia ferri
Et fluere adſimili nobis ratione videntur. *Ib.* 422.

Interna ſunt illa quæ ſequuntur et magis ad animi partem pertinentia,

Et quoi quiſque fere ſtudio devinctus adhæret,
Aut quibus in rebus multum ſumus ante morati,

Atque in qua ratione fuit contenta magis mens,
In ſomnis eadem plerumque videmur obire:
Cauſidici cauſas agere, et componere leges:
Induperatores pugnare, ac prælia obire:
Nautæ contractum cum ventis cernere bellum:
Nos agere hoc autem, et naturam quærere rerum
Semper, et inventam patriis exponere chartis.
Cætera ſic ſtudia, atque artes plerumque videntur
In ſomnis animos hominum fruſtrata tenere.
Et, quicunque dies multos ex ordine ludis
Adſiduas dederunt operas, plerumque videmus,
Quom jam deſtiterint ea ſenſibus uſurpare,
Reliquäs tamen eſſe vias in mente patenteis,
Qua poſſint eadem rerum ſimulacra venire,
Per multos itaque illa dies eadem obverſantur
Ante oculos, etiam vigilantes ut videantur
Cernere ſaltanteis, et mollia membra moventeis,
Et citharæ liquidum carmen, chordaſque loquenteis
Auribus accipere, et conſeſſum cernere eundem,
Scenaïque ſimul varios ſplendere decores. *Ibid.* 959.

Vereor equidem ne longior ſim quam res poſtulet, ſed præterire nolo egregia illa quæ juvenis mentem irrequietam declarant, luxu et deſidia et malo amore perditi.

Eximia veſte et victu convivia, ludi,
Pocula crebra, unguenta, coronæ, ſerta parantur;
Nequicquam: quoniam medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid, quod in ipſis floribus angat:
Aut quod conſcius ipſe animus ſe forte remordet,
Deſidioſe agere ætatem, luſtriſque perire:
Aut quod in ambiguo verbum jaculata reliquit;
Quod cupido adfixum cordi viveſcit, ut ignis:
Aut nimium jactare oculos, aliumve tueri
Quod putat, in voltuque videt veſtigia riſus. *Ib.* 1124.

Interea parum id refert, an diſerte narret poeta quæ tacita cogitatione intus percipiuntur, an quæ certis

indiciis vultus corporiſque fiunt manifeſta foris. Leviculum fortaſſe eſt illud Catulli, ſed ad argumentum facit.

Ut miſſum ſponſi furtivo munere malum
Procurrit caſto Virginis e gremio,
Quod miſeræ oblitæ molli ſub veſte locatum
Dum adventu matris proſilit, excutitur;
Atque illud prono præceps agitur decurſu:
Huic manat triſti conſcius ore rubor.

Catull. Carm. lxv. 19.

Quod ſane dulciſſimum Odyſſeæ locum facit ut meminerim, ubi Nauſicaa inſtantium nuptiarum probe conſcia fictam adfert Alcinoo propoſiti ſui cauſam. Cui quidem filiæ verecundiæ ſuaviter ille, ut patrem decuit, ſuccurrit.

Ὣς ἔφατ'· αἴδετο γὰρ θαλερὸν γάμον ἐξονομῆναι
Πατρὶ φίλῳ· Ο ΔΕ ΠΑΝΤΑ ΝΟΕΙ, καὶ ἀμείβετο μύθῳ.

Odyſſ. Z. 66.

Elegans porro eſt in re non abſimili Statius—ubi Adraſti filiæ in hoſpitum conſpectum patris juſſu prodeunt.

Nova deinde pudori
Viſa virûm facies: pariter pallorque ruborque
Purpureas hauſere genas: *oculique verentes*
Ad ſanctum rediere patrem. *Theb.* i. 536.

Pallor genarum et ſubinde rubor, et dejectus in terram vultus cuilibet ſunt in promptu: quod vero ait erubeſcentium oculos a nova facie ad notam retorqueri, ipſam rei veritatem exprimit; edocetque plane quantum diligenti obſervatione etiam in communibus hiſce præſtari poſſit.

Primas fere tenet Statius, ut antea eſt dictum, in hoc leniori genere ſcribendi: et profecto plurima

ſunt in Achilleide ita ad unguem expolita, ut ſuperari vix queant. Deidamiæ fabula fortaſſe ad eam magis partem videatur pertinere, quæ de affectibus tractabit: habet tamen nonnulla quæ et hic recte adhiberi poſſint, quia indolem et mores adoleſcentium et occultos quoſdam animi flexus pulchre expediunt, priuſquam in violentos amoris æſtus res erumpat. Cujuſmodi ſunt illa,

> Æaciden furto jam noverat una latentem
> Deidamia virum, ſed opertæ conſcia culpæ
> Cuncta pavet, *tacitaſque putat ſentire ſorores.*
>
> *Achill.* i. 561.

Culpa vero illa erat, non læſæ pudicitiæ, ſed quod in virginum cœtu virum paſſa ſit diu impune verſari. Tum ſuaviſſimis aliquot interjectis verſibus, quos utpote propoſito admodum convenientes, ſi per tempus liceret, nequaquam præterirem, ingreſſus primos amoris et quaſi proluſiones ſic aperit.

> Ipſa quoque et validos proferre modeſtius artus,
> Et tenuare rudes attrito pollice lanas
> Demonſtrat, reficitque colos, et perdita dura
> Penſa manu, vociſque ſonum, ponduſque tenentis.
> Quodque fugit comites, nimio quod lumine ſeſe
> Figat, et in verbis intempeſtivus anhelet,
> Miratur: jam jamque dolos aperire parantem,
> Virginea levitate fugit, prohibetque fateri."
>
> *Achill.* i. 584.

Quantopere vero in deſcriptionibus veritati conſulat, ſectando ſemper aliqua quæ tardiorem effugiant aciem, paucis adhuc exemplis comprobari volo. Viri feræ impetum expectantis affectus optime perhibet.

> Venator longo motum clamore leonem
> Expectat firmans animum, et ſudantia niſu
> Tela premens: gelat ora pavor, greſſuſque tremiſcunt;

Quis veniat, quantuſque! ſed horrida ſigna frementis
Accipit, et cæca metitur murmura cura. *Theb.* iv. 495.

Iterum de Eteocle enſe transfixo;

Ille dolens nondum ſed primo frigore ferri
Territus. *Theb.* ii. 544.

Paſtoris autem dolorem ob ſtragem inter pecudes noctu factum hunc in modum depingit.

Luce patent cædes: domino perferre recentes
Ipſe timet caſus; hauſtaque informis arena
Queſtibus implet agros, ſtabulique ſilentia magni
Odit, et amiſſos longo ciet ordine tauros. *Theb.* iii. 50.

Ubi cætera ſunt ſatis communia—quod domino rem, quamvis inſons, deferre metuat, ex natura penitus deductum videtur.

Præclarum in eodem genere eſt illud de Mulieribus Lemniis in quinto Thebaidos, quæ ſole jam orto, et fœdiſſima illius noctis patefacta cæde, tandem ad juſtum facinoris odium atque horrorem converſæ, mutuos etiam aſpectus verentur:

Quanquam inter ſimiles habitus rubor. *Theb.* v. 300.

Neque mediocrem habent laudem iſta de Adoleſcente Achille, quem fere invitum a latebris abductum, ut Græcis ante Trojam auxilio eſſe poſſit, Ulyſſes mira arte permulcet; efficitque tandem, ut communem iram adverſus hoſtes concipiat. Poſtquam enim complura copioſa oratione percurriſſet, quo injuriam Menelao non levem eſſe factam commonſtraret, ad extremum quærit, quonam ipſe ſenſu afficeretur in cauſa ſimili.

Quid ſi nunc aliquis patriis rapturus ab oris
Deidamian eat, viduaque a ſede revellat
Attonitam, et magni clamantem nomen Achillis?

Illius ad capulum rediit manus, et ſimul ingens
Impulit ora rubor: tacuit contentus Ulyſſes.
Achill. ii. 365.

Non omnino tutum eſſe meram fidem rerum perſequi, jam ſæpe monui; plurimamque habendam eſſe rationem et argumenti et formæ carminis; quæ fortaſſe ſint ejuſmodi, ut diligentiam hanc operoſam repudient. Frequentius adhuc peccari ſolet, cum quæ in hoc genere ſcriptor habeat, ea frigide et imperite adfert; et quaſi rem factam narrat, non intexit fabulæ, aut ex agentium ore deducit. Quo in vitio eſt illud Statii de milite, ad Eteoclem poſt interfectos a Tydeo ſocios, reverſo.

Necdum ora patent, dubiuſque notari
Signa dabat magnæ longe manifeſta ruinæ,
Planctuque, et gemitu: *lacrymas nam protinus omnes*
Fuderat. *Theb.* iii. 42.

Quod verum ſit licet, inſcite admodum et hiſtorico quodam more dictum eſt. Alia ſunt ejuſdem quæ et vera et pulchra eſſe judico—Epici tamen carminis gravitati minus congrua. Ut in Thebarum oppugnatione,

Nondum hoſtis circa: trepido tamen agmine matres
Conſcendunt muros: inde arma nitentia natis
Et formidandos monſtrant ſub caſſide patres.
Theb. vii. 240.

Iterumque in rebus adhuc acerbioribus et in graviſſimo omnium ordinum luctu,

Flent pueri, et flendi nequeunt cognoſcere cauſas
Attoniti, et tantum matrum lamenta timentes.
Theb. x. 568.

Magna ſane eſt in his, ut in omni Poetæ munere obeundo, Virgilii prudentia; quem quidem eo rarius adduxi, (uti vobis, Academici, qui jam me non ſemel hoc dicentem audiiſtis, probe cognitum eſt) quia

vix unquam hæc minora de induſtria, et ſui cauſa aucupatur: parcius multo id agit et de occulto magis: et ſi quæ adhibeantur (ſicuti ſunt bene multa) judicio hæc premit ſevero, et ad proprias partes revocat—nempe ut fabulæ et affectibus commovendis inſerviant—ut apte cum cæteris in unum coeant—ut toti potius corpori offundant gratiam, quam proprio ſplendore eniteant.

Quod ſi præſtantiſſimum quis petit exemplum, perlegat illa in ſecundo Æneidos, ubi expugnationem et incendium urbis Æneas narrat. At quæ de animi ſui affectibus profitetur, pro vario calamitatum genere quibus interfuit commotis, non tam exquiſita ſunt illa, quantum optime in rem conveniunt, et narrationem adjuvant. Conſpecta ſcilicet Priami morte, ecquid aptius adjungi poterat quam quæ ſequuntur?

> At me tum primum ſævus circumſtetit horror:
> Obſtupui: *ſubiit chari genitoris imago,*
> *Ut regem æquævum* crudeli vulnere vidi
> Vitam exhalantem: ſubiit deſerta Creüſa,
> Et direpta domus, et parvi caſus Iüli. *Æn.* ii. 559.

Deinde, quid media in fuga ſenſerit, quid poſt amiſſam Creuſam, quid ubi denuo in urbem reverſus, tam brevi ſpatio mutatam rerum faciem cernit, pari fide eſt ad naturæ exemplar elaboratum.

Quinetiam ſi quis ludos in quinto Æneidos cum argumento ſimili in Punicis Italici, quanto plus hic curæ poſuerit in minutis exequendis facile conſtabit. Certantium quidem ora et geſtus, uti decebat in præcipua re, et varios corporis animique motus diligenter exponit Virgilius: quæ autem de ſpectatoribus ait laxa ſunt ſatis et communia:

Tum plauſu fremituque virum ſtudiiſque faventum
Conſonat omne nemus, vocemque incluſa volutant
Litora, pulſati colles clamore reſultant. *Æn.* v. 148.

Silii magis ad vulgi exemplum ſunt confi&ta;

Pronique, et ſimiles certantibus, ore ſequuntur
Quiſque ſuos currus, magnaque volantibus idem
Voce loquuntur equis. *Pun.* xvi. 320.

Et rurſus in eadem re;

Diverſa et ſtudia et clamor, pendentque faventes
Unguibus; atque ſuos, ut cuique eſt gratia, anheli
Nomine quemque cient. *Pun.* xvi. 482.

Nitide hoc interdum et ſine ſtrepitu ab iiſdem, et Silio et Statio, fieri videmus: ut de civibus Romanis poſt cladem ad Traſymenum acceptam,

Jacent portis ululante dolore
Diſperſum vulgus, remeantumque ordine longo
Servat turba gradus; pendent ex ore loquentum,
Nec lætis ſat certa fides, iterumque morantur
Orando, et vultu interdum ſine voce precati,
Quod rogitant audire pavent. *Punic.* vi. 563.

et illud Statii de Eteocle,

Audire *expoſcit, et odit*
Narrantem.

Sed plerumque hoc faciunt ambitioſius, ut plane ſe neſcire arguant, quanti ſit in his rebus aliquando celare artem [a].

[a] Oreſtis illa in Choephoris ad Sororem, hujus loci argumento imprimis ſunt idonea.

ΟΡ. Αὐτὸν μὲν οὖν ὁρῶσα δυσμαθεῖς ἐμέ.
Κουρὰν δ' ἰδοῦσα τήνδε κηδείᾳ τριχὸς,
Ἰχνοσκοπεῖσά τ' ἐν στίβοισι τοῖς ἐμοῖς
Ἀνεπτερώθης, καὶδόκεις ὁρᾷν ἐμέ. *l.* 222.

Quorum vim optime vidit Schützius eleganterque explicuit. 'Recte 'Oreſtes miratur Electram, quæ antea levi indicio commota ſpera-

Profecto ad ſincerum illud et ſubactum judicium quod in Virgilio admiramur, proxime ex minoribus acceſſit Flaccus in Argonauticis: cujus inſuaves plerumque et ſalebroſi verſus non raro tamen hiſce deliciis condiuntur.

Viatoris ſolicitudinem ignota regione ſub adventum noctis deprenſi quanta arte depingit!

Ipſa quies rerum mundique ſilentia terrent,
Aſtraque, et effuſis ſtellatus crinibus æther.
Ac velut ignota captus regione viarum
Noctivagum qui carpit iter; non aure quieſcit,
Non oculis; noctiſque metus niger auget utrimque
Campus, et occurrens umbris majoribus arbor.
Arg. ii. 41.

Quæ vero Alcimede inter amplexus abeuntis filii effundit, et ſuavitate ſunt omnia ſingulari, et poſtrema illa,

Hæſuraque verba relinque
Auribus, *Arg.* i. 333.

Naturam ipſam ſpirant.

Perfectum autem hujus Poetæ exemplar cernitur in Medeæ amoribus depingendis: qua in parte cum multa ex Apollonio deſumpſit, tum etiam non pauca de ſuo addidit quæ fortaſſe aliquis non inepte Græcis prætulerit. Sed quoniam iſta pars ad vehementiores affectus magis pertinet, et nimis multa jam de reliquis effudimus, rectius idcirco in hæc poſthac inquirendum erit.

' verat Oreſtem veniſſe, nunc, cum ipſum oculis ſuis videat, dubi-
' tare. Neque tamen negandum eſt, Æſchylum h. l. veram ſen-
' ſuum humanorum naturam expreſſiſſe. Fit enim ſæpenumero, ut
' animus magni alicujus boni deſiderio flagrans, id ipſum multo
' propius aut facilius eſſe fingat, quam revera ſit aut fieri poſſit;
' idem tamen repente id, quod vix fieri poſſe arbitrabatur, aſſe-
' cutus, dubitare incipiat, ac vix oculis fidem habeat.' *Schütz. Comm. in loc.*

PRÆLECTIO DECIMA.

Poeſeos cum Pictura in Affectibus imitandis comparatio. Affectus naſcentes, dubios, mixtos, fluctuantes nequit exprimere Pictura—Qui tamen omnes Poeſi admodum conveniunt. In his autem imitandis interdum offendunt poetæ. Dantur cautiones quædam et præcepta. Deinde ad Simplices Affectus graviores accedîtur—principio Amorem. *In quo argumento tractando Apollonii, Valerii, Ovidii, Virgilii expenduntur merita.*

CUM ſæpe aliter pictura et poeſis inter ſe invicem conferri ſolent, quod a me quoque in prælectionibus nonnullis jam pridem eſt factum, tum haud ſcio an nulla unquam in re magis in utramque partem diſceptetur, quam utra harum in referendis animi affectibus potiorem vim habeat. Quam quidem in quæſtionem tandem me juſto ordine deveniſſe puto, peractis nempe iis quæ ad motus animi pertinebant leniores, ſenſuſque illos breves et incertos qui, pro diverſa rerum occaſione, naſci temere atque interire ſolent. Neque tamen in hac materia pertractanda, ingenti ſane ac prope infinita, omnem affectuum rationem excutiendam judico: ſatis me et quæſtioni ipſi quæ nunc agitur, et diſciplinæ jampridem inſtitutæ, facturum arbitror, ſi pauca modo ex turba educam, quæ et artis utriuſque vim commonſtrare poſ-

ſint, et in noſtra arte præſertim colenda quid imprimis ſequi quid cavere ac fugere oporteat.

Eorum igitur qui in hujuſmodi argumento verſantur duplex omnino eſt ratio. Una, quæ manifeſta affectuum ſigna proferendo, ſicuti ſe habent in ore, oculis, vultu hominum, aut ſtatu denique motuque corporis, affectus ipſos quodammodo imitari dicitur; altera, externis hiſce omiſſis aut certe poſthabitis, interiores tantum et tacitos animi ſenſus exſequitur; quorum aliis notæ prorſus et ſigna externa deſunt, aliis vero, licet ſint ſua qualiacunque corporis indicia, levem tamen hæc et minime juſtam præbent imaginem eorum quæ intus movent mordentque animum.

In priore illo genere facile præſtare a pleriſque habita eſt pictura, ut quæ integram magis proponat effigiem et veritati propiorem, quam ulla poſſit effici vel diſertiſſima verborum ſerie. Alterum genus fieri non poteſt quin fere totum poetis relinquatur. Nempe ubi ejuſmodi conceptus declarari volumus, qui vultus et corporis habitu parum innoteſcant, adhibeatur neceſſe eſt iſta ars, quæ ſubtiliori inſtrumento utitur; aditumque ſibi ad mentes alienas ſtruit, non rectum illum atque apertum, ſed abdita quadam via et occultis quaſi ſpiraculis ſe inſinuans.

Nimirum artes hæ de quibus nunc loquimur, utcunque in cæteris conſentientes, hac una re potiſſimum inter ſe diſtant: quod in pictura, ſpectata ſatis atque hauſta oculis externa corporis ſpecie, mens ſtatim ad interiores ſenſus tranſit, qui cum deſcripta effigie videntur maxime eſſe conjuncti: contra in poeſi, perlectis carminibus quibus ineſt morum et affectuum imitatio, lectori continuo perſonæ ipſæ

coram ſtare atque agere videntur, juſta corporum figura et vultus oriſque ſpecie inſtructi, pro diverſo affectuum genere, quos tractaverit poeta. In utraque igitur jucundus quidam eſt animi motus ab apertis et præſentibus ad ulteriora et minus cognita. Poetæ certe latior patet et liberior campus; cum nihil unquam ſit quod in hominum fortunas incidere poteſt, nullo unquam affectu mens impelli poteſt, nullis cogitationibus teneri, quin is hoc genere imitationis omnia pariter attingere et complecti queat.

Interea Picturæ magna haud dubie eſt vis, quando affectus exponitur vehemens et ſimplex, nihil exquiſiti, nihil dubii mixtique generis in ſe recipiens. Neque enim dolorem merum, aut metum, aut iram, aut quidquam hujuſmodi ab Homero ipſo melius deſcriptum puto, quam in multis pictorum tabulis jam vulgo expreſſum videmus. Quod ſi proprios fines dedignata altiora atque aliena appetat, ſi eam ſibi laudem tribuat, ut varios et multiplices affectuum æſtus exprimere poſſit, mentem in contrarias partes rapientium, tum vero nugatur plane, et quæ ab artis ingenio penitus abhorrent ſibi ſtulte vindicat. Mera ſunt etenim ſomnia vel potius deliramenta quæ de hac Parrhaſii facultate effutit Plinius: ‘Pinxit ‘utique,’ ut ipſius verbis utar, ‘Demon Athenienſium, ‘argumento ingenioſo: volebat namque varium, iracundum, injuſtum, inconſtantem; eundem exora‘bilem, clementem, miſericordem, excelſum, glo‘rioſum, humilem, ferocem, fugacemque, et omnia ‘pariter oſtendere.’ *Plin. Nat. Hiſt.* xxxv. 5.

Quin tantum abeſt ut hæc portenta rerum tam diverſa atque inter ſe pugnantia uno ore referri poſſint, ut ne fluctus quidem illos mediocres affectuum,

curaſque ambiguas, quarum omnes ſibi interdum ſunt conſcii, in artis illius poteſtatem cadere exiſtimem. Operam interdum in hac virtute laudanda impendunt elegantes quidam, ut ſibi videntur, picturæ ſpectatores: hanc aliis ſe tardioribus digito monſtrare amant, eamque intuendo ſe mirifice delectari profitentur: quam tamen rem omnem (ut præſtantiſſimum e noſtris pictoribus auctorem[a] ſequar) fictam prorſus et inanem, ex ſuis natam cerebris, ridiculo errore capti admirantur. Sic ab Auſonio laudatur Timomachus;

Medeam vellet quum pingere Timomachi mens
Volventem in natos crudum animo facinus.
Immanem exhauſit rerum in diverſa laborem
Fingeret affectum matris ut ambiguum.
Ira ſubeſt lacrymis: miſeratio non caret ira:
Alterutrum videas ut ſit in alterutro. *Epig.* 129.

Quo etiam in genere eſt illud Claudiani in piorum Catinenſium ſtatuas, qui parentes grandævos humeris excipientes, ab Ætnæo igne incolumes ſuſtulerunt.

In juvenum membris animoſus cernitur horror,
Atque oneri metuens, impaviduſque ſui.
Claud. Carm. I. 13.

Atqui inter poetas nullus frequentior hoc aut uberior eſt locus, aut unde major exoritur carminibus gratia ac venuſtas Sæpe hanc rem brevi expedit Virgilius, ſicut in illis de Turno,

Æſtuat ingens
Imo in corde pudor, mixtoque inſania luctu
Et Furiis agitatus amor, et conſcia virtus.
Æn. xii. 667.

[a] Sir Joſhua Reynolds, Diſc. v.

Aut quid acrius legentis perſtringit animum ipſa naturæ veritate egregie expreſſa, quam ubi Æneam ingentibus vexatum curis uno verſu depingit?

Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.
Æn. i. 209.

Sæpe has turbas pectoris et quaſi luctantium inter ſe affectuum contentiones longa ſerie enarrat ſcriptor, quæ ut ſtatim *narrata* animis concipimus, ita oculis ea nequaquam in *pictura* objici poſſe facile conſtat. Qua in re Pamphilum illum Terentianum audiamus, miſeris modis ſe cruciantem.

Tot me impediunt curæ, quæ meum animum divorſe trahunt,
Amor, miſericordia hujus, nuptiarum ſollicitatio;
Tum patris pudor, qui me tam leni paſſus eſt animo uſque adhuc,
Quæ meo cunque animo lubitum 'ſt, facere: ein' ego ut advorſer? hei mihi!
Incertum 'ſt, quid agam. *Andr.* i. 5. 26.

Hæc dum effundit, nos omnes ſuus quemque ſenſus docet atque experientia, ea naturæ imprimis convenire: eadem vero ſi in tabulam referre pictor aggrediatur, aut in iis elaborandum erit quæ unius tantummodo affectus ſint propria, aut nihil omnino affectus in ſe pictura habebit. Neque enim hiſtrio poterit in ſcena ſine verborum ope impeditos hoſce et tortuoſos animi flexus explicare: poterit certe vultus et oculorum moderatione, jactatione lacertorum, crebro inceſſu et ſtatu corporis mutato, rem dubiam anxiamque intus agi ſignificare; quænam vero in hoc turbine elementa una coëant, quo ordine miſceantur, quæ ſit cujuſque vis in mentem, tacito oris flexu aut motu membrorum declarari plane nequit. Nedum

hoc fieri poterit in pictura, ubi fixa ſunt et immota omnia, et ad breviſſimum temporis ſpatium accommodata.

Sunt porro nonnulli ſimplices et violenti affectus qui aſpectum induunt ita mobilem et varium, ut ſolo poeta æquari poſſe videantur. Cujuſmodi eſt vates illa Lucani divino furore percita; quam tamen deſcriptionem aliquantum ultra pudorem ſuo more auget.

> Quem non emiſit, ſupereſt Deus: ille feroces
> Torquet adhuc oculos, totoque vagantia cœlo
> Lumina: nunc vultu pavido, nunc torva minaci,
> Stat nunquam facies: rubor igneus inficit ora,
> Liventeſque genas: *nec, qui ſolet eſſe timenti,*
> *Terribilis ſed pallor ineſt:* nec feſſa quieſcunt
> Corda; ſed ut tumidus Boreæ poſt flamina pontus
> Rauca gemit, ſic multa levant ſuſpiria vatem.
>
> *Pharſ.* v. 211.

Fit profecto nonnunquam in minoribus poetis, ut tanquam homines iræ impotentes, omnia quæ præſto adſunt, præ concepta in animo cogitatione, languida et effœta judicent. Hinc rem terribilem novis continuo adjectis terroribus augere cogitant: hinc exquiſitum aliquod dum aucupantur, et quod imperita fallit lumina, non raro naturæ fines, modicos illos plerumque, tranſilire ſolent. Utrum hoc in vitio ſit illud Lucani modo recitatum necne, vix auſim dicere: pallorem equidem, ſive ex metu proficiſceretur ſeu furore, eandem ſpeciem præbuiſſe crediderim—quicquid autem diverſi ineſſe contigiſſet, id aliis ex cauſis effectum eſſe.

Sin autem Ariſtotelis, graviſſimi ſane humanæ mentis interpretis, aliquid apud nos valeat auctoritas,

certe in his lapſum eſſe poetam fatendum eſt, ubi Cæſarem, clauſum anguſto limite hoſtibuſque obſeſſum undique, hoc modo affectum fingit.

Tangunt animos iræque, metuſque:
Et timet incurſus, indignaturque timere.
Pharſ. x. 444.

Iram enim cum timore nequaquam ſtare poſſe diſerte a Philoſopho dictum eſt. Quanquam in eodem errore Livium verſari video, qui de Gallorum exercitu ſcribens iniquo genere pugnæ deprehenſo, animos eorum ait '*ira et pavore fuiſſe obcæcatos.*' Liv. xxxviii. 21. Nec multum abeſt ab horum inſcitia illud Statii de juvenibus ludorum certamen inituris.

Speſque, audaxque una metus, et fiducia pallens.
Theb. vi. 393.

In hæc autem vitia ſcriptores incurrere opinor, dum longinqua uſque venari malunt, quam paratis uti et præſentibus; aut dum priores ſuperandi deſiderio capti eadem naturæ ſpatia toties peragrata ſcrutari ægre ferunt, at quæ jam ante inventa ſunt et vulgata inſolito modo conjungentes, ingenii aliquam laudem et novitatis proponunt ſibi: cujus ſpem omnem alioqui abreptam putant.

Qua in ſententia bis, ut opinor, falluntur. Nam neque aliorum inventa diſponere, inventionis in ſe laudem habet: neque ita eſt naturæ jejuna aut tam abſumpta materies, ut non abunde relictum ſit arte ac ſolertia aliorum indagandum. Verum hoc in ſtudio præcipuum eſt ut in mentem ſuam penitus deſcendat ſcriptor, ſecum una ineat conſilia, pectoris ſui arcana et latebras ſedulo excutiat: et quoniam hac lege facti eſſe videmur, ut affectuum ſingulorum ſemina unicuique noſtrum pa-

riter ſint inſita, nihil eum probare oportebit, niſi quod ſuis ſenſibus convenire, et a ſe in fortuna ſimili percipi aut agi poſſe exiſtimet. Quod ſi auxilium artis et ſtudiorum quærat, præter optimorum poetarum lectionem nihil prius aut fidentius nominare auſim, quam aureum illum ex Rhetoricis librum, in quo hujus doctrinæ omnis fontes et capita, breviter ut ſolet, expoſuit philoſophorum princeps; tanta tamen cum gravitate ac rerum copia, ut quamcunque in partem mihi incidere contigerit, uberior ea ſemper quam ante viſa eſt—magis locis abundare—magis a cæteris ejuſdem generis dignoſci poſſe—magis ſignis innoteſcere propriis ac plane ſuis.

Aliquid in his curæ poſthac impendendum erit, quando ad affectus illos perventum fuerit, qui ad munus oratorium præcipue pertinent—quod genus altera, uti ſpero, prælectione complecti in promptu erit, atque huic inſtituti operis parti, quæ ultra modum jam forſan excurrerit, finem aliquando imponere.

Grave autem imprimis argumentum et quod a poetis hodie quaſi proprio jure vindicari dicitur Ariſtoteles prorſus intactum præteriit—violenti nempe Amoris cæcam illam ac vere invictam vim. Levia quidem fuere iſta quæ cum hoc animi affectu conjuncta antehac protulerim—et quæ rem magis naſcentem indicarent, quam naturam ejus, poſtquam ad juſtam molem ac magnitudinem provecta eſſet, exponerent. Ex veteribus autem poetis Apollonium cæteros anteiſſe conſtat; primumque hoc argumentum ſerio et graviter tractandum ſuſcepiſſe. Nam quæ in Sapphûs carminibus leguntur, etſi his ignibus ardentem animum ac pæne abſumptum ſignificant,

nequaquam tamen ſubtiliores illos ſenſus expediunt, qui ab ortu uſque ad exitum rei miro ordine et quaſi alternis vicibus ſubeuntes, amore ac ſolicitudine vexatum pectus opprimunt. Quanta ex hoc campo jam excreverit ſeges nemini in poetis vel mediocriter verſato non liquet: quo etiam magis mirari licet, rem adeo fæcundam et locupletem tamdiu neglectam jacuiſſe.

Profecto Apollonium (quem iniqua Quinctiliani ſententia *æquabilem* modo et *mediocrem* haberi ægre fero) hac in parte ſummis enixum eſſe viribus videtur, et, uno Virgilio excepto, palmam cæteris omnibus facile præripuiſſe. Quin Virgilii ipſius laus maxime cernitur in furoribus Didonis ex ſpreto amore ortis. Ubi teneris rei primordiis atque indies ingraveſcenti morbo operam dat, pauca deprehendet aliquis Græcis meliora, plurima vero eademque optima ex Græcis manifeſto ſumpta. Sed de his mox videndum erit.

Jam pauliſper advertamus animos, quanta fide ac ſuavitate ingreſſus primos et rudia amoris incrementa perſequitur Apollonius. Conſpecto igitur Jaſone ut ex aula paterna prodibat foras,

Ἐπ' αὐτῷ δ' ὄμματα κάρη
Λοξὰ παρὰ λιπαρὴν σχομένη θηεῖτο καλύπτρην,
Κῆρ ἄχεϊ σμύχουσα· νόος δέ οἱ, ἠΰτ' ὄνειρος,
Ἑρπύζων πεπότητο μετ' ἴχνια νισσομένοιο. *Arg.* iii. 444.

et poſt paullo,

Προπρὸ δ' ἄρ' ὀφθαλμῶν ἔτι οἱ ἰνδάλλετο πάντα·
Αὐτός θ' οἷος ἦεν, οἵοισί τε φάρεσιν ἧστο,
Οἷάτ' ἔειφ', ὡς θ' ἕζετ' ἐπὶ θρόνου, ὡς τε θύραζε
Ἤϊεν· ἠδέ τιν' ἄλλον ὀΐσσατο πορφύρουσα
Ἔμμεναι ἀνέρα τοῖον· ἐν ἔασι δ' αἰὲν ὀρώρει
Αὐδή τε μῦθοί τε μελίφρονες, ἧς ἀγόρευσε. *Arg.* iii. 453.

Virgilii in eadem re ſunt plane ad horum ſimilitudinem exacta: atqui illa

> Multa viri virtus animo, *multuſque recurſat*
> *Gentis honos*,

frigidiora paullo ſunt et occaſioni minus apta.

Deinde ubi Medea concepti ignis male compos ſorori rem omnem deferre cogitat, plus certe miſerationis, ne dicam veritatis, habent trepida hæc conſilia et in ſe uſque redeuntia, quam ſi, Didonis more, continuo mentem onere levaſſet.

> Δὴν δέ κατ' αὐτόθι μίμνεν ἐνὶ προδόμῳ θαλάμοιο
> Αἰδοῖ ἐεργομένη· μετὰ δ' ἐτράπετ' αὖτις ὀπίσσω
> Στρεφθεῖσ'· ἐκ δὲ πάλιν κίεν ἔνδοθεν· ἄψ τ' ἀλέεινεν
> Εἴσω· τηῦσιοι δὲ πόδες φέρον ἔνθα καὶ ἔνθα.
> Ἤτοι ὅτι θύσειεν ἔρυκέ μιν ἔνδοθεν αἰδώς·
> Αἰδοῖ δ' ἐργομένην θρασὺς ἵμερος ὀτρύνεσκεν·
> Τρὶς μὲν ἐπειρήθη, τρὶς δ' ἔσχετο· τέτρατον αὖθις
> Λέκτροισι πρηνὴς ἐνικάππεσεν εἰλιχθεῖσα. *Arg.* iii. 648.

Tum quæ ſequuntur adhuc dulciora,

> Ὣς φάτο· τῆς δ' ἐρύθηνε παρήϊα· δὴν δέ μιν αἰδὼς
> Παρθενίη κατέρυκεν ἀμείλιχα μεμαυῖαν.
> Μῦθος δ' ἄλλοτε μέν οἱ ἐπ' ἀκροτάτης ἀνέτελλε
> Γλώσσης, ἄλλοτ' ἔνερθε κατὰ ςῆθος πεπότητο.
>
> *Arg.* iii. 681.

Mox autem ubi contrariis curis mens anceps diſtrahitur, non vulgare eſt illud quod eam, ne mortem ſibi conſciſcat, cohibet pauliſper pudor et læſæ famæ poſt mortem metus. Quem poſtquam exemit ſcrupulum et facinus horrendum jam fixo corde aggreditur, flecti rurſus incipit, abſiſtitque propoſito, ipſo in lethi limine conſiſtens. Optime ſane in his cernitur, quam ex integro naturæ fonte deducta ſunt omnia:

Ἀλλά οἱ ἄφνω
Δεῖμ' ὀλοὸν στυγεροῖο κατὰ φρένας ἦλθ' Ἀΐδαο·
Ἔσχετο δ' ἀμφασίῃ δηρὸν χρόνον, ἀμφὶ δὲ πᾶσαι
Θυμηδεῖς βιότοιο μεληδόνες ἰνδάλλοντο.
Μνήσατο μὲν τερπνῶν ὅσ' ἐνὶ ζωοῖσι πέλονται,
Μνήσαθ' ὁμηλικίης περιγηθέος, οἷά τε κούρη·
Καί τέ οἱ ἠέλιος γλυκίων γένετ' εἰσοράασθαι
Ἢ πάρος· ἦ ἐτεόν γε νόῳ ἐπεμαίετ' ἔκαρσα. *Arg.* iii. 808.

Quædam infeliciter ex hoc Apollonii libro tentavit Valerius; neque ea ſemper culpa vacat, quod ſe tum demum naturam ſequi exiſtimet, ſi vilem eam et plebeiam ſine arte et cultu ſpectantibus præbeat. Quem enim in Medeæ amoribus, multa ſane cum venuſtate atque elegantia plerumque depictis, non offendunt iſta?

Viſus et heu miſeræ tunc pulchrior hoſpes amanti
Diſcedens: *tales humeros, ea terga relinquit.*
Illa domum atque ipſos paullum procedere poſtes
Optat, et ardentes tenet intra limina greſſus.
Arg. vii. 107.

Non quod Jaſonem hoc tempore pulchriorem ei viſum eſſe inepte fictum judicem: maxime utique amori eſt finitima miſericordia; qua tum Medeam omnino affici par erat, ut quæ ſortem viri indignam animo volvebat periculum capitis haud dubium inituri. Quamobrem hoc longe melius excogitavit Valerius quam eſt illud Ovidii commentum;

Et *caſu*, ſolito formoſior Æſone natus
Illa luce fuit. *Met.* vii. 84.

Sed rem eximiam adeo humiliter et ad vulgarem vitæ ſimilitudinem efferre non debuit. Quod itidem in his pariter queri licet.

Torſerat illa gravi jamdudum lumina vultu,
Vix animos dextramque tenens, quin ipſa loquentis
Iret in ora Deæ; tanta pudor æſtuat ira.
Arg. vii. 293.

Ne vero vitia paullo acrius inſectari videar, multa equidem ejuſdem poetæ parem cum Apollonio imitationis laudem conſecuta eſſe lubens profiteor. Quæ autem Medeæ perturbatam mentem indicant, Jaſonis precibus jam ad finem perductis, etiam pulchriora Græcis exiſtimo, magiſque ad veritatis normam redacta.

Illa tremens, ut ſupplicis adſpicit ora
Conticuiſſe viri, jamque et ſua verba repoſci;
Nec quibus incipiat demens videt, ordine nec quo,
Quove tenus, prima cupiens effundere voce
Omnia, ſed nec prima pudor dat verba timenti.
Arg. vii. 431.

Unum adhuc adferre liceat, utpote in illo genere egregium quod, licet in propatulo non nimis jaceat, nemo tamen, ſit modo monſtratum, a natura ipſa petitum negat. Ad cætera enim quibus Medea ſecum cor angit, dum Jaſonem ad iniquum certamen diſcedentem animo proſequitur, hæc inſuper addit;

Et nunc ille ſua non quenquam ſorte moveri,
Non ullum meminiſſe putat: cumque omnibus odit
Me quoque. *Arg.* vii. 203.

Ovidii in hoc argumento carmina adeo ſunt nota, ut in exemplum trahi vix debeant. Profecto, niſi in argutias aliquando ſuo more delapſus eſſet, totum hunc locum non mediocri laude cumulatum ducerem. Quod præcipue ad hanc noſtram rationem pertinet eſt, ubi Medea ſibi falſam ipſa prætendit cauſam, cur Jaſoni opem ferre velit.

Vivat, an ille
Accidat, in Dîs eſt: vivat tamen: idque precari
Vel ſine amore licet: *quid enim commiſit Jaſon?*
Quem niſi crudelem non tangat Jaſonis ætas
Et genus, et virtus? *Met.* vii. 23.

Aliqua ex ſequentibus minus probo: ut quum maris pericula in numero eorum ponit, quæ propoſito obſtare videbantur—quaſi hæc non vana prorſus præ ardore concepti amoris habita eſſent. Cujuſmodi erroribus Ovidium non raro irretitum novimus, dum ingenio ſuo obſequi quam naturæ malit.

Nemini interea in mentem veniſſe confido, me Græci Poetæ carmina eo animo protuliſſe, ut primas Virgilio etiam hac in parte denegandas eſſe cenſeam. Quod ut a re et veritate, ita longiſſime abeſt a judicio ac voluntate mea. Quin omnia fere quæ mentem hoc morbo miſere vexatam indicant, ab aliis poetis fuſius tractata, hic preſſe ac breviter abſolvit.

Nunc media Æneam ſecum per mœnia ducit;
Sidoniaſque oſtentat opes, urbemque paratam:
Incipit effari, mediaque in voce reſiſtit.
Nunc eadem, labente die, convivia quærit,
Iliacoſque iterum demens audire labores
Expoſcit, pendetque iterum narrantis ab ore.
Poſt, ubi digreſſi, lumenque obſcura viciſſim
Luna premit, ſuadentque cadentia ſidera ſomnos,
Sola domo mæret vacua, ſtratiſque relictis
Incubat. Illum abſens abſentem auditque videtque,
Aut gremio Aſcanium, genitoris imagine capta,
Detinet, infandum ſi fallere poſſit amorem.
Æn. iv. 74.

Atqui in æſtu illo irarum et furoribus mentis depingendis maximam ejus vim conſpici jampridem dixi:

quod ut ſingulis exemplis confirmem neque tempus jam ſinit, neque occaſio poſtulat. Quippe huic loco fere præ omnibus Virgilianis ſua ſemper fama ſtetit —et ſtet utinam integra, neque annorum injuria, neque pravo ullius ætatis judicio diminuta. Quam tamen famam aliis iiſque majoribus meritis quæſitam puto, quam quæ ſola imitatione contineri poſſint. Rem enim in ſe acerbam et miſerationis plenam, omni affectuum vi et ſententiarum pulchritudine auxit: quam qui legit, non tam eum imitatoris artem et naturæ egregie expreſſam imaginem mirari arbitror, quam (quod maxime in poetæ laudem cedit) et ſui et ſcriptoris oblitum, miſericordia ultro tam duri caſus, et vero dolore commoveri.

PRÆLECTIO UNDECIMA.

De Affectuum graviorum imitatione continuatur quæſtio. Quæ ſunt Iræ *maxime propria, exemplis poetarum adductis, ponuntur. Iratus ultionis imagine ſe oblectat—dolorem potius ſentire vult eum cui iraſcitur, quam perire—juſtitiæ quodam ſenſu innititur—quarum rerum ſæpe oblitos ſe arguunt mali ſcriptores. Hinc liberius in quæſtionem inquiritur, quatenus deceat perſonam interiores ſuos ſenſus ipſam verbis efferre.*

SUPEREST jam huic noſtræ diſputationis parti ut pauca adhuc tradantur de Affectuum graviorum imitatione: cujus rei ut nihil ea apertius natura ſua videtur eſſe aut poeſi accommodatius, plena ſunt idcirco omnis ævi poemata, pleni omnes ab ultima vetuſtate criticorum libri. Quare in tam occupata materia, de novitate parum me ſollicitum habebo; magiſque illud ex animo mihi contigiſſe ducam, ſi quid paullo remotius a communi uſu atque opinione, incolumi tamen veritate, dixero, quam verebor reprehenſionem alicujus quod in veteribus et pervulgatis tam diu hæream.

Quod vero in compluribus poetarum locis perlegendis dubitari poſſe diximus, nempe utrum mera imitatione oblectetur mens, an inſit quædam in rebus ipſis gratia cujus admiratione trahimur, an denique in animorum noſtrorum motu voluptas poſita ſit cum affectibus a poeta deſcriptis quodammodo con-

ſpirantium ; utcunque in cæteris ſe res habeat, huic certe dubitationi deeſt locus, quoties iræ, aut odii, aut vindictæ partes agantur, aut in quovis denique affectu verſetur ſcriptor, quem exemplo et quaſi contactu alterius nemo in ſe concipere ſolet. Si quid unquam ex hoc genere mirari ſubit, dubium non eſt, quin omnino aut certe maxime teneamur imitatoris arte ; quemadmodum in tabula rei deformis atque odioſæ imaginem, modo egregie ſit picta, laudamus.

Jam vero, ut unum alterumve attentius intueamur, quantum etiam in hiſce apertis et ſimplicibus referendis ingenio atque obſervatione præſtari poſſit, ex iis intelligi licet quæ de Ira diſputat Ariſtoteles. Miſſa jam facio illa de cauſis ob quas iraſci ſolent homines, ſcite admodum et dilucide expoſitis : quæ vero ille de irati conſiliis et cogitationibus docte ac ſubtiliter explicuit, eadem fere omnia aut certe optima jampridem Homerus viderat, et natura duce intexerat carminibus ſuis.

Præclara quidem eſt Achillis ſententia, et minime pro vulgarium ſcriptorum captu dicta, ubi voluptatem profitetur ex ira concipi ſolitam, qua etiam ſententia rationes ſuas Ariſtoteli muniri placuit.

Ὅστε πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο
Ἀνδρῶν ἐν στήθεσσιν ἀέξεται. *Il.* Σ. 109.

Rem autem ille altius repetens cauſam non ineptam reddit cur ita afficiantur homines, nempe quod vindictam irati non modo meditentur, ſed etiam præcipiant animis, et multo ante proſpiciant ; cujus itaque rei phantaſia mirifice oblectetur ſenſus. Hæc vero ne exquiſite nimis ac ſubtiliter dicta quis putet, ſi ad normam naturæ, hoc eſt ad optimorum poetarum uſum redigantur, reperientur vera. Quid enim aliud

ſibi volunt iſta ſervuli in Terentio ſupra modum commoti?

Nihil eſt quod malim, quam illam totam familiam dari mihi obviam,
Ut ego iram hanc in eos evomam omnem, dum ægritudo hæc eſt recens.
Satis mihi id habeam ſupplicii, dum illos ulciſcar modo.
Seni animam primum extinguerem ipſi, qui illud produxit ſcelus.
Tum autem Syrum impulſorem, vah! quibus illum lacerarem modis!
Sublimem medium primum arriperem, et capite in terram ſtatuerem,
Ut cerebro diſpergat viam.
Adoleſcenti ipſi eriperem oculos: poſt hæc præcipitem darem:
Cæteros ruerem, agerem, raperem, tunderem et proſternerem. *Adelph.* iii. 2. 13.

Quam cupide hic ultionis imagine ſe reficit ac delectat!—quam in ſingula diligenter excurrit quaſi jam conſpectu fiant! Quod pariter conſecutus eſt Homerus, ubi Achillem ira ardentem rei futuræ ſimulacra haurire animo, iiſque furorem ſuum ſaturare facit:

Καί τινα Τρωϊάδων ἠ Δαρδανίδων βαθυκόλπων
Ἀμφοτέρῃσιν χερσὶ παρειάων ἀπαλάων
Δάκρυ' ὀμορξαμένην, ἀδινὸν ϛοναχῆσαι ἐφείην·
Γνοῖεν δ' ὡς δὴ δηρὸν ἐγὼ πολέμοιο πέπαυμαι. *Il.* Σ. 122.

Eodem ferme in genere ſunt illa Turni;

Da ſternere corpus,
Loricamque manu valida lacerare revolſam
Semiviri Phrygis, et fœdare in pulvere crines
Vibratos calido ferro, myrrhaque madentes.
Æn. xii. 97.

Ita optatæ rei ſpeciem exponere juvat particulatim, et quæ nondum patitur veritas, cogitatione quaſi jam

eſſent præſtare. Bene hoc, ſicuti et alia quæcunque ad violentos animi motus pertinent, attigit Euripides in Medea—quæ enixe orat nuntium ut ne mortem inimicorum narrare feſtinet, ſed totam rem accurate aperiat. Quamquam enim in rem factam et præteritam quærat, non proſpiciat futuram, attamen eadem cupiditate flagrat animus ultionem ſpectaculo explendi.

Ἀλλὰ μὴ σπέρχου, φίλος,
ΛΕΞΟΝ Δ' ΩΠΩΣ ΩΛΟΝΤΟ· δὶς τόσον γὰρ ἂν
Τέρψειας ἡμᾶς, εἰ τεθνᾶσι παγκάκως. *Med.* 1130.

Quod ſi quis intelligere velit quantum a vero affectu abeſt verborum ſonitus inanis, cum Græco poeta conferatur Senecæ in eodem argumento fabula. Hunc enim ad modum irarum impetus et vindictæ ſpem extulit.

Dum terra cœlum media libratum feret,
Nitiduſque certas mundus evolvet vices,
Numeruſque arenis deerit, et ſolem dies
Noctem ſequentur aſtra; dum ſiccas polus
Verſabit Arctos; flumina in pontum cadent;
Nunquam meus ceſſabit in pœnas furor,
Creſcetque ſemper. Quæ ferarum immanitas,
Quæ Scylla, quæ Charybdis, Auſonium mare
Siculumque ſorbens, quæque anhelantem premens
Titana, tantis Ætna ferveſcit minis?
Non rapidus amnis, non procelloſum mare,
Pontuſque Coro ſævus, aut vis ignium
Adjuta flatu, poſſit inhibere impetum
Iraſque noſtras: ſternam et evertam omnia.
Med. 401.

Profecto aliud omnino eſt argutari, et clamitare, et ſententiarum pondere ac faſtu uti, aliud naturæ arcana interpretari. Quis enim hic non fumum videt

pro igne dari? quis non omnia temere et confuſe in ventos effundi, quæ tanquam ad ſcopum aliquem propoſitum, re, loco, et perſona deſignatum, intendi oportebat? Atqui in Seneca legendo millies mihi in mentem venit illud Davi Terentiani reputare, conſervam Myſidem acute admodum et veriſſime admonentis;

Paullum intereſſe cenſes, ex animo omnia,
Ut fert natura, facias, an de induſtria?

Aliam vero rem eſſe bene monet Ariſtoteles, qua ab odio potiſſimum diſtinguatur ira; nempe quod iratus dolorem ſentire cupit eum cui iraſcitur—qui vero odit, dummodo alterum malo afficiat, utrum ſentiat is necne, parum curat. Cujus rei nuſquam hic oblitum eſſe Euripidem video. Semper enim id agit Medea. Quicquid in conſiliis atrox aut in dictis acerbum ſit, huc unice ſpectant omnia; ex quo primum de injuria coram marito conqueritur,

[a] Ἐγώ τε γὰρ λέξασα, κουφισθήσομαι
Ψυχὴν, κακῶς σε, ΚΑΙ ΣΥ ΑΥΠΗΣΕΙ ΚΑΥΩΝ. 473.

uſque dum confecto facinore eum conviciis mordacibus acerrime laceſſit,

Πρὸς ταῦτα καὶ λέαιναν, εἰ βούλει, κάλει,
Καὶ Σκύλλαν, ἢ Τυρσηνὸν ὤρκησε σπέος·
ΤΗΣ ΣΗΣ ΓΑΡ, ΩΣ ΧΡΗ, ΚΑΡΔΙΑΣ ΑΝΘΗΨΑΜΗΝ.
Med. 1355.

De ſocero et pellice, modo miſere pereant, nihil ultra curat: quod vero ſua opera effectum ſit ut ma-

[a] Similiter Terentius:

Atque aliquis dicat, Nihil promoveris.
Multum: *moleſtus certe ei fuero*; *atque animo morem geſſero.*
And. iv. 1. 16.

ritus ne ſenex quidem cruciari deſinat, lætitia effertur:

Οὔπω θρηνεῖς· μένε καὶ γήρασκ'. *Med.* 1393.

Sana ſunt huc uſque ex Euripide omnia: in illo autem mihi lapſus fuiſſe videtur, cum iratam mulierem ira ſe concitatam fateri facit: qua ſcilicet vi impulſa contra æquum et fas et utile, ſciens ipſa et quaſi habito conſilio, pergit:

Καὶ μανθάνω μὲν οἷα δρᾷν μέλλω κακά·
Θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων,
Ὅσπερ μεγίστων αἴτιος κακῶν βροτοῖς. *Med.* 1074.

Atqui hoc affectu homines nunquam, niſi ex ſenſu injuriæ, graviter commoveri conſtat, et quum ſe laceſſitos læſoſque exiſtimant—unde ad ultionem ſe conferre, et pœnas quas poterunt maximas ſumere, æquum et fas videtur. Immo iram omnino ex juſtitiæ ſenſu proficiſci nonnullis viſum eſt, et iratos vi quadam rationis ad vindictam impelli. Quam in ſententiam diſputat Philoſophus, quando eam cum a ſævitia ac feritate tum etiam a cæca cupiditate ſejungit. Ὥσθ' ὁ μὲν θυμὸς ἀκολουθεῖ τῷ λόγῳ πως, ἡ δ' ἐπιθυμία οὔ· αἰσχίων οὖν· ὁ μὲν γὰρ τοῦ θυμοῦ ἀκρατὴς, τοῦ λόγου πως ἡττᾶται· ὁ δὲ τῆς ἐπιθυμίας, καὶ ὑ τοῦ λόγου. *Ariſt. Eth. Nicom.* vii. 6.

Tum etiamſi omnia perverſa acie cernant irati, et de ſe, de amicis, de vita et officiis humanis prave judicent, minime tamen ſe falſa rerum ſpecie illudi ſentiunt. Recte utique et ſapienter dictum eſt quod jam in proverbium abiit, 'Iram brevem eſſe *furorem*.' *Res* enim ipſas, ſicut mente capti, non *ſe* mutatos arbitrantur: neque id poſt paullo aliter videri poſſe, aut ipſos ad ſanam mentem reverſos mox facti pœnituros credunt aut ſuſpicantur quidem.

Homines ſane quod alacres et cupidi egerint perſæpe actum dolet: et tunc quidem ſententiis hujuſmodi patet locus. Immo et ante rem factam naturæ ſatis convenit, ut ne mox ira abripiatur provideat aliquis, et inconſtantiæ ſuæ præſidium quoddam comparari velit. Id quod pulcherrime Achilli tribuit Homerus; qui Hectoris cadaver Priamo, tametſi id vehementer oret, oſtendi vetat; ne ſcilicet conſpecto filio ſubito commotus pater in convicia temere prorumpat, quæ iræ ſuæ faces admoveant, ſeque ad vim ſeni inferendam adigant.

Hunc autem in errorem nonnunquam incidere videtur Euripides, dum fabulam ornare ac diſtinguere ſententiis cupit—parum id interea curans, cujuſnam eas ex ore proferat. Unde enim niſi ex hoc fonte ortum eſt, quod peſſime facit mulierem de ſexu ſuo loquentem?

Πρὸς δὲ καὶ πεφύκαμεν
Γυναῖκες, εἰς μὲν ἔσθλ' ἀμηχανώταται,
Κακῶν δὲ πάντων τέκτονες σοφώταται. *Med.* 408.

alterumque illud quod, ut verum eſſe concedas, tamen naturæ non tantum convenit, quantum dicentem dedecet:

Γυνὴ γὰρ τἄλλα μὲν φόβου πλέα,
Κακή τ' ἐς ἀλκὴν καὶ σίδηρον εἰσορᾷν.
Ὅταν δ' ἐς εὐνὴν ἠδικημένη κυρῇ,
Οὐκ ἔστιν ἄλλη φρὴν μιαιφονωτέρα. *Med.* 265.

Sin autem hanc ſummi poetæ incuriam ægre ferimus, quo tandem animo iſta Senecæ patiemur, quæ perſonam fingunt ira æſtuantem, vindictæ avidam, et oblatas injurias ulciſci parantem, ita tamen loquentem de conſiliis ſuis, ut quæ perpetuo ſe hominum odio et

maledictis obrui cupiat? Hunc enim ad modum mentis ſuæ arcana aperit Medea:

Effera, ignota, horrida,
Tremenda cœlo pariter ac terris mala,
Mens intus agitat; vulnera, et cædem, et vagum
Funus per artus. Levia memoravi nimis:
Hæc virgo feci: gravior exſurgat dolor:
Majora jam me *ſcelera* poſt partus decent.
Accingere ira; teque in exitium para
Furore toto: paria narrentur tua
Repudia thalamis. Quo virum linquis modo?
Hoc quo ſecuta es: rumpe jam ſegnes moras:
Quæ *ſcelere* parta eſt, *ſcelere* linquenda eſt domus.
Med. 45.

Neque multo felicius Clytemneſtra in Agamemnone, quam deceret potius de contumelia ſibi illata queri, et concepti facinoris diluere ſcelus, aut culpam a ſe in maritum amovere, his tamen verbis conatur ancipitem animum erigere ac confirmare:

Da frena, et omnem prona *nequitiam* incita,
Per ſcelera ſemper ſceleribus tutum eſt iter.
Tecum ipſa nunc evolve femineos dolos,
Quod ulla conjux perfida, atque impos ſui,
Amore cæco; quod novercales manus
Auſæ; quod ardens impia virgo face,
Phaſiaca fugiens regna Theſſalica trabe:
Ferrum, venena. Vel Mycenæas domos
Conjuncta ſocio profuge furtiva rate.
Quid timida loqueris furta, et exilium, et fugas?
Soror iſta fecit: *te decet majus nefas.* *Agam.* 114.

Profecto hæc quum lego, declamatorem mihi videor aliquem ex ſchola audire, qui arte edoctus rei omnes locos diligenter excutit, quibus probri aliquid aut infamiæ inſit—non mulierem amore perditam, ſe accingentem ad atrox ſcelus aggrediendum, quod vix

proprio nomine appellare debuit. Poterant ſane eſſe amici verba eam a facinore patrando dehortari volentis; poterant eſſe inimici qui in eam acerbiſſimè ac merito inveheretur: ab auctore et ſuaſore ſceleris ut prodirent omnino fieri non potuit.

Huic propinquum eſt vitium, quo ne optimi quidem poetæ penitus carent, ſed quod in mediocribus ubique cernitur: nempe ut loquentis ex ore deducant quod aliter patefactum oportuit. Raro enim fit, ut quid mentem ſuam intus cruciet, aut quo tacito ſenſu imbuatur pectus ſponte narret aliquis; præſertim ſi graviore aliquo metu frangatur, aut æſtu quodam affectuum violentiore vexetur, aut vehementi flagret cupiditate.

Quamobrem nemini, opinor, hæc probat Seneca in Andromache;

> Me liquit animus: membra quatiuntur, labant;
> Torpetque vinctus frigido ſanguis gelu. *Troad.* 623.

aut illa Medeæ in propoſito vacillantis;

> Cor pepulit horror: membra torpeſcunt gelu,
> Pectuſque tremuit: ira diſceſſit loco.
> Materque tota conjuge expulſâ redit. *Med.* 926.
> . . . . . .
> Ut ſæva rapidi bella cum venti gerunt,
> Utrimque fluctus maria diſcordes agunt,
> Dubiumque pelagus fervet: haud aliter meum
> Cor fluctuatur: ira pietatem fugat,
> Iramque pietas: cede pietati, dolor. *Med.* 940.

Tum fracta pauliſper miſericordia ad priorem animum ſic denuo redit,

Rurſus increſcit dolor,
Et fervet odium: repetit invitam manum
Antiqua Erinnys: ira, qua ducis, ſequor. *Med.* 951.

Sunt hæc, ut quivis facile intelliget, ſumpta ex pulcherrima Euripidis fabula, in qua una profecto mihi videtur ille omnem vim artis ſuæ atque ingenii collocaſſe. Videamus autem quam plane alia res agitur, quum veri poetæ mens ac judicium adhibetur.

Φεῦ, φεῦ, τί προσδέρκεσθέ μ' ὄμμασιν, τέκνα;
Τί προσγελᾶτε τὸν πανύστατον γέλων;
Αἲ, αἲ, τί δράσω; καρδία γὰρ οἴχεται,
Γυναῖκες, ὄμμα φαιδρὸν ὡς εἶδον τέκνων.
Οὐκ ἂν δυναίμην· χαιρέτω βουλεύματα
Τὰ πρόσθεν· ἄξω παῖδας ἐκ γαίας ἐμές.
Τί δεῖ με, πατέρα τῶνδε τοῖς τούτων κακοῖς
Λυπῶσαν, αὐτὴν δὶς τόσα κτᾶσθαι κακά;
Οὐ δῆτ' ἔγωγε· χαιρέτω βουλεύματα.
Καί τοι τί πάσχω; βούλομαι γέλωτ' ὄφλειν,
Ἐχθροὺς μεθεῖσα τοὺς ἐμοὺς ἀζημίους;
Τολμητέον τάδ'· ἀλλὰ τῆς ἐμῆς κάκης,
Τὸ καὶ προέσθαι μαλθακοὺς λόγους φρενί. *Med.* 1036.

Mater miſere odio et furore percita huc illuc ancipiti cogitatione diſtrahitur: propoſito nunc inſtat: mox flectitur: deſiſtit paullum: aggreditur rurſus: quas omnes conſiliorum vices poeta ſumma fide explicuit: atque ita explicuit, ut quæ ſecum intus ſentiat mulier—pietati nempe nunc iram cedere nunc iræ pietatem, rurſus dolorem increſcere, et fervere odium—hæc illa non quaſi rem factam curioſe narret, ſed ſententiis quibus utitur, et inflexo ad affectuum imaginem ſermonis habitu, manifeſta reddat.

Ne vero latius ſumantur hæc quam aut rei natura patitur, aut ipſe velim; permagni intereſſe conſtat,

utrum ea ſit poematis ratio (ſicuti eſt in Ovidii epiſtolis compluribuſque aliis carminibus) ut de ſe perſona loqui aut ſcribere fingatur, propterea quod ſic melius argumento conſuli, et capita locoſque rei uberius tractari poſſe videatur—an ſuas coram in ſcena partes agat. Illic enim præclare actum eſt, ſi modo naturæ conveniat quod dicitur: hic, utcunque verum ſit quod dicitur, cavendum tamen eſt ne dicatur, niſi et dicentem deceat. Illic præcipuum atque, ut Dialectice loquar, *eſſentiale* eſt quod narratur; quis aut qualis narret, *accidentis* loco habendum: quod contra omnino evenit in altero.

At ne illud quidem me fugit, Scenicis nimirum ſcriptoribus multa concedi æquum eſſe, quæ a nuda veritate quodammodo abhorrent. Licet his ſermone uti, etiam in comœdiis, ab uſu quotidiano remotiore. Licet, (immo aliter fieri plane non licet) ut plurima palam ore proferantur quæ in vita et conſuetudine communi nemo ſanus aperte profitetur. Hæc autem in ſcena non modo aperte ſed et a ſolis et otioſis, adſtante, audiente, curante nemine, continua oratione pronuntiari patimur. Namque ut mittam nunc, quod rem geſtam aliquando auditoribus ſic declaret ſcriptor, (quod, ut verum fatear, mihi ſemper viſum eſt durius) at cujus unquam adeo religioſæ fuerunt aures, ut nollet perſonam ſua conſilia, ſpes, curas, odia, ſimultates, quæ omnia taciti et quieti in vita meditamur, modo fabulæ ita ferret ratio, ex ordine aperta et clara voce interpretari?

Quippe unicuique arti ſuis opus eſt auxiliis aliunde conquiſitis, quæ ſi auferantur, nequit ars ipſa ſtare, aut ſtet neceſſe eſt debilis et imperfecta: neque enim hæc magis illis neganda eſt venia, quam

ſunt Mathematicis ſua quæ vocant *poſtulata*. Quare artem ipſam improbes licet, ſi voles : artifici ne fraudi ſit, quod ea quærat adjumenta, quibus ſi careat, opus plane abſolvi nequit.

Optime ſane ac prudentiſſime a ſummo philoſopho cautum eſt, ne quis ſubtilitatem definiendi poſcat, quam rei natura de qua loquimur in ſe non recipit : ἀπαιδευτοῦ γὰρ ἔστι. Quod vero ille in philoſophiæ ſtudiis cavendum monuit, nobis curæ ſit in moderationem artis transferre. Et profecto qui hanc veniam poetis dare gravetur—qui locos hujuſmodi acrius inſectari amet, in iiſque irridendis nimis ſe facetum exiſtimat—næ ille, meo quidem judicio, et liberæ diſciplinæ omnis ignarus habeatur, et humanitatis expers.

Videndum tamen eſt, ne quod ſic neceſſitati tribuitur, licentiæ inſerviat : ne quod ſtrenuis ſolertibuſque largiri volumus, ignavis proſit et otioſis. Quoties igitur fieri poteſt ut alterius opera hi motus animorum pateant, aut ex perſonæ ipſius ſermone et factis, aut alio quocunque modo manifeſta fiant, nunquam ſi ſapit, ad hoc confugiet ſcriptor ; quin potius omnino eum hac venia niſi invitum et coactum pudebit uti.

Neque tamen hoc in genere ſatis verecundos fuiſſe fateor ex Dramaticis ſcriptoribus vel maximos ; quod Euripidem aut Æſchylum legentibus non ſemel notare contigerit. Cujuſmodi eſt illud in Choephoris :

Οἴμοι πὰν, οἴμοι δεσπότᾳ τελαμένᾳ·
Οἴμοι μάλ' αὖθις, ΕΝ ΤΡΙΤΟΙΣ ΠΡΟΣΦΘΕΓΜΑΣΙΝ.
Ver. 872.

Peccare utique videntur hac in parte quæ Atoſſæ

tribuit Æſchylus in Perſis. Allato enim Salaminiæ cladis nuntio, regina primo ferme attonita, poſtquam diu tacuiſſet, tandem his dictis interiores animi ſui ſenſus expedit.

Σιγῶ πάλαι δύστηνος ἐκπεπληγμένη
Κακοῖς· ὑπερβάλλει γὰρ ἥδε συμφορὰ,
Τὸ μήτε λέξαι, μήτ' ἐρωτῆσαι πάθη. *Perſ.* 288.

Poterat ſane res ita eſſe, ſed admonente aut rogante alio declarari debuit.

Quod ſi culpa non vacat ſcriptor, quando ex loquentis ore docemur qui ſint ipſius taciti intimique ſenſus; gravius adhuc peccabitur, ſi quando externa corporis indicia cum affectu animi conjuncta enarret aliquis, quo affectûs ſui vim ſignificet: cum hæc a loquente cerni plane non poſſint, aut ſi poſſent, ejuſmodi tamen ſint, ut nemo graviter commotus rationem eorum haberet vel minimam.

Faſtidioſe nimis judicare videar, ſi hoc nomine Virgilianum illud improbem, *Obſtupui, ſteteruntque comæ*, quoniam hæc rei præteritæ eſt narratio—tum quia comæ horrore arrectæ cute ipſa ſatis percipi poſſent. Quæ autem Io in Æſchyli Prometheo furibundo ore jactat utroque vitio laborant, ut et quæ intus ſentiat diligenter nimis exſequatur, et quam ſpeciem aliorum oculis præbeat, quamvis in amentiam acta, edicat ipſa.

Ὑπό μ' αὖ σφάκελος καὶ φρενοπληγεῖς
Μανίαι θάλπουσ', οἴστρου δ' ἄρδις
Χρίει μ' ἄπυρος,
Καρδία δὲ φόβῳ φρένα λακτίζει·
Τροχοδινεῖται δ' ὄμμαθ' ἑλίγδην,
Ἔξω δὲ δρόμου φέρομαι, λύσσης
Πνεύματι μάργῳ, γλώσσης ἀκρατής.

Θολεροὶ δὲ λόγοι παίουσ' εἰκῆ
Στυγνῆς πρὸς κύμασιν ἄτης. *Prom. Vinct.* 884.

Hujus quidem loci poeticam vim et ſpiritum ſatis mirari nequeunt Critici, e quibus recentior unus nonnullam dat operam ut ſingula iſta naturæ furioſorum imprimis convenire doceat. Illud autem

Τροχοδινεῖται δ' ὄμμαθ' ἑλίγδην

phantaſma eſſe veriſſimum affirmat, et Jûs affectioni perquam accommodatum: 'Furibundi enim homines oculos miſere diſtorquere ſolent[a].'

Sunt hæc profecto furoris ſigna—cor vehementer palpitans, oculi huc illuc verſi ac revoluti, vaga curſitatio, et lingua titubans. Qui vero jam hæc in ſe eſſe ſentit, nondum furit: nedum cui verbis ea efferre vacat, atque adſtantibus monſtrare. Quapropter ea magis adhuc miror quæ vir bonus in fine commentariorum adjecit. Poſtquam enim dixiſſet, haſce imagines ita terrere ac perturbare animum ſpectatoris ut quo ſe vertat, neſciat—ſubjungit etiam; 'Fac *actionis quoque dignitatem ac veritatem* 'accedere, nihil fingi poteſt vehementius.'

At ſi qua rectum in his artibus videndi facultate polleam, illud ipſum eſt, in quo maxime offenderetur: nec dubium habeo, quin quo propius ad veri ſimilitudinem res accederet, eo majore cum faſtidio ſpectaretur. Quin id etiam a poeta conſulto factum arbitror, ut ineptiis hujuſce loci quodammodo opituletur, quod rem melicis carminibus abſolvat. Unde fit, ut a veritate imitanda abſit longius, et in cantûs rationem tranſeat. Quo quidem adhibito, tibiiſque accinentibus, paullatim ab oculis revocatur ſpec-

[a] Vid. Schützii Commentar. in loc.

tatoris mens, ſuo ſe motu atque ardore reficit, præſentium obliviſcitur, captat ſublimia,—et phantaſiæ æſtu abrepta ſenſus ſuos conceptuum vi ac majeſtate, prope jam extra ſe poſita, deliniri patitur. Hæc autem voluptas, cum ſit ab ea plane diverſa in quam nunc inquiritur, omniumque facile ſumma quæ in rationem artis cadunt, accurate poſthac ſuo loco tractabitur.

PRÆLECTIO DUODECIMA.

De Lucilii imitatione. Signa quædam imperitis ſcriptoribus minus nota—ſtupor et ſilentium—cariſſimorum incuſatio. Abſentium quicquid proprium *fuerit, non virtus modo, æſtimatur—Præteritos potius labores quam gaudia mortuorum reſpicere juvat, quorum ipſi participes fuerimus. Perſtringuntur vitia quædam veterum poetarum. Sermo vehementer dolentium metaphoris abundat —etiam ludentis ſpeciem aliquando præbet.*

EX quo primum in hanc argumenti partem devenimus præcipuæ curæ fuit providere, ne integra a nobis de affectibus humanis diſciplina expectetur; neque ut affectus ſingulos recto ordine percurrere videamur: cum illud tantum jam inde a principio in animo fuerit, primum, ut hujus rei vim ſignificarem, quanta eſſet; deinde, ut iis uterer exemplis, quæ et vitia male ſcriptorum arguerent, et virtutes quaſdam ſubtiliores et minus cognitas, juventutis cauſa, ad imitandum commendarent.

Quæ vero exempla cum Ariſtotelis præceptis conferre viſum eſt, ad Iræ et Vindictæ partes fere omnia pertinebant. In quibus perſequendis quanquam tradita ſunt nonnulla quæ ad reliquos animi affectus transferri oportebit, ſunt tamen et his propria quædam præcepta, quæ non niſi ſeorſum recte explicari poſſunt. Re igitur tota, quantum potero breviter

excuſſa, ad Secundam univerſi operis partem tranſeundum erit [b].

Nuſquam ſane a Poetis frequentius elaboratum eſt, quam in *luctu* et acerbo *dolore animi* referendo. Quippe ab hoc ferme tota pendet tragœdia: neque in ullo genere poeſeos ſuus non ſæpiſſime patet huic rei locus. Quinimo ea eſt humanæ ſortis conditio, ut cuilibet exemplar vitæ intuenti quotidie ſuppetat, unde vivam ejus deducat imaginem, ſi minus vehementem illam et pæne furibundam, at hanc communem et leniorem certe, quæ in propinquorum morte aut amicorum cernitur. Attamen in hac materia tractanda, uſitata licet, mirum quantum effici poſſit arte et ingenio Poetæ; et quam varii motus animi, qui in hoc affectu vulgi ſenſum fugiunt, a doctis imitatoribus diſtingui ſoleant, juſta temporum, loci, ſexus, propinquitatis ratione habita.

Imperito ſcriptori nihil præter lacrymas et ploratus et ineptam querelam ſubit. At ſi quis attentius rem inſpiciat, aliam prorſus naſcentem, aliam maturam jam et validam reperiet. Aliter amici, aliter conjugis aut filii funus proſequimur. Tum in graviſſima fortuna et rerum quaſi naufragio, quando in fletum modo atque ejulationes effuſi homines vulgo referuntur, multa cernet naturæ fidus interpres, quæ cuique rei ac perſonæ proprium quendam colorem addant, et veritatem paullum ab oculis remotam in medium proferant.

[b] Tertium *Imitationis* caput, quod ad vitæ fortunæque humanæ rationem pertinere dictum eſt, cujus idcirco eſt *Veriſimile* in rebus præcipue ſpectare, adeo cum fabulæ ſtructura colligatum eſt et implicitum, ut ad poſtremam totius operis partem, ſive *Judicium*, id referre non dubitaverim.

Qui ſit ſuperſtitum propinquorum ſenſus, recenti jam et vixdum cognita cariſſimi cujuſquam morte, nemo rectius aut fidelius depinxit quam in ſecundo Pharſaliæ Lucanus. Quod quidem eo mirabilius duxi, quia mentis vi potius et ſententiarum gravitate Lucanum pollere novimus, quam ſimplici et ſincera naturæ imitatione. Quin optime etiam deſcriptio illa poematis rationi inſervit, et publico Romæ dolori aptiſſime reſpondet, quum in luctuoſæ illius diſcordiæ initio tempeſtas jam propius ingrueret, et nulla pacis ſpes ſupereſſet. Poſtquam enim dixerit,

> Tum queſtus tenuere ſuos, magnuſque per omnes
> Erravit ſine voce dolor:

ſubjungit hæc ſtatim, privati doloris ortum atque incrementa pulcherrime aperiens:

> Sic funere primo
> Attonitæ tacuere domus, cum corpora nondum
> Conclamata jacent, nec mater crine ſoluto
> Exigit ad ſævos famulorum brachia planctus:
> Sed cum membra premit fugiente rigentia vita,
> Vultuſque exanimes, oculoſque in morte jacentes;
> *Necdum eſt ille dolor, ſed jam metus:* incubat amens,
> Miraturque malum. *Pharſ.* ii. 21.

Silentium quidem alto dolori convenire bene noſſe videntur poetæ. 'Curæ leves loquuntur, ingentes 'ſtupent.' Sic Deianira in Trachiniis de Hercule abſente plura queritur: mox illius nece audita tacita abit:

> ΧΟΡ. Τί σῖγ' ἀφέρπεις; οὐ κάτοιθ' ὅθ' οὕνεκα
> Ξυνηγορεῖς σιγῶσα τῷ κατηγόρῳ; *l.* 813.

Sic Jocaſta ingenti dolore percita, in Œdipo:

XOP. Τί ποτέ βέβηκεν, Οἰδίπους, ὑπ' ἀγρίας
Ἄξασα λύπης ἡ γυνή; δέδοιχ' ὅπως
Μὴ 'κ τῆς σιωπῆς τῆσδ' ἀναῤῥήξει κακά. *Œd. Tyr.* 1073.

Quam porro rem luculente expreſſit Chorus in Antigone:

Οὐκ οἶδ'· ἔμοιγ' οὖν ἥ τ' ἄγαν βαρὺ
Δοκεῖ προσεῖναι, χ' ἡ μάτην πολλὴ βοή· *l.* 1251.

Recte iterum eandem rem attigit Lucanus, ubi patrem deſcribit moribundo filio inhærentem;

Non lacrymæ cecidere genis, non pectora tundit;
Diſtentis toto riguit ſed corpore palmis. *Pharſ.* iii. 733.

Atqui in ſuperiore loco accuratius longe et diligentius animi ſenſus explicuit.

Jam illa quæ ex Euryali matre profert Virgilius de filii nece certiore facta, naturæ fines nequaquam egredi puto, quanquam a conviciis ordiuntur.

Tune, illa ſenectæ
Sera meæ requies, potuiſti linquere ſolam,
Crudelis? *Æn.* ix. 481.

Eſt enim mulier ad furorem uſque adacta, et prius in hæc vehementiora eam prorumpere decuit, quam ad lenes et miſerabiles queſtus deſcenderet.

Non infeliciter rem ſimilem tentavit Silius in uxore Reguli, quando maritum a propoſito lacrymis et precibus flectere omnino nequit;

Exclamat, feſſas tendens ad litora palmas:
En, qui ſe jactat Libyæ populiſque nefandis
Atque hoſti ſervare fidem! Data fœdera nobis
Ac promiſſa fides thalamis ubi, perfide, nunc eſt?
Punic. vi. 515.

Nihil autem luctui ac deſiderio magis convenit quam ut mortuorum vultus, verba, mores, geſtus vel

leviſſimos, et corporis oriſque habitus ſingulatim animo perſequamur; ut quicquid boni fuerit, id laudibus ad cœlum efferamus; ut quæ medii, ut aiunt, ſint generis, et in neutram partem accipienda, pro virtutibus habeamus, eaque non ſine amore quodam et admiratione intueamur. Exquiſitum hujuſmodi eſt illud Hypſipyles in Thebaide ſuper filium infantem, ſe abſente ſerpentis morſu interfectum. Quod cum deliciis alieni generis abundet, tum etiam hos pectoris motus tanta fide exſequitur, ut totum auditu dignum judicaverim.

O mihi deſertæ natorum dulcis imago
Archemore: o rerum et patriæ ſolamen ademptæ,
Servitiique decus, qui te, mea gaudia, fontes
Exſtinxere Dei? modo quem digreſſa reliqui
Laſcivum, et prono vexantem gramina curſu.
Heu! ubi fiderei vultus? *ubi verba ligatis*
Imperfecta ſonis? riſuſque, et *murmura ſoli*
Intellecta mihi? quoties tibi Lemnon, et Argo
Sueta loqui, et longa ſomnum ſuadere querela?
Sic equidem luctus ſolabar, et ubera parvo
Jam materna dabam, cui nunc venit irritus ori
Lactis, et infelix in vulnera liquitur imber.
Noſco Deos. O dura mei præſagia ſomni,
Nocturnique metus, et nunquam impune per umbras
Attonitæ mihi viſa Venus. Quos arguo divos?
Ipſa ego te (quid enim timeam moritura fateri)
Expoſui fatis. Quæ mentem inſania traxit?
Tantane me tantæ tenuere oblivia curæ?
Dum patrios caſus, famæque exorſa retracto
Ambitioſa meæ. *Theb.* v. 608.

Sunt profecto plurima hoc loco bene ad naturam expreſſa: nimirum quod indicia olim futuri caſûs divinitus data meminerit; quod Deorum iniquitatem

conqueratur: quod in ſe denique ipſam calamitatis culpam ingerat, utpote quæ tam cari capitis non ſatis vigilem ſe adhibuiſſet cuſtodem.

Præclara item luctûs effigies, in Alceſtide Euripidis, omnia fere complectitur quæ domeſticum dolorem alere et exacerbare ſolent.

Ποῖ τρέψομαι;
Ἡ μὲν γὰρ ἔνδον ἐξολεῖ μ' ἐρημία,
Γυναικὸς εὐνὰς εὖτ' ἂν εἰσίδω κενὰς,
Θρόνους τ' ἐν οἴσιν ἵζε, καὶ κατὰ στέγας
Αὐχμηρὸν ἕδας· τέκνα δ' ἀμφὶ γόνασι
Πίπτοντα κλαίει μητέρ'· οἱ δὲ δεσπότιν
Στένωσιν, οἵαν ἐκ δόμων ἀπώλεσαν.
Τὰ μὲν κατ' οἴκους τοιάδ'· ἔξωθεν δέ με
Γάμοι γ' ἑλῶσι Θεσσαλῶν καὶ σύλλογοι
Γυναικοπληθεῖς· ἐ γὰρ ἐξανέξομαι
Λεύσσων δάμαρτος τῆς ἐμῆς ὁμήλικας. *l.* 946.

Celeberrimæ ſunt fœminarum in Iliade ſuper cadaver Hectoris lamentationes: neque famam earum meritis majorem arbitror. Certe dulci quadam abundant et nativa ſimplicitate, quæ in pectus legentis ultro influit; et extrema illa Andromaches

Οὐδέ τι μοι εἶπες ΠΥΚΙΝΟΝ ΕΠΟΣ, ΟΥ ΤΕ ΚΕΝ ΑΙΕΙ
ΜΕΜΝΗΜΗΝ νύκτας τε καὶ ἤματα δακρυχέουσα. *Il.* Ω. 743.

ex ipſo naturæ fonte hauriuntur. In Priami autem ipſius luctu non tam Poetæ propoſitum fuiſſe videtur, ut lectorem re lugubri moveat et ſententiis lenibus, quam ut veram vitæ imaginem ſine fuco et fallaciis præbeat. Hinc ſi qua regiæ dignitati patriſque æquo et miti ingenio minus convenire videntur, id eo conſilio factum putemus, ut naturæ veritatem nullo (ut fit in priſco et rudi ævo) pudore obſtrictam

tueatur. Quamobrem ſenis ſqualidam illam figuram, qua bis deſcribitur, nequaquam averſemur.

Ἀμφὶ δὲ πολλὴ
Κόπρος ἦην κεφαλῇ τε καὶ αὐχένι τοῖο γέροντος,
Τήν ῥα κυλινδόμενος καταμήσατο χερσὶν ἑῇσι.
Il. Ω. 163. *Iterum l.* 640.

Hinc etiam dolore exacerbatus opprobriis non modo famulos et cives nihil tale meritos laceſſit, verum et filios pietate erga patrem et obſervantia inſignes.

Σπεύσατέ μοι, κακὰ τέκνα, κατηφόνες· αἴθ' ἅμα πάντες
Ἕκτορος ὠφέλετ' ἄντι θοῇς ἐπὶ νηυσὶ πεφάσθαι.
Ὤ μοι ἐγὼ πανάποτμος, ἐπεὶ τέκον υἷας ἀρίστους
Τροίῃ ἐν εὐρείῃ, τῶν δ' οὔτινα φημὶ λελεῖφθαι·
. . . . . .
Τὼς μὲν ἀπώλεσ' Ἄρης, τὰ δ' ἐλέγχεα πάντα λέλειπται,
Ψεῦσταί τ', ὀρχησταί τε, χοροιτυπίῃσιν ἄριστοι,
Ἀρνῶν ἠδ' ἐρίφων ἐπιδήμιοι ἁρπακτῆρες. *Il.* Ω. 253.

Quanquam hæc ab honeſto et decoro aliquantum recedant, certe mortuorum deſiderium ſuperſtites minus caros reddere fatendum eſt: tum nonnihil huic ætati concedendum ſæpe diximus, ut quæ nondum cultu et humanitate expolita affectus animi ſimpliciter et ſine more effundi pateretur.

Jam, ſummi Poetæ eximiam in eodem libro artem jure admirari poſſumus, ubi Achillis animum ob amici Patrocli interitum acerbiſſimo dolore æſtuantem depingit. Quem locum, ſuaviſſimum ſane et hiſce præceptis apprime utilem, integrum vobis recitare non verebor.

Λῦτο δ' ἀγών· λαοὶ δὲ θοὰς ἐπὶ νῆας ἕκαστοι
Ἐσκίδναντ' ἰέναι· τοὶ μὲν δόρποιο μέδοντο
Ὕπνου τε γλυκερῆ ταρπήμεναι· αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς
Κλαῖε, φίλου ἑτάρου μεμνημένος, οὐδέ μιν ὕπνος

Ἦρει παυδαμάτωρ, ἀλλ' ἐσρέφετ' ἔνθα καὶ ἔνθα,
Πατρόκλου ποθέων ἀδροτῆτα τε καὶ μένος ἠΰ·
Ἠδ' ὁπόσα τολύπευσε σὺν αὐτῷ, καὶ πάθεν ἄλγεα,
Ἀνδρῶν τε πτολέμους, ἀλεγεινά τε κύματα πείρων·
Τῶν μιμνησκόμενος, θαλερὸν κατὰ δάκρυον εἶβεν,
Ἄλλοτ' ἐπὶ πλευρὰς κατακείμενος, ἄλλοτε δ' αὖτε
Ὕπτιος, ἄλλοτε δὲ πρηνής· τότε δ' ὀρθὸς ἀναστὰς
Δινεύεσκ' ἀλύων παρὰ θῖν' ἁλός. *Il.* Ω. 1.

Quod vero præcipue hic ad inſtitutum facit eſt, ubi Heroem mentem ſuam revocare ait, non ad voluptatum modo memoriam et temporum iſtorum quæ una cum amico feliciter egerat, ſed ad dura vitæ munera, ad pericula et bellicos labores quibus olim una interfuerant.

Ἠδ' ὁπόσα τολύπευσε σὺν αὐτῷ, καὶ πάθεν ἄλγεα,
Ἀνδρῶν τε πτολέμους, ἀλεγεινά τε κύματα πείρων.

Hoc enim firmiſſimum eſſe amicitiæ vinculum nemo expertus negat; quanquam imperitus quiſque in eodem argumento ad mollia et amœna vitæ ſpatia divertitur, et imagine præteritæ voluptatis paſci lugentem fingit.

Interea Tragœdos, ad quos præcipue attinet argumenta gravia ac luctuoſa perſequi, non raro in peccata duci video, quoties, rem horridam fuſius narrandi cauſa, fabulam ita conſtituunt, ut, a quo minime omnium debuit, ex ore nuntii alicujus narratio flagitetur. Quo in genere eſt illud Senecæ in Troadibus, qui matrem Andromachen, de recenti cæde Aſtyanactis certiorem factam, mira quadam cupiditate correptam refert totum facinus audiendi ex ordine patefactum.

Expone ſeriem cædis, et duplex nefas
Proſequere: gaudet magnus ærumnas dolor
Tractare totas: ede, et enarra omnia.
Troad. 1065.

Et poſtquam ſatis longa narratio ad finem in hæc verba perducta eſt,

Silicis impulſu caput
Ruptum, cerebro penitus expreſſo, jacet
Deforme corpus. *Troad.* 1115.

Subjungit modo mater,

'Sic quoque eſt ſimilis patri.'

Exemplo fortaſſe Græcorum ſeipſum Seneca defenderet, qui eodem ſæpe uſi ſunt artificio, ut deſcriptioni ſuæ fiat aditus. Atqui ab Euripide, quem potiſſimum ſequi voluit Seneca, minime ad hunc modum peccatum eſſe invenio. Longe aliter Hecubam fecit de morte Polyxenæ ſciſcitantem;

Πῶς καί νιν ἐξεπράξατ'; ἆρ' αἰδούμενοι;
Ἢ πρὸς τὸ δεινὸν ἦλθεθ', ὡς ἐχθρὰν, γέρον,
Κτείνοντες; εἰπὲ, καίπερ οὐ λέξων φίλα. *Eur. Hec.* 519.

Utrum ſalva regia dignitate perierit cupide rogat; quod ſi ita factum fuerit, non mediocri id ſibi ſolatio fore ſignificat. Quamvis igitur durius paullo videatur, ut Talthybio in ſingula excurrenti patientem aurem præbeat, neque ita Talthybium coram matre locuturum fuiſſe, niſi audientium cauſa, ſatis conſtet, certe omnino vitio vacat quod in Senecæ Andromache notavimus, cujus verba Medeam potius ultricem illam aut hoſtem aliquem truculentum decerent, quam mulierem acerbo luctu et mærore confectam.

Nonnulla etiam Sophoclem aliter ſcripſiſſe vellem, vatem maxime omnium vitiis immunem; neque enim delicatam Tecmeſſæ mollitiam unquam probare po-

tui, quæ mariti cadaver primo conſpectu velari jubet, quia ſcilicet vulnerum et ſanguinis viſu offenderentur oculi.

Οὔ τοι θεατός· ἀλλά νιν περιπτυχεῖ
Φάρει καλύψω τῷδε παμπήδην, ἐπεὶ
Οὐδεὶς ἂν ὅστις καὶ φίλος τλαίη βλέπειν
Φυσῶντ' ἄνω πρὸς ῥῖνας, ἔκ τε φοινίας
Πληγῆς μελανθὲν αἷμ' ἀπ' οἰκείας σφαγῆς.
Soph. Aj. 915.

Quippe ex eo quod dixit Οὐδεὶς ἂν ὅστις ΚΑΙ ΦΙΛΟΣ ſatis liquet non ſe cariſſimum corpus præ luctu intueri ægre ferre, ſed ſpectaculum utpote fœdum et atrox averſari. Quanto rectius et naturæ accommodatius illud Priami ad Achillem de Hectore!

Ἀλλὰ τάχιστα
Λῦσον, ἵν' ὀφθαλμοῖσιν ἴδω. *Il.* Ω. 555.

Et quæ facit Argia in Thebaide reperto Polynicis cadavere!

Videt ipſum in pulvere pæne
Calcatum: fugere animus, viſuſque, ſonuſque,
Incluſitque dolor lacrymas: tunc corpore toto
Sternitur in vultus, animamque per oſcula quærit
Abſentem, preſſumque comis, ac veſte cruorem
Servatura legit. *Theb.* xii. 316.

Nullam enim fœdi ſordidique rationem habet germanus dolor.

Jam vero aliud, affectûs hujuſce proprium, in orationis colore cernitur: quam non modo vehementem et præcipitem referri oportebit, ſicuti ſe habet in omni affectu potentiori, ſed audacem ſæpe atque exultantem—tropis, quos dicunt, et imaginibus crebris diſtinctam. Ita enim eſt uſu compertum, ut quocunque ſenſu fortiori imbuatur animus, præſentia il-

lico vocabula et parata ſpernat, nova ſemper aucupetur et foris petita, quo conceptuum vim æquare poſſit. Hinc ardentia illa Jaſonis irati verba,

Λέαιναν, οὐ γυναῖκα, τῆς Τυρσηνίδος
Σκύλλης ἔχουσαν ἀγριωτέραν φύσιν. *Eur. Med.* 1339.

Hinc Medea ipſa horrendum ſcelus molita non uſitatis ſe verbis continet—tranſlatis utitur et infrequentibus.

Ὁπλίζου καρδία. [*Ib.* 1237.] Ἕρπε πρὸς βαλβῖδα λυπηρὰν βίου. [*Ib.* 1240.]

Quo quidem in genere præclara ſunt illa Oreſtis,

Ζεῦ, Ζεῦ, θεωρὸς τῶνδε πραγμάτων γενοῦ·
Ἰδοῦ δὲ γένναν εὔνιν αἰετοῦ πατρὸς,
Θανόντος ἐν πλεκταῖσι καὶ σπειράμασι
Δεινῆς ἐχίδνης. Τοὺς δ' ἀπωρφανισμένους
Νῆστις πιέζει λιμός· οὐ γὰρ ἐντελεῖς
Θήραν πατρῴαν προσφέρειν σκηνήμασιν.
Æſch. Choeph. 243.

Quin ſummo Critico Auctore etiam Comœdiam vocem ſuam tollere et tumido ore loqui licet, ſi quando eam in altis affectibus verſari contigerit. Tum quamvis dolore fractus et demiſſus animus hujuſmodi tamen ſe vocibus efferre amat: quippe ipſi miſeriæ ineſt dignitatis quiddam, quod vel humillimæ ſortis homines pauliſper a communi vitæ conſuetudine retrahit, et ad conceptus ſublimiores erigit.

Quod ſi malum videtur ultra modum augeri, neque ullam ſupereſſe ſpem ſalutis aut fugæ, totum aliquando orationis ſonum mutari contigit: ſtatim a turbido atque effræni ad lene et tranquillum genus migrare; aut interdum etiam ferme ludentis ſpeciem præferre. Optima ſunt in priore genere illa, quæ jam in mortis limine poſitæ Didoni tribuit Virgilius. Me-

minerit autem neceſſe eſt eorum quæ antea dixiſſet vim et rabiem, quicunque de noviſſimis hiſce verbis recte judicet.

Vixi, et quem dederat curſum fortuna, peregi:
Et nunc magna mei ſub terras ibit imago.
Urbem præclaram ſtatui: mea mœnia vidi:
Ulta virum, pœnas inimico a fratre recepi;
Felix, heu nimium felix, ſi litora tantum
Nunquam Dardaniæ tetigiſſent noſtra carinæ.

Æn. iv. 653.

Quod vero acerbum dolorem aliquando ferme ludentis ſpeciem præferre dixi; id Tragicorum lectores non ſemel animadvertiſſe opinor. Diro haud dubie cum riſu iſta Medeæ pronuntiari voluit poeta;

——καλῶς γ' ἂν οὖν
Δέξαιντό μ' οἴκοις, ὧν πατέρα κατέκτανον. *Med.* 504.

Nec multum abſimili modo domûs ſuæ cladem luget Megara in Hercule Furente, eas ſcilicet rerum ſimilitudines captans, quæ ſi in re levi fierent, riſum fortaſſe lenem commoverent.

Καὶ ταῦτα φροῦδα· μεταβαλοῦσα δ' ἡ τύχη
Νύμφας μὲν ἡμῖν κῆρας ἀντέδωκ' ἔχειν,
Ἐμοὶ δὲ δάκρυα, λυτρά· δύστηνος φρενῶν.
Πατὴρ δὲ πατρὸς ἐστιᾷ γάμους ὅδε,
Ἅδην νομίζων πενθερὸν, κῆδος πατρός. *Herc. Fur.* 480.

Cujus etiam generis egregium exſtat apud Sophoclem exemplum, in pulcherrima Philoctetis oratione, qua juveni Neoptolemo narrat quam iniqua ſorte ad inſulæ illius deſerta relegatus eſſet; cum et morbi cruciatu premeretur, et cibo, igne, tecto expers circumſpiceret diram loci ſolitudinem.

Πάντα δὲ σκοπῶν,
Εὕρισκον οὐδὲν πλὴν ἀνιᾶσθαι παρόν·
ΤΟΥΤΟΥ ΔΕ ΠΟΛΛΗΝ ΕΥΜΑΡΕΙΑΝ, ὦ τέκνον.

Soph. Philoct. 283.

Neque aliter Œdipus jam horridæ calamitatis fere conſcius, ſummum animi angorem ſignificat.

Δεινῶς ἀθυμῶ· μὴ βλέπων ὁ μάντις ᾖ. *Œd. Tyr.* 747.

In nominibus autem ſæpe ludere ultimæ antiquitatis Poetas ſatis conſtat, etiam ubi res agitur affectuum graviſſimorum plena. Quale eſt illud Æſchyli de Polynicis et Eteocliſque cæde,

Οἳ δῆτ' ὀρθῶς κατ' ἐπωνυμίαν
Καὶ πολυνεικεῖς
Ὤλοντ' ἀσεβεῖ διανοίᾳ. *Sept. ap. Theb.* 831.

Et diſertius adhuc in Agamemnone

Τίς ποτ' ὠνόμαζεν ὧ-
δ' ἐς τὸ πᾶν ἐτητύμως,
(Μήτις, ὄντιν' οὐχ' ὁρῶμεν,
Προνοίαισι τοῦ πεπρωμένου
Γλῶσσαν ἐν τύχᾳ νέμων;)
Τὰν δορίγαμβρον ἀμφινεικῆ θ' Ἑλέναν;
Ἐπεὶ πρεπόντως
Ἑλένας, ἕλανδρος, ἐλέπτολις,
Ἐκ τῶν ἀβροτίμων
Προκαλυμμάτων ἔπλευσεν
Ζεφύρου γίγαντος αὔρᾳ. *l.* 692.
. . . . . .
Ἰλίῳ δὲ ΚΗΔΟΣ ὀρ-
θώνυμον τελεσσίφρων
Μῆνις ἤλασε κ. τ. λ. *Ibid.*

Pariter in vocis ſono ludere Ajacem fecit Sophocles, acerrimo luctu et dolore perturbatum.

Αἲ αἲ· τίς ἄν ποτ' ᾠὠθ' ὧδ' ἐπώνυμον
Τοὐμὸν ξυνοίσειν ὄνομα τοῖς ἐμοῖς κακοῖς; *Aj.* 430.

Magno enim inter ſe commercio tenentur cujuſcunque fuerint generis vehementes animi affectus, et facile alter in alterius naturam tranſeunt. Immo, ubi ad extremum violentiæ adacti fuerint, qui affectus

maxime inter ſe viſi ſunt pugnare magis tum in unum coire ſolent, iiſdem manifeſtari ſignis, eadem oris vociſque indicia proferre. Recentiores poetas, præſertim ſcenicos, antiquis melius hoc vidiſſe credo: quorum unus incredibilem auditoribus terrorem injeciſſe fertur, quum mulierem in ſcena acerbiſſimum dolorem declarare fecerit riſu ſubito ac ſoluto, qualem homines edere ſolent immoderato gaudio affecti. Neque aberit a quæſtione quæ nunc agitur, ſi artificis [a] illius mentionem faciam (nota eſt apud Pictores fabula) qui cum mulierem pingere vellet in morte Chriſti luctu ſupra modum exagitatam, effigiem duxit ex antiqui cujuſdam pictoris tabula, quæ fœminam haberet in Bacchi ſacris ſoluti atque effrænis gaudii ſigna, capite retorto, et violento corporis flexu, exprimentem.

Multa adhuc reſtant dicenda, quæ præterire ſatius duxi, ne brevitatis, quam olim mihi propoſueram, immemor fuiſſe videar. Nempe miſeros ad Deorum tutelam confugere, et hac ſpe animos ſolari, docet ipſa natura, docet optimorum poetarum uſus: tum eoſdem plerumque in miſerrima fortuna futurum timere, mala omnia præcipere animo, et quaſi præterito edoctos nihil ſatis tutum exiſtimare.

Hæc autem et alia complura de Spe, de Timore, de Miſericordia, de Lætitia, quas omnes accurate tractare prope infinitum eſſet, tacendum decrevi; de cæteris ita locutus, ſi minus ut volui, ut potui certe, et fortaſſe junioribus non inutiliter, quos quidem uſque adhuc attentos habuiſſe mihi gratiſſimum evenit. His itaque, dum ad nova quædam meipſum conferam,

[a] Baccio Bandinelli. Vid. Sir Joſhua Reynolds, *Diſc.* 12.

reliqua in hac parte præſtanda linquo—quod facile quis conſequi poterit, eodem ſi utatur duce cui plurimum me in hoc opere debuiſſe fateor. Illud modo meminerint, quod ſæpe antehac admonere viſum eſt, ne Ariſtotelis ipſius aut librorum omnium auctoritate ſola inniti conſueſcant. Naturam ipſam ſedulo exquirant: ſui quiſque pectoris arcana exagitent: hominum conventibus frequentes interſint: diverſorum ordinum diſcant mores, curas, ſtudia, cupiditates: quid cuique proprium ſit intelligat, quid omnibus commune: tum in violentis affectibus, de quibus jam potiſſimum diſputatum fuit, vulgi præcipuam rationem habeant, ut quorum animi acriore vi affectuum plerumque impelluntur; quam porro vim neque in diſſimulando admodum ſunt periti, nec quo minus eam ſimpliciter et palam proferant, verecundia aut cultu vitæ humano prohibentur.

PARS SECUNDA

DE

AFFECTIBUS SIVE SYMPATHIA.

PRÆLECTIO DECIMA TERTIA.

Secunda hac parte de Affectibus *ſive* Sympathia *in tria capita diviſa, de primo capite agi cœptum eſt: nempe ut ad* Hominum *fortunas ac mores argumentum carminis pertineat. Quæ ſunt infra* hominis *naturam, aut ſupra naturam, aut omnino prodigioſa, minus movent. Cavendum eſt porro, ne res nimis aut regione aut temporibus diſtet: neque novæ prorſus ſint aut inauditæ perſonæ; neque rurſus familiariter notæ.*

FINITA jam prima inſtituti operis parte, quæ de Imitatione tractabat, proximum eſt ut in ejus voluptatis naturam paullo diligentius inquiratur, quam in Affectibus poſitam eſſe diximus. Ex quatuor enim partibus in quas omnis de Materia Poetica diviſa eſt quæſtio, hæc ſecundum ſibi locum vindicavit.

Ne vero aliqua vitii ſuſpicio in hac partitione lateat, propterea quod jampridem de Amore, de Luctu, cæteriſque affectibus gravioribus copioſe diſputatum fuerit, repetenda videntur quædam ex præteritis in hanc ipſam rem olim dicta. Nempe ubi hæc loca antehac in exempla proferre viſum eſt, id ſolum ea mente factum eſſe quivis facile meminerit, ut *imita-*

toris artem docerem qualis eſſet, quibus indigeret præceptis, quibus adjectis aut immutatis pulchrior fieret aut venuſtior imitatio: tum ut in ſingulis exemplis quid egregie excogitatum, quid temere admiſſum commonſtrarem. Quoniam igitur in hiſce tradendis ſedulo eſt cautum, ne venuſtatem quæ in re ipſa ineſſet imitatoris arti tribuerem, nequaquam ab iis exemplis abſtinendum duxi, quæ res ſuapte natura pulchras aut præclaras referrent: neque profecto ſi religione iſta me obſtrictum tenuiſſem, ſic voluptati aut commodo auditorum melius conſultum fuiſſe arbitror.

Atqui eorum quæ mox de Affectibus dicentur alia omnino eſt ratio. Quid enim ſit in carminibus nunc videndum erit quod legentium affectus teneat, quod in re defigat animum, quod ſenſus quos vocant morales irritet, moveat, percellat, eoſdemque purgatos et dulcedine quadam perfuſos dimittat. Quippe huc ſpectat ἠθικὸν illud Ariſtotelis, quo ſi poeta careat, maximum ei artis inſtrumentum deeſſe judicandum eſt. Sit enim fabula omni orationis lenocinio et carminum ſuavitate inſtructa, egregiis ſplendeat deſcriptionibus ipſam rerum veritatem referentibus, ſit denique etiam imaginum et phantaſmatum vi ornata; niſi accedat quoque facultas illa quæ affectus trahit, a ſummo et perfecto genere ſcribendi longe abeſt. Quam utique in ſententiam omnino cedit Critici Romani auctoritas:

Non ſatis eſt pulchra eſſe poemata, *dulcia* ſunto,

cujus vocis vis, ſi cui dubia videatur, ſequenti verſu declaratur,

Et quocunque volent animum auditoris agunto.

Hujus autem rei cum ſit tanta vis, et tam late pateat, tum haud incommode ad tria potiſſimum capita re-

ferri poſſe videtur, quæ dum ſeorſim ſumentur, maxima certe, ſi non omnia quæ ad hanc partem pertinent, complecti et confirmare exemplis curæ erit.

Primum igitur eſt, uti eam ſibi rem ſumat ſcriptor, cui ſponte aditus in cor pateat: quod tum demum fiet, ſi fortunas HOMINUM narrabit, eorum præſertim qui neque tempore aut loco aut moribus a nobiſmet ita ſint ſejuncti, ut quid egerint tulerintve parum curemus. *Deinde*, ut caſus graves et luctuoſos, inopinatas rerum vices ſpectandas præbeat; ut iram, metum, vindictam, ſpes incertas, motuſque animi in utramque partem, et in gaudium et in dolorem, vehementiores depingat. *Poſtremo*, ut conceptus, et quas Græci dicunt διανοίας, ejuſmodi proferat quæ in pectus auditorum facile ſe inſinuent, et ſimiles quoſdam motus ciere quaſi neceſſitudinis jure poſſint; quæque omnia ſimul ac percepta fuerint amplectamur ultro et cum delectatione quadam comprobemus. Hoc autem in genere numerari velim, quæcunque ad miſericordiam pertinent, beneficentiam, pietatem, patriæ ac propinquorum amorem, juſtitiam, fidem, clementiam, fortitudinem etiam, et ſi quid aliud virtutis laude continetur.

His igitur hunc in modum diſpoſitis, principio de *re atque argumento carminis* agendum erit: quod quidem ab Ariſtotele tanti eſt factum, ut maximum id poetæ munus idemque difficillimum eſſe prædicaverit. Quæ tamen ſummi Philoſophi verba latius intelligi debent, quam ut id ſolum velle habeantur quod nos jam quærimus. Enimvero totam reſpiciunt fabulæ inſtituendæ ornandæque diſciplinam, quam ſubtilem eſſe et multiplicem recte monet; cum ſedulo opera danda ſit ſcriptori ut unum quoddam ſit

fabula; ut principio, medio, fine utatur; ut juſta ſit magnitudine, neque certos temporum fines tranſeat; ut poetico non hiſtorico more in medias res deſcendat; ut partes apte inter ſe cohæreant; ut ſibi conſtent perſonæ; cæteraque in hoc genere complura, quæ tum demum perſequi oportebit, quando ad quartam inſtituti hujuſce partem deventum erit. Nunc illud tantum videamus, quod *affectuum* humanorum ratio ac natura poſtulat.

Primum igitur eſt, quod vix forſan præcepto indigere videatur, ut in *Hominum* moribus ac fortunis ſe exerceat Poeta, ſi mentem velit penitus attingere humanam. Sicut enim ſua res maxime cujuſque noſtrum intereſt, ita ſi ad univerſum genus ſpectemus, homo homini neceſſe eſt cariſſimum habeatur. Quare fruſtra eos operam Muſis impendiſſe exiſtimo, qui de Orbis ſitu, de cœli regionibus et motu ſiderum, de natura piſcium ac ferarum non ſine cura et labore carmina condiderunt. Ecquis enim Empedoclis opera annorum injuria interempta dolet? Quem movent aut ad perlegendum trahunt Arati Phænomena, aut quinque illi Aſtronomicôn libri a Manilio confecti? quibus tamen oblectamenti gratia fabulas heroum inſeruerunt complures, eleganti ſatis et compto carmine conſcriptas. Quis Dionyſium unquam, niſi ut regionum urbiumque ſitus veteres cognoſceret, in manus ſuſcepit? Manethonis autem et Artemidori deliramenta miror equidem quo fato ad hunc diem ſervata fuerint; quod jam diu omnium contemptu oppreſſa jacuerint, nequaquam miror. Etiam illa Nicandri de Serpentibus, admodum et verbis et numeris polita, et nobiliores Oppiani verſus quanquam res attigerunt magis ad vitam attinentes, atque ille præ-

terea judicio et gravitate ſit ſpectabilis, hic autem ferme ad Homericam ſuavitatem majeſtatemque carminis accedat, tamen quia humana carent actione, nemo fere animi cauſa legit—nemo non cito tædio afficitur, licet animalium proprietates exquiſita arte deſcriptas miretur, et nihil ornamenti deſit carminibus, quod quidem ejuſmodi res in ſe recipere queat.

Neque tamen quiſquam hic nobis objiciat, quod Lucretii poema jam in confeſſo ſit deliciis ubique fluere, tot inſuper ſeculorum unanimi voce comprobatum. Habet certe plurima Lucretius feliciſſimo ingenio ſcripta: habet elegantem et ſubtilem linguæ facilitatem: habet facultatem illam, ut nemo ſupra, quæ formas rerum ad unguem exprimat, et quibus a natura deeſt forma, his ſolidam quaſi figuram et corpus addat. Tum in rationibus exſequendis nihil eo luculentius, nihil preſſius, nihil ad intelligendum aptius: ut hac in parte, quamvis metro et numeris adſtrictus, etiam philoſophorum commenta ſuperet. Quod ſi quis ea potiſſimum ſequi voluerit quæ mentem et affectus tangunt, (cujus quidem generis confiteor non pauca illic reperiri poſſe,) at longis ea ſparſa intervallis reperiet, et qualia reliquam operis partem quam ſit nuda et exilis veriſſime demonſtrant.

Aliquantum fortaſſe me ad hanc ſententiam ferendam impulerit improba iſtius philoſophiæ et plane deteſtanda ratio: cui nempe unice ſit propoſitum, ut quicquid unquam ſanctum aut venerandum apud homines habitum ſit, quicquid de numinis benignitate ac potentia, quicquid de Anima hac ipſa, ad ſpem ac fructum immortalitatis nata, divinitus homini ſit inſitum, a pectore radicitus evellat; hominemque ipſum ut doceat, poſtquam cæco impetu ductus in

terris pauliſper erraverit, ad ſolum unde ortus ſit pecudum ritu reverti.

Verum ut eo unde ſumus egreſſi redeamus. A quibuſdam ſcriptoribus *aliter* contra hanc regulam peccari ſolet, quoties fictas et inanes perſonas pro veris inſtituunt; ejuſmodi dico quæ nec fuere unquam, neque eſſe potuerunt; quibus nec patria, nec gens, nec nomen proprium; immo quas ne ſcriptor quidem ipſe ſucco et ſanguine donavit, ſed umbras tantum et vana quaſi ſimulacra, virtutum et vitiorum titulos mentita. Magna eſt haud dubie phantaſiæ vis; neque id ullo modo poetæ denegandum puto, ut Deos aut Deorum ſimiles ſupra ſortem et vires humanas adhibeat, qui rebus quas narrat interſint, principes tueantur, conſolentur, moneant, adhortentur, juvent. Immo, ut novis inſolitiſque rerum monſtris fabulam diſtinguat, quo acrius lectorem percellat, delectet, terreat, fas omnino eſſe ducimus. Quippe hoc apparatu ſi careat, ruat propemodum ars ipſa, certe optima quæque artis monumenta ruant neceſſe eſt. Sed de his et hujuſmodi rebus, quonam ſcilicet jure teneantur, quando et quatenus iis uti poetæ liceat, alterius erit loci accurate diſputare; quoniam quæſtio omnis voluptate illa plane continetur quæ in phantaſiæ ſive imaginationis vi ponitur.

Interea apud veteres poetas non admodum hoc in genere peccari video. Homero certe vitio datum eſt, Deorum dignitatis eum immemorem fuiſſe interdum, cum eorum miniſterio utatur præter neceſſitatem, et res nullius momenti tanta ope perficiat. Quam vero culpam in recentioribus quibuſdam notare licet, hac ille omnino vacat, nempe ut fabulæ

perſonas, quarum facta, mores, fortunas intuemur, a natura recedere humana fingant. Quod quoties ſit factum, continuo languere animum et affectus jacere nemo expertus negat.

Suos autem Divos Homerus fabulæ et perſonis *adjunxit*, non fabulam ipſam ſuſtinere fecit. Quod itidem pari judicio conſecutus eſt Virgilius: neque ſi quando nova quædam monſtra effingere libet, ſicuti in Famæ et Diſcordiæ deſcriptionibus feliciter eſt factum, uſquam temere laſcivire et juſtos egredi fines ſolet: nimirum argumento et præcipuis fabulæ perſonis hæc omnia ſubjici videntur: alienam rem agi non ſuam aperte demonſtrant.

Quantum vero poeticæ arti obſit, eos præcipuo loco ponere, quos raro admodum et tanquam miniſtros adhibere oportet, judicare licet iis, quibus egregium illud Spenſeri noſtri carmen perlegere contigerit. Quanquam enim ſumma numerorum gratia ac varietate ornetur, et oratione uberrima arte cultuque expolita; quanquam conceptus ubique ſublimiores et phantaſmatum inſolitas ſpecies effundat; adeo tamen faſtidiis adhæreſcit illa, quam vocant, allegoria, ut vix tandem feſſi et quaſi coacti, non ſponte et ſtudio ardentes, ad exitum feramur.

Ne vero hæc optimæ poeſeos elementa minoris habere, aut ipſe iis non magnopere delectari videar, quod penitus recuſarem, liceat apertius adhuc ſed breviter expedire quid ſentiam. Paucorum ſane eſſe exiſtimo, atque admodum paucorum, iſta facultate pollere unde hæc orta eſt materia, et quæ merito inter naturæ dona principatum tenet: neque hac qui fuerit deſtitutus unquam me auctore Muſas colet. Attamen ſicut in reliquis voluptatibus uſu

venit, ut quæ acerrime commovent ſenſus diuturnæ eſſe nequeant, magiſque ſolidis quibuſdam alamur et mediocribus, ita qui mentem et affectus longo in poemate retinere velit, qui plauſoris egeat

> Aulæa manentis, et uſque
> Seſſuri, donec cantor vos plaudite, dicat,

profecto ille a cœlo ad terras, ad vitam et mores hominum deſcendat neceſſe eſt. Ita autem ſe rem habere etiam veteris Tragœdiæ exemplo confirmari videmus, quæ Deos olim et fabuloſa vetuſtatis miracula attentabat, quemadmodum in Prometheo Vincto Æſchyli, nobiliſſima Tragœdia, hodie ſpectare licet, donec paullatim ſcriptores experientia edocti rem magis ad ſenſum hominum communem accommodare cœperunt.

Satis jam in eo verſatus fuiſſe videor, ut ſcriptori qui ſummam artis aſſequi ſtudebit, nihil attingendum doceam, niſi quod homini ſponte ſit gratum, et affectibus humanis ultro ſe commendet. Ex iis autem quæ hac lege ſumenda erunt, inſuper curæ erit deligere, quod *ad eos præcipue pertinere videatur apud quos agat:* ne tantum regione aut temporibus diſtet, ut alienum quiddam videatur. Tum id ſemper providere oportebit, quid ſua gens poſtulet, quid ſuæ ætatis vena et conſuetudo ferat. Quando enim permagni intereſſe conſtat in concitandis affectibus, ut benevolum habeamus auditorem; benevolentia vero omnis eos potiſſimum ſequitur qui noſtri ſint ſimiles, aut nobiſcum una ſocietate aliqua fuerint conjuncti; magis certe animum tenebit fabula quæ hujuſmodi utetur moribus, quam quæ circa barbariem et vetuſtatis tenebras hærebit.

Lubrica ſane et ſubtilis habita eſt quæſtio de *hiſtoria*: utrum hac duce veri veſtigia perſequi poeta debeat, modo veſtem nitidam atque ornatum veritati induat, an fictam omnino atque inauditam rem in medium proferat, tempore, loco, perſonis deſignatam pro arbitrio ac voluntate ſua. At quæ modo dicta ſunt de benevolentia auditorum, eadem et hic pariter valere arbitror. Namque erectiore ſtudio eorum fortunas proſequimur quos jam nobis fama cognitos et quaſi familiares fecit, quam quibus nulla nobiſcum eſt neceſſitudo; præſertim ſi patria, gente, lingua, religione iidem fuerint, aut conſimiles.

Hoc enimvero optimorum poetarum exemplo comprobari ſatis conſtat: Iliadi enim et Æneidi quanta inde gratia acceſſerit docent omnes criticorum libri. Sed de Epopœia ſola jam non loquor: quippe etiam ſcenicis ſcriptoribus auctor eſt Horatius, uſu quidem ille et diuturna obſervatione monitus, ne temere novæ rei aut perſonæ difficultatem obeant, de qua ſcilicet nulla ſit ante in animis auditorum concepta opinio. Quinimo non alia de cauſa eveniſſe credendum eſt, quod Græcæ Tragœdiæ elementa in tam paucarum familiarum orbem concluderentur; cum optimus quiſque poeta eadem denuo argumenta, levioribus paullulum immutatis rebus, in ſcenam proferre mallet, quam in novis periclitari. A quibus ſi licet ad hanc noſtram ætatem et noſtros homines quæſtionem deducere, præclara illa Shakeſperi quæ hiſtorica appellantur ecquis ſe pariter miraturum contendat, (ut cætera intacta maneant, lingua, ſententiæ, mores) ſi ex Æthiopum aut Indorum annalibus deſumpta eſſent? Tanti eſt, eritque ſemper vis loci et conſuetudinis! cujus niſi

rationem rite habeat, tarditatem auditorum fruſtra incuſabit ſcriptor, et ſua ſpe decidet.

Cavendum interea eſt, ne quem alterum in vitium trahat vitii alterius fuga—ne propius ad hiſtoriæ lucem accedere audeat, quam fert Poeticæ rei natura. Quod ne faciat, vel unius Lucani exemplo prohiberi poſſit : qui dum falſa veris admiſcere cupit, et Deorum miniſterium ad notiſſimam hiſtoriam adhibet, non tam poema ornare, quam hiſtorici partes male agere, et mentiri non fingere videtur.

Peſſime certe ſic in Epopœia offenditur: Tragœdiæ hoc vitium, ſi omnino ſit vitium, minus obeſt ; quanquam et hic hodiernas admodum res et uſu cognitas adhiberi nolim, ne a dignitate, quam tueri imprimis decet, nonnihil detrahatur ; neque porro, recentibus adhuc factis, ea libenter fingi patimur, quibus veritas ipſa, ſi in ſcenam prodierit, carere nequit.

Habetis ergo, Academici, quæ de argumento carminis providenda duxerim, quo facilior ad affectus legentis commovendos ſtrueretur via. Cum vero ita ſit conſtitutum, ut de hominum fortunis agi oporteat, qui aut ad noſmet ipſos aliquo conſortii jure pertineant, aut quos jam admirari conſuevimus ; proximum erit videre, quales *moribus* eſſe debeant quorum fabula narretur. Quo peracto ſtatim ad ſecundum hujus partis caput tranſeundum erit.

PRÆLECTIO DECIMA QUARTA.

Perſonas conditione vitæ honeſtiori eſſe oportet—neque ſumma virtute neque fœdiſſima improbitate inſignes—De hac tota re optimum videtur eſſe Ariſtotelis judicium.

QUONIAM plurimum intereſſe videbatur in affectibus commovendis, ut rem ſua ſponte eximiam deligat ſcriptor, quo facilius ea quæ movendi vim habent in pectus influant, jampridem in præceptis annumerare viſum eſt, ut in Hominum curis fortuniſque verſetur, præſertim eorum qui neque ætate, nec loco, nec fama ſint nimis diſpares et a nobiſmet ipſis longius ſejuncti. Reliquum eſt, ut videamus quales conditione ac moribus eſſe oporteat quorum facta et fortunas narrandas ſuſcipiat. Qua de re quæſtiones ortæ ſunt nonnullæ, quas alii aliter explicare ſolent.

Ariſtoteli ſane placuit neque egregie probos neque omnino improbos in ſcenam proferri oportere; ſed mediæ cujuſdam virtutis homines, quibus in mala incidere errore aliquo humano captis contigerit: tum ut ne ſint ſorte humiles admonet, ſed qui fama, genere, aut opibus præclari fuerint; aut quos hujuſcemodi ob cauſam vulgum ſuſpicere atque admirari uſu venit. Quamvis autem ſummi illius philoſophi

auctoritatem nemo me pluris æſtimet, eumque ducem, utpote qui duce natura ipſe utatur, tutiſſimum ubique ſit ſequi; cavendum tamen imprimis videtur, ne quod de parte aliqua recte dicatur, id in genus univerſum imperite trahamus. Meminerint enim velim qui hæc audiunt, de Tragœdia ſola loqui Ariſtotelem—nos quicquid in ſe Poeſeos natura recipit ſpectare. Profecto certis poematum formis ſuæ conſtant leges, uſu repertæ et criticorum auctoritate ſancitæ; quas utique tranſire nefas duxerim, ſi quando in his finibus elaborandum erit: Poeſim vero ipſam nullis teneri legibus judicandum eſt, niſi quas humanæ mentis ratio, unde tota pendeat, et quo unice referatur, poſtulet.

His itaque præmiſſis facile quivis cernet, præceptum illud Ariſtotelis de iis dumtaxat fabulis ſumendum, quibus infelix et calamitoſus ſit exitus: nempe ubi *miſeriarum* ſpectaculo mulcetur quodammodo et caſtigatur animus. Neque enim leni huic dolori eſt locus, ſi brevia ſint mala quæ intuemur, et mox felici rerum curſu excipiantur; neque ſi *merito* ea quis patiatur, ut ſint modo ſupplicia peccatis debita.

Atqui ut concedamus utilem eſſe imprimis atque ingenuam hanc voluptatem, quæ exitu rerum miſero efficitur, ſæpiſſime tamen fit, ut quæ proſpere demum eveniant, variis tamen prius fortunæ fluctibus impediantur, nec niſi tempeſtate diu jactata ex alto in portum ſe recipiant. Has autem res, dum incertæ fluitant, omni acie animi cupidiſſime intuemur: voluptate autem quæ in affectibus ponitur acerrime tentamur—non eam dico quæ luctu et mærore conficitur, ſed cujus ſibi eſt mens probe conſcia, quando erectiore

ſtudio in rem aliquam incumbit, et ſpes, metus, iras, gaudia, dolores, odia, tanquam ſua res non aliena ageretur, huc illuc delata concipit.

Hæc ut ſentiam qui effecerit, non mediocri illum facultate pollere dixerim: neque id arti obfuturum exiſtimo, ſi dubiis rebus et afflictis ſalutem tandem afferat, et quorum pericula et labores ſpectantibus obtulerit, eos demum incolumes et lætos dimittat. Hujuſmodi quidem voluptatem *Tragœdiæ* non eſſe propriam, cujus vis terrore et luctu augendo cernitur, criticis libenter concedam. Neque in verbi controverſia hærere juvat. Quod ſi *naturæ* ſit propria, ſi ſenſus hominum pertentet, ſi mentem erigat inertem et languidam, ſi nos cupere, ſperare, dolere, lætari faciat, minime eam poeticis finibus exulare jubeamus, ſed quamcunque induat formam, amplecti eam ultro et fovere præſtabit.

Et profecto ſi rem longius hic perſequi expediret quæ ad poſtremam operis partem rectius pertinebit, perfacile monſtratu eſſet Tragœdorum optimum quemque, et Euripidem quidem ipſum ab Ariſtotele Τραγικώτατον appellatum, hujus quam vocat *infirmitatis* noſtræ ita rationem habuiſſe, ut plurimas exitu felici fabulas condiderint; nonnullis autem quæ miſerrime exierunt, ſpei tamen ſolatium quoddam et fortunæ melioris futuræ augurium prætulerunt: ſicuti in Oreſte, Œdipo Colonæo, Hercule Furente, etiam in Medea ipſa animadverti licet. Longioribus autem in poematis, cujuſcunque formæ fuerint, datur id lectorum benevolentiæ ac votis, ut felix plerumque evadat fortunæ curſus.

Jam vero quod principis alicujus viri fortunas nar-

rari jubent, prudenter id quidem cautum fuiſſe arbitror, et ad ſenſum communem accommodatum. Ita enim natura comparati videmur, ut quid agant patianturque homines ſummo in loco poſiti curemus acrius, quam quibus æqualis ſit nobiſcum ſors, aut ſorte noſtra humilior.

Κοινὸν τόδ' ἄχος πᾶσι πολίταις
Ἦλθεν ἀέλπτως·
Πολλῶν δακρύων ἔσται πίτυλος.
Τῶν γὰρ μεγάλων ἀξιοπενθεῖς
Φῆμαι μᾶλλον κατέχουσιν. *Eur. Hipp.* 1462.

Neque abeſt ab hac ſententia judicium Ciceronis. ‘Viri ſæpe excellentis’ (inquit ille Lucceium vehementer rogans, ut conſulatus ſui hiſtoriam ſummopere ornet) ‘ancipites variique caſus habent admi-
‘rationem, expectationem, lætitiam, moleſtiam,
‘ſpem, timorem: ſi vero exitu notabili concludantur, expletur animus jucundiſſima lectionis vo-
‘luptate.’ *Ep.* v. 12.

Quare hoc præceptum a Tragœdia ad cæteras omnes poematum formas transferre oportebit, ſicubi una in re lectorem diu retinere velit ſcriptor.

Interea de *moribus* quæ ſtatuunt, ne nimis ſint in alterutram partem proclives, pugnare aliquantum videri poſſint cum iis quæ de perſonarum conditione ſunt dicta. Quum enim principum fortunis nos vehementius commoveri ſit poſitum, quam mediocrium et noſtri ſimilium, nunc ejuſmodi virtutem effingamus admonent, quæ medii vocatur generis et a vitæ conſuetudine minus abhorret. Nihilominus tamen huic etiam præcepto, ſicut alteri illi, veritatem ſuffragari puto: quod ſi ita fuerit, injuſte ſane occurritur, ea ex diverſis peti principiis videri. Nam

licet illorum facta libentius ſequamur qui dignitate nos ſuperent, at niſi natura ſint pares, niſi iiſdem diſtineantur curis, niſi eadem quæ nos cupiant, ſperent, metuant, averſentur—virtutem fortaſſe admirari aliquis poterit ac ſtupere, diligere autem eos et animo affectibuſque ultro excipere plane non poterit.

Unde etiam quæſtio interdum eſt facta, utrum veræ virtuti faveat poeſis, necne; quam ſane, ſi cum veteribus quibuſdam in vita omni appetitu vacua ponamus, certe neque doceri eam a poetis neque ornari poſſe concedimus; quoniam in motu et perturbatione animi tota fere conſtet vis poetica: ad quam porro rem præcipue ſpectare intelligendus eſt Plato, quando in republica ſua locum poetis denegandum cenſet. Quod ſi eum demum exiſtimemus civem bonum, qui in muneribus vitæ exſequendis ita ſe probum præſtiterit, ut prava aliquando cupiat aut forſan admiſerit—ita fortem ut quæ foris eveniant nequaquam deſpiciat—ita ſapientem ut falli eum contigerit—ita denique conſtantem ut efferatur interdum cupiditate, aut precibus frangatur et miſericordia, certe ad hos mores colendos plurimum conferre poterit poeta.

Quantum vero extra artem ſit perfecta, ut ita dicam, et ſine labe virtus, cum optimorum poetarum exemplo atque auctoritate tum etiam minorum inſcitia ſatis eſt ſuperque comprobatum. Etenim præſtantiſſimos apud Homerum heroas aut vitio aut ſtultitia aliqua errare ſæpiſſime videmus—etiam Hectora, qui prope ad perfectum exemplar eſt effictus, ira identidem efferri et metu frangi contigit. Ulyſſis quæ fuerit a ſumma virtute deflexio nemo ignorat. Sarpedoni autem, excelſo præ cæteris ingenio ac fere

divino prædito, ut qui ratione impellatur magis ad veram gloriam conſequendam quam affectibus, breviſſimæ tantum partes tribuuntur; et quales legentium animos arripere, ac varietate reficere poſſint, non diuturna actione retinere. Virgilio ſane a nonnullis vitio eſt data egregia Æneæ pietas, quaſi ſpiritu ac vi poetica careret, et veritati obeſſet. Atqui ut taceam nunc pervagata illa de Didonis amoribus, ſi quis attentius carmen perlegat, nuſquam eum affectibus vacare inveniet, ſæpiſſime autem hiſce humanitus obtemperare, ſicubi amore, ira, metu, aut vindicta impellatur, qualem eum (ut pauca ex millibus adducam) in Trojæ exſcidio, in deſcenſu ad inferos, in Turni cæde cernimus.

Quod ſi ejuſmodi virtutem intueri velimus, quæ ab affectu omni recedit, Catonem illum adeamus Lucani, quem ſcilicet ita Deo propinquum effingere voluit, ut nihil fere in eo reliquerit humani.

> Huic epulæ, viciſſe famem: magnique penates,
> Submoviſſe hyemem tecto: pretioſaque veſtis,
> Hirtam membra ſuper, Romani more Quiritis,
> Induxiſſe togam: Veneriſque huic maximus uſus,
> Progenies: Urbi pater eſt, Urbique maritus:
> Juſtitiæ cultor; rigidi ſervator honeſti:
> In commune bonus: nulloſque Catonis in actus
> Subrepſit, partemque tulit ſibi nata voluptas.
>
> *Phars.* ii. 384.

Similiter in nono Pharſaliæ, Labienum oracula ſciſcitare ardentem reprimens,

> Effudit dignas adytis a pectore voces. *Phars.* ix. 565.

At ſi dignæ ſunt adytis, nequaquam voces ſunt hominis in terris agentis, et quocum pari ſocietatis jure vivitur.

Et profecto ſi res ita ſe habeat, ut quod RECTUM appellatur et ſimpliciter BONUM unum quoddam ſemper ſit atque idem, nulla temporum varietate immutatum, nihil certe poeſi eſſet minus idoneum; ut quæ multiplicem rerum captet faciem, atque in his ornandis variandiſque utplurimum laboret. Quamobrem inepte admodum Homericos nonnulli carpunt Deos, propterea quod humanis affectibus torqueantur: quod ni eſſet, unus neceſſe eſt exſtitiſſet color, una mens, unum idcirco (ſi ſibi ipſe conſtare voluiſſet) nomen omnibus. Neque ullo diſertiore exemplo uti velim, quo ab hoc ſcopulo imperitos prohibeam, quam Miltoni noſtri infelici in hac re labore. *Spiritus* quidem cœlicolas non omnino affectibus exutos fecit, maxima tamen, quoniam aliter fieri vix potuit, inter ſe ſimilitudine. *Deum* vero ipſum maximum et præpotentem quis ſalva pietate ita exprimere potuit, ut rebus colloquiiſque immiſceri et unus multorum eſſe videretur? Quare vatem defeciſſe ibi tandem confitemur, ubi ne ſuccederet res ipſa vetuit.

Atque hæc quidem præfanda judicavi, non quo poeticos mores detrudam ad meram vitæ conſuetudinem, aut præſtantiores eos quam nuda fert veritas effingi nolim, ſed ne quem virtutis ornandæ ſtudium extra artis rationem et fines rapiat.

Supereſt, ut vitium illud alterum jam paucis notetur quod in nimia morum improbitate depingenda poſitum eſt. Rectiſſime ſane præcipit Ariſtoteles criticorum princeps—ſi quid a medio recedatur, ad meliorem potius quam ad pejorem partem inclinari oportere. Neque enim quidquam minus movet quam improborum pœna: quam etſi fieri lætamur, et avido interdum ſtudio avemus, ad φιλάνθρωπον illud de quo

diſputat, magis pertinet, quam ad affectuum motus graves et perturbatæ mentis impetus.

Quinetiam mentem omnino vitiis inquinatam, cui ſcelus per ſe dulce ſit et jucundum, tanquam fœdum et atrox ſpectaculum averſamur: neque ſi in id reſpicere ſemel libeat, mens tali monſtro intuendo ſe delectari patitur. Exempla aliquot jampridem ſunt adducta ex Senecæ Medea et Agamemnone, ubi ſcriptor, rem atrocem augendi ſtudio, nimis in hoc vitium migrare viſus eſt. Cætera vero omnia quæ mihi in hoc genere notare contigit longe ſuperat Rufinus ille Claudiani.

Jurata Deorum
Majeſtas teritur: nuſquam reverentia menſæ.
Non conjux, non ipſe ſimul, non pignora cæſa
Sufficiunt odiis: non exſtinxiſſe propinquos,
Non notos egiſſe ſat eſt: exſcindere cives
Funditus, et nomen gentis delere laborat,
Nec celeri mittit leto: crudelibus ante
Suppliciis fruitur: cruciatus, vincla, tenebras,
Dilato mucrone, parat . . . . . .
. . . . . non flectitur annis:
Non ætate labat: juvenum rorantia colla
Ante patrum vultus ſtrictæ cecidere ſecuri.
Rufin. i. 228.

Iterum in ſuæ urbis obſidione maximas civium miſerias adſpectans gaudio exſultare dicitur.

Vinctas ire nurus, hunc in vada proxima mergi
Seminecem, hunc ſubito percuſſum vulnere labi
Dum fugit, hunc animam portis efflare ſub ipſis,
Nec canos prodeſſe ſeni, puerique cruore
Maternos undare ſinus: *immenſa voluptas,*
Et riſus plerumque ſubit. Dolor afficit unus,
Quod feriat non ipſe manu. *Rufin.* ii. 64.

Reponet fortaſſe aliquis ita ſe rem plane habuiſſe—

veram eſſe hanc non fictam fabulam—neque poetæ culpa accidiſſe quod ſupra modum eſſet viri improbitas, ſed naturæ. Atqui ut veniam Claudiano propterea dandam cenſeamus (quod mihi quidem vix probant ejus fautores) diſciplinæ tamen ipſi quam tuemur ſua conſtat auctoritas—nempe ejuſmodi mores parum tangere lectores, ideoque in ſpectaculum ambitioſe proferri non debere. Quare etiam Satanam ipſum ſuperbiæ magis aut vindictæ ſtimulis agi finxit Miltonus, quam meri ſceleris amore: cujus porro orationes cum Furiarum concilio in Claudiani Rufino conferri velim, ut quæ ſit hujuſce rei vis recte judicetur.

Quibuſdam interea etiam mixti generis perſonis tantum aliquando ineſt mali, ut figura humana eos vix dignos exiſtimemus—certe gravibus ſeriiſque rebus nolimus intereſſe. Quis unquam Pharſaliæ lector hæc Lælii verba, quibus ſe Cæſari deditum profitetur, æquo animo excepit?

> Pectore ſi fratris gladium, juguloque parentis
> Condere me jubeas, plenæque in viſcera partu
> Conjugis, invita peragam tamen omnia dextra.
> Si ſpoliare Deos, ignemque immittere templis,
> Numina miſcebit caſtrenſis flamma Monetæ:
> Caſtra ſuper Thuſci ſi ponere Tybridis undas,
> Heſperios audax veniam metator in agros.
> Tu quoſcunque voles in planum effundere muros,
> His aries actus diſperget ſaxa lacertis:
> Illa licet, penitus tolli quam juſſeris urbem,
> Roma ſit. *Phars.* i. 376.

Quæ quidem ſicarium aliquem aut prædonem potius ſceleratum loqui deceret, quam exercitus Romani imperatorem et Cæſaris amicum. Neque admodum

hoc vitio immunia ſunt, quæ Cæſari ipſi feritatem inauditam tribuunt.

> Cæſar in arma furens nullas, niſi ſanguine fuſo
> Gaudet habere vias: . . . .
> . . . . non tam portas intrare patentes,
> Quam fregiſſe juvat: nec tam patiente colono
> Arva premi, quam ſi ferro populetur et igni.
> *Pharſ.* ii. 439.

Pariter odioſa ſunt Polynicis in Senecæ Phœniſſis.

> Pro regno velim
> Patriam, penates, conjugem flammis dare,
> Imperia pretio quolibet conſtant bene. *l.* 662.

Quam quidem ſententiam conferat aliquis cum Euripidis loco in Phœniſſis, l. 506. ſi veri poetæ ſuffragium huic præcepto requirat.

Quod ſi ad ſummum in hoc genere magiſtrum reſpiciamus, Virgilium dico, quod fuerit ipſius judicium ſatis liquet. Immanem quippe improbitatem et inaudita fere flagitiorum genera in unam Mezentii perſonam contuliſſe videtur. Aſperum effinxit, crudelem, perjurum, impium—at eundem tamen non modo fortem in præliis ac ſtrenuum, verum et interfecto filio, pietate et luctu devictum. Tantopere hic modum in omnibus vidit, et ſervari voluit; neque unquam cæco novitatis ſtudio obſequendum duxit; ſi quantum daret huic ineptæ cupiditati, tantum ab affectibus detraheretur.

Jam, de cæteris quæ ad affectus movendos conciliandoſque pertinent diſputandi poſthac locus erit. Sententiam vero iſtam ſummi Critici accuratius adhuc exploratam velim, qua caſus ejuſmodi poetis tractandos commendat, quos ſua in ſe culpa homines

contraxerint. Perſonis enim paullo ante rejectis ſingulari virtute juxta ac vitio inſignibus, pergit dicere:

Ὁ μεταξὺ ἄρα τούτων λοιπός. Ἔστι δὲ τοιοῦτος, ὁ μήτε ἀρετῇ διαφέρων, καὶ δικαιοσύνῃ, μήτε διὰ κακίαν ἢ μοχθηρίαν μεταβάλλων εἰς τὴν δυστυχίαν, ΑΛΛΑ ΔΙ' ΑΜΑΡΤΙΑΝ ΤΙΝΑ, τῶν ἐν μεγάλῃ δόξῃ ὄντων καὶ εὐτυχίᾳ. *Ariſt. Poet. κεφ. ιγ'. Ed. Winſt.*

Meminiſſe interea omnino oportebit, alia mente hunc probos egregie improboſque *ſcena* relegaſſe, alia nos eos *univerſæ poeſi* parum idoneos judicare. Hic enim quoniam probis miſerias obvenire *odioſum*, improbis contra *auditu jucundum* videtur, idcirco ut affectus Tragœdiarum proprii concitentur, in medio quodam genere verſandum edocet. Etenim hac difficultate res unice laborabat, ut ſalva juſtitiæ lege miſericordia tamen moveretur: quam ne ſic quidem penitus expeditam puto; cum niſi culpæ modum exſuperet pœna, miſericordia abſit: illud autem ne fiat, juſtitia vetet.

Profecto inter veterum Tragœdorum reliquias pauciſſimæ ſuperſunt hoc exitu fabulæ. Namque ut miſſas jam omnes faciamus, quæ vertuntur in ſceleratorum pœnas, quaſque ideo neminem miſereri contigit, vix unam et alteram inveniemus, Ajacem nimirum et Phœniſſas, aut Æſchyli Prometheum et Perſas, quæ hoc in numero ſunt habendæ. Cæterarum calamitates ex fraude aut inſidiis aut vi potentiorum, aut iniquitate temporum, aut fato denique æterno et dura neceſſitate oriuntur. Neque ullam ſane harum, quas modo memoravi, adeo ad regulam exegit ſcriptor, ut ex culpa ſola miſeriam in ſe quis trahere diſerte monſtretur.

Regulam tamen ipſam, ut quæ *optimam* non *ſo-*

lam aut neceſſariam proponat rei formam, prudentem imprimis eſſe exiſtimo et veritate comprobatam: quanquam jure aliquis mirari poſſit, luculentius multo ex Virgilio quam ex Tragœdis omnibus exemplum trahi poſſe; qui in Didonis amoribus depingendis, non modo omnia quæ exigere placuit Ariſtoteli præſtanda curavit, ſed nihil fere præteriit, quod in re luctuoſa defigere poſſet lectoris animum et ad miſericordiam pronum reddere.

PRÆLECTIO DECIMA QUINTA.

Sympathia maxime ex luctuoſis rebus oritur. Videndum igitur quibus rebus miſericordia potiſſimum moveatur. 1mo. *Si* credibilia *ſunt quæ narrantur.* 2do. *Si* coram agi *videntur. Hinc perſonæ et loci ſuis* Adjunctis *accurate deſignandi.*

QUUM in Poetica facultate amplificanda plurima et dici poſſint et ſoleant, tum non minimum videtur (quod cæteris quoque artibus contingit quæ liberæ vocantur) ut vim ſuam quam in delectando ſemel adhibuerit, eandem integram uſque teneat et intactam, neque abſumptam uſu, neque faſtidio aut ſatietate obrutam. Quod quidem in ſcientiæ et cognitionis ſtudiis aliter omnino ſe habet. Quippe veritate ſemel reperta, quando ibi tandem conſtiterit mens quo pervenire voluit, nemo veſtigia repetendo, et eandem quæ confecta eſt iterum calcando viam, iterum delectari quærit. Aliquam fortaſſe voluptatem exinde capiet, quod ea ſe tenere et noſſe ſentiat, quæ prius tanquam ardua ſuſpexerat et ignota: quæ tamen voluptas et in ſe admodum eſt brevis, et novis in dies copiis indiget atque incrementis, ne omnino pereat. Atqui in poemate quoties releguntur ea quæ pulcherrime ſunt ſcripta, toties percellitur animus admiratione; ſæpiſſimeque fit, ut feſſi negotiis aut tædio

devicti eodem noſtra ſponte revertamur, quaſi parem atque antea voluptatem haud dubie percepturi.

Quod ut in univerſa re Poetica cerni licet, ita earum præſertim eſt partium quæ ad affectus pertinent et phantaſiam. Quamobrem in hiſce permovendis plurimum optimus quiſque poſuit curæ ac laboris: quoniam hac virtute ſi penitus careat, ne imperitorum quidem aures tenere poterit.

Nonnullis interea in mentem mirari ſubiit, unde ex aliena miſeria nobis voluptatem naſci contigerit: quod hoc etiam mirabilius eſt viſum, quia ut quiſque benigno et miti ſit ingenio, ita ad has ficti doloris fabulas cupidiſſime advolet. 'Nihil eſt enim aptius' (ut Cicerone auctore utar) 'ad delectationem lec-'toris, quam temporum varietates, fortunæque vi-'ciſſitudines; quæ etſi nobis optabiles in experi-'endo non fuerunt, in legendo tamen erunt jucun-'dæ. Habet enim præteriti doloris ſecura recor-'datio delectationem. Cæteris vero nulla perfunc-'tis propria moleſtia, caſus autem alienos ſine ullo 'dolore intuentibus, etiam ipſa miſericordia eſt ju-'cunda.' *Ep.* v. 12.

Utrum vero hoc uſu veniat, an fiat diſciplina, aut temporis fallendi ſtudio, aut cæca alicujus novi cupiditate, multum ac varie diſputare ſolent philoſophi. Nobis ſat' erit, quod ita natura comparati eſſe videmur, ut alienæ calamitati opem ferre ultro velimus: et quo id magis velimus, prudenter item fuiſſe cautum, ut motu ipſo animi delectemur, qui ad hæc munera obeunda nos impellit. Jure enim aliquis vereri poſſit, ut, mera virtute ducti, et ſublata omni quæ jam intus capitur voluptate, quoties e re foret

aliis ſuccurrere vellent homines, et vitia ſordeſque, miſeriæ illas nimis finitimas, devorare.

Quamobrem ſi quis ea probe teneat, quæ in vita ad miſericordiam ſunt apta, facile eadem ad rationes artis dirigendas transferet. Primum autem eſt, ut iis quæ narrantur *habeatur fides*; quæ ſi rebus ipſis deſit, ingenio concilianda eſt et arte. Notiſſima ſunt Sinonis verba, ſummo artificio conficta, quibus futuram fraudem prætexit.

Cuncta equidem tibi, Rex, fuerint quæcunque, fatebor,
Vera, inquit: neque me Argolica de gente negabo,
Hoc primum: nec, ſi miſerum fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.
Æn. ii. 77.

Tum illa,

Vos, æterni ignes, et non violabile veſtrum
Teſtor numen, ait; vos aræ, enſeſque nefandi,
Quos fugi; vittæque Deûm, quas hoſtia geſſi:
Fas mihi Graiorum ſacrata reſolvere jura;
Fas odiſſe viros, atque omnia ferre ſub auras,
Si qua tegunt: teneor patriæ nec legibus ullis.
Tu modo promiſſis maneas, ſervataque ſerves
Troja fidem, ſi vera feram, ſi magna rependam.
Æn. ii. 154.

Quam quidem ſinceræ veritatis ſpeciem adeo tota præ ſe fert oratio, ut poetam non modo rectiſſime hac de re judicaſſe conſtet, verum et quod probaſſet, feliciter exſequi potuiſſe.

Huc itaque ſpectant plurima olim a nobis de Imitatione tradita: quo enim propius ad naturam accedere res viſa fuerit, hoc majorem haud dubie fidem obtinebit, affectuſque audientium commovebit magis. Quare haudquaquam hac in parte feſtinabit ſcriptor, ſed lentus plerumque erit et curioſus, levia

quædam ſubinde gravioribus adjiciens, quorum nulla propria eſt gratia, præterquam quod ex ipſa veritate profluere videantur; et quibus vel inde facilior adhibetur fides, quod, ni vera eſſent, nihil in ſe habeant cur dicerentur omnino.

Maxime omnium hac virtute elucet Virgilius, cujus ex ſcriptis ſufficeret fortaſſe unum illud in expugnatione Trojæ, quo univerſi generis vis quanta ſit intelligatur.

> Limen erat, cæcæque fores, et pervius uſus
> Tectorum inter ſe Priami, poſteſque relicti
> A tergo: infelix qua ſe, dum regna manebant,
> Sæpius Andromache ferre incomitata ſolebat
> Ad ſoceros, et avo puerum Aſtyanacta trahebat.
>
> *Æn.* ii. 453.

Et poſt paullo,

> Ædibus in mediis, nudoque ſub ætheris axe,
> Ingens ara fuit, *juxtaque veterrima laurus,*
> *Incumbens aræ,* atque umbra complexa Penates.
> Hic Hecuba, et natæ nequicquam altaria circum,
> Præcipites atra ceu tempeſtate columbæ,
> Condenſæ, et Divûm amplexæ ſimulacra tenebant.
>
> *Æn.* ii. 512.

Quo etiam modo rem omnem enarrat; tanquam qui ex media clade recens evaſiſſet, et quamvis id non agens, loca ac regiones longo uſu cognitas, non dedita opera, ſed conſueto cogitationum curſu ductus, inter narrandum deſcriberet.

Profecto hanc laudem Æneidi unice tribuerim, ut quodcunque narretur, huic lumen quaſi veritatis offundat: nihil ut ſit præceps, nihil nudum, nihil divolſum ac diſſitum, nihil non juſto comitatu inſtructum, et ad quod ipſa rerum ſerie tracti eſſe videamur. Quæ quidem cum placida ſit quodammodo virtus et

tranquilla, ſuoque munere ſine faſtu et ambitione fungatur, poetarum ideo minorum plerumque captum fugit; neque maximis in operibus niſi docte ſciteque inquirentibus facile apparet. Cæterorum vero licet *aciem* fallat, vi tamen ſua minime caret; eoſque occulto regit imperio, unde ortum ipſa ducat aut quo referatur ignaros.

Perlegat aliquis, ſi rem attentius intueri velit, egregiam illam Niſi Euryalique hiſtoriam; ubi exſtant certe omnia quæ ad miſericordiam movendam pertinent; at quo his partibus integra ſua vis conſtet, mira ſimul arte contexta eſt fabula: ut ſpecie veri diligenter ſervata nuſquam hæreat legentis animus, nihil unquam deſideret, nulla diſtineatur falſi ſuſpicione.

Miſſa jam facio quæ in caſtris ante diſceſſum fieri dicuntur. Itinere autem incepto quot res ſubeunt, et quam occaſioni convenientes! Sopitorum hoſtium cædes, armorum direptio, Euryali juvenilis ardor et ſpoliorum cupiditas, Lunæ radii galea repercuſſi, unde primum innoteſcit fraus, tum ad ſylvas fuga, fauces ab equitibus obſeſſæ, tela ex occulto miſſa in attonitos hoſtes et undique circumſpicientes; unde tandem efficitur, ut viva rerum effigie capti, cætera omnia excipiamus animo intento, ſimplici, benigno.

Conſimili narratione, de Hopleo ſcilicet et Dymante, Thebaidem ſuam ornari voluit Statius. [*Theb.* x. 347. *et ſeq.*] Quod ſi quis Statii lectorem pari exitu haudquaquam pariter moveri miretur, id inde evenire ſciat, quod hic aperta veritate careat fabula: non imaginibus diſtinguitur: non factis utitur apte inter ſe conjunctis, et a ſe invicem pendentibus: quæ

vero habet, ſunt ea profecto partim trita et communia, partim ultra fidem prodigioſa.

Jam vero non aliunde quærendam eſſe cauſam exiſtimo cur ad Ovidianis Metamorphoſeon libris, ferme omnes poſtquam pueri eſſe deſierint, faſtidio quodam abalienentur. Nimirum hujuſcemodi fabulis, utcunque augeatur argumenti luctus et miſeria, non modo non movemur, verum et eas ridemus ultro ut inſulſas, aut tanquam odioſas et impudentes repudiamus.

Quin ex ſpecioſis quæ vocantur Odyſſeæ ipſius miraculis, ubi triſtia ſatis narrantur fata, non admodum tamen efficiuntur lectoribus lenes hi dolores et motus pectoris; quanquam Scylla iſta et antro Polyphemi quid unquam concipi tetrius, aut quod malum hominibus accidere poſſet lugubrius.

Ὡς οἵ γ' ἀσπαίροντες ἀείροντο προτὶ πέτρας·
Αὐτῆ δ' εἰνὶ θύρῃσι κατήσθιε κεκλήγοντας,
Χεῖρας ἐμοὶ ὀρέγοντας ἐν αἰνῇ δηϊοτῆτι.
Οἴκτιστον δὴ κεῖνο ἐμοῖς ἴδον ὀφθαλμοῖσι
Πάντων, ὅσσ' ἐμόγησα, πόρες ἁλὸς ἐξερεείνων.

Od. M. 255.

Quæ tamen ne quis ea me mente protuliſſe putet, ut in his lapſum fuiſſe ſummum poetam ſignificarem; verum ut alienæ facultatis rem hic agi plane conſtaret; cujus vis et ingenium eſt penitus diverſum. Quippe illud jam olim monendum duxi, aliud omnino genus eſſe illorum quæ in corda et affectus irrepunt, aliud quo ad ſublimia et inſolita fingenda, vago curſu atque errore quodam gratiſſimo, effertur animus. Quare in id, quodcunque præcipuum ſibi propoſuerit, diligenter aciem intendat ſcriptor: memineritque ſemper, ſicubi has partes ſuſcipiat, ne temere uſquam laſciviat; ne plus æquo phantaſiæ tribuat:

adeo miſericordiam ubique antecedat oportet fides: neque enim prius lugere libet, quam quod lugeamus fuiſſe creditur. Quin huic etiam parti apprime conveniunt, quæ in cauſis agendis præcipiunt Rhetores: Effugiendam ſcilicet in narratione omnem calliditatis ſuſpicionem: nihil ut videatur fictum, nihil ſollicitum: omnia potius a cauſa, quam ab oratore profecta credantur. *Quint.* iv. 2. 6. Tum ‘ *credibilem* fore narrationem ‘ aiunt, ſi prius conſuluerimus noſtrum animum, ne ‘ quid naturæ dicamus adverſum.’ *Ibid.* ii. 3.

Poſito autem quod ad affectus commovendos potiſſimum faciat Fides, deinde videndum eſt, ut ſi quæ miſeratione digna narret aliquis, ea *coram videantur adeſſe* et in *conſpectu fieri.* Quod genus totum *Imitationis* arte contineri facile conſtat: Quam qui probe calleat, profecto ei nunquam deerit, unde exſtare poſſint res palam atque ante oculos verſari. Optime ergo hoc ſicut cætera in Sinone fecit Virgilius, ubi in ſingula fuſius excurrit, quo vivam magis exponat facti imaginem.

Jamque dies infanda aderat: mihi ſacra parari
Et ſalſæ fruges, et circum tempora vittæ.

Æn. ii. 132.

Quocunque igitur pacto res viſa erit adeſſe propius, hoc flebilior multo erit, mentemque acriore ſenſu perſtringet. Unde illa Admeti in Euripide ob mortuam uxorem mærore confecti; qui cum eandem ex inferis reducem intueretur, quænam eſſet mulier ignarus, in hæc tandem verba erumpit,

Σὺ δ', ὦ γύναι,
Ἥτις ποτ' εἶ σὺ, ταὔτ' ἔχεσ' Ἀλκήστιδι
Μορφῆς μέτρ' ἴσθι, καὶ προσήϊξαι δέμας.

Οἵ μοι· κόμιζε πρὸς θεῶν ἀπ' ὀμμάτων
Γυναῖκα τήνδε, μή μ' ἔλῃς ἠρῃμένον.
Δοκῶ γὰρ, αὐτὴν εἰσορῶν, γυναῖχ' ὁρᾷν
Ἐμήν. θολοῖ δὲ καρδίαν· ἐκ δ' ὀμμάτων
Πηγαὶ κατερρώγασιν· ὦ τλήμων ἐγὼ,
Ὡς ἄρτι πένθης τῆδε γεύομαι πικρᾶ. *Alceſt.* 1064.

Ejuſmodi fere eſt vis omnium, quæ rei *adjuncta* vocantur; quibus aſpectis, acerbiſſimi renovatur luctus memoria, et deſiderium mirifice augetur.

Ποῖ τρέψομαι;
Ἡ μὲν γὰρ ἔνδον ἐξολεῖ μ' ἐρημία,
Γυναικὸς ΕΥΝΑΣ ΟΤ' ΑΝ ΕΙΣΙΔΩ ΚΕΝΑΣ,
ΘΡΟΝΟΥΣ Τ' ΕΝ ΟΙΣΙΝ ΙΖΕ, καὶ κατὰ στέγας
Αὐχμηρὸν ὄδας· τέκνα δ' ἀμφὶ γένασι
Πίπτοντα κλαίει μητέρ'· οἱ δὲ δεσπότιν
Στένωσιν, οἵαν ἐκ δόμων ἀπώλεσαν·
Τὰ μὲν κατ' οἴκους τοιάδ'· ἔξωθεν δέ με
Γάμοι γ' ἑλῶσι Θεσσαλῶν καὶ ξύλλογοι
Γυναικοπληθεῖς· ἢ γὰρ ἐξανέξομαι
ΛΕΥΣΣΩΝ ΔΑΜΑΡΤΟΣ ΤΗΣ ΕΜΗΣ ΟΜΗΛΙΚΑΣ. *Alceſt.* 946.

Pulcherrima eſt in hoc genere et ſummo artificio efficta Talthybii de morte Polyxenæ narratio, ubi et fides narranti conciliatur, et juſto miſerrimi caſus ſpectaculo implentur oculi. Neque ulla in re egregium hunc locum perfecto excidere dixerim, niſi quod ea quibus alitur augeturque dolor, *matre audiente*, nuntius ſingula ex ordine perſequatur. Sæpiſſime autem iſto modo peccari a ſcenicis ſcriptoribus jamdudum diximus: formæque id poematis magis tribuendum videri quam ſcriptoris vitio.

Liberius hoc in argumento verſantur Epici: quibus utique nunc ipſis loqui licet, nunc rem perſonarum inter ſe colloquio permittere. Præſtantiſſimus

ſemper in utroque genere Virgilius: cujus ſi pulcherrimo uterer exemplo, totum illud de Priami cæde recitarem integrum; quod qui legit neque ipſo in conſpectu facinus patrari ſentit, eum ſane non niſi cæde ipſa commoveri poſſe exiſtimem. Quoniam vero verſus jam ore omnium feruntur, in eo peragendo tempus abſumptum nolim, quod ſua cuique præſtare poterit memoria.

Unum modo ex Iliade, quo huic parti imponatur finis, adjungere liceat—ubi id poetam plus ſolito laboraſſe opinor, ut rem miſerabilem et affectuum plenam, deſcripta prius ſcena et tantum non oculis ſubjecta, altius menti inſidere faciat.

Hoc igitur modo Achillis ad congreſſum deducit Priamum.

Γέρων δ' ἰθὺς κίεν οἴκου,
Τῇ ῥ' Ἀχιλεὺς ἵζεσκε, Διὶ φίλος· ἐν δέ μιν αὐτὸν
Εὗρ'· ἕταροι δ' ἀπάνευθε καθείατο· τῷ δὲ δύ' οἴω
Ἥρως Αὐτομέδων τε, καὶ Ἄλκιμος, ὄζος Ἄρηος,
Ποίπνυον παρεόντε· νέον δ' ἀπέληγεν ἐδωδῆς
Ἔσθων καὶ πίνων, ΕΤΙ ΚΑΙ ΠΑΡΕΚΕΙΤΟ ΤΡΑΠΕΖΑ.
Il. Ω. 471.

Tum illa omni artis lenocinio fortiora;

Χερσὶν Ἀχιλλῆος λάβε γούνατα, καὶ κύσε χεῖρας
Δεινὰς, ἀνδροφόνους, αἵ οἱ πολέας κτάνον υἷας.

Quæ vero ſequuntur acerbiſſimi doloris adeo ſinceram præ ſe ferunt imaginem, ut corda poſſint mollire vel duriſſima.

Μνῆσαι πατρὸς σοῖο, θεοῖς ἐπιείκελ' Ἀχιλλεῦ,
Τηλίκου, ὥσπερ ἐγών, ὀλοῷ ἐπὶ γήραος οὐδῷ.
. . . . . .
Ἀλλ' ἤτοι κεῖνός γε σέθεν ζώοντος ἀκούων,
Χαίρει τ' ἐν θυμῷ, ἐπί τ' ἔλπεται ἤματα πάντα
Ὄψεσθαι φίλον υἱὸν ἀπὸ Τροίηθεν ἰόντα·

Αὐτὰρ ἐγὼ πανάποτμος, ἐπεὶ τέκον υἷας ἀρίστους
Τροίῃ ἐν εὐρείῃ, τῶν δ' ἔτινά φημι λελεῖφθαι.
. . . . . .
Ἀλλ' αἰδεῖο θεὸς, Ἀχιλεῦ, αὐτόν τ' ἐλέησον,
Μνησάμενος σεῦ πατρός· ἐγὼ δ' ἐλεεινότερός περ,
Ἔτλην δ', οἷ' οὔπω τις ἐπιχθόνιος βροτὸς ἄλλος,
Ἀνδρὸς παιδοφόνοιο ποτὶ στόμα χεῖρ' ὀρέγεσθαι.

Il. Ω. 486.

Cui vero id mirum videri poterit, ſi, ferox licet fuerit huc uſque et inexorabilis, his tamen devictus precibus, ſeni quod petiiſſet concedendum ducat?

Οἰκτείρων πολιόν τε κάρη, πολιόν τε γένειον.

Egregie ſane huic loco inſunt fere omnia quæ ad affectus deliniendos pertinent, quamvis illud præ cæteris eniteat, quod et rem legentibus in conſpectu ponat ſcriptor, et ſupplex ipſe Priamus eandem ſibi ad Achillis miſerationem viam comparet. Atqui, ut cætera nunc taceam, ſummam tamen hanc virtutem præterire nequeo, quod ſine fuco et pigmentis et ſonitu inani, caſto omnia et ſimplici ſermone profluant; qualem miſeris ultro ſuppeditat natura, quando motus interni linguam vult eſſe interpretem.

Sunt qui eandem rem attingere auſi, in meros clamores abeunt: Deos homineſque conclamant: pleno ore ampliſſimiſque vocibus ſortem ſuam conqueruntur: aut ſi quando leniores modos adhibeant, tantopere in his exſultare et laſcivire ſolent, ut diſertius quam verius dolere videantur, et magis quid in tali re dici poſſit oſtendere, quam quid ipſi ſentiant dicere. Hæc autem vitia, quæ exemplis ſtatim adductis ſi per tempus liceret notarem, poſthac fortaſſe ſatius erit tractare.

PRÆLECTIO DECIMA SEXTA.

Affectus adverſæ res movent magis, ſi proſperis ſint finitimæ *—ſi* ſera nimis *adveniant bona—ſi* ad noſmet ipſos pertinere *videantur. Vitandum eſt ornatum orationis genus, aut tumidum, aut nimis ingenioſum. Hujuſmodi vitia quædam perſtringuntur in Statio, Silio, Seneca et Lucano.*

QUÆSTIONE jam accuratius habita, quibus potiſſimum modis affectus legentium permoveri poſſint, id tum demum optime effectum iri videbatur, ſi perſonæ mediæ cujuſdam virtutis fuerint, ſi nobiſcum aliquo neceſſitudinis aut conſortii jure conjunctæ, ſi denique res ita narretur, ut fidem faciat, et in conſpectu videatur fieri. His autem ita conſtitutis, (ſimul ac pauca fuerint adjecta quæ eadem quæſtione contineri video) aliquid deinceps curæ ponendum erit in eorum vitiis notandis qui miſericordiæ, cui omnino conſultum eſſe volunt, tamen pravo ineptoque rem ornandi ſtudio, maximo ſunt ipſi impedimento. Cujus quidem erroris apud imperitos ſcriptores cum multiplex ſit facies, noſtrum erit ex multis deligere quæ et cæteris uſitatiora et peſſimi videntur eſſe exempli.

Pluribus interea ſit modis, ut quæ triſtia et miſeranda acciderint inter narrandum affectus poſſint incendere vehementius, quam ſi ea ſcriptor temere at-

que inſcite proferat: nempe ubi lætam florentemque fortunam brevi immutatam, et, ſolito pictorum artificio, quæ ſunt maxime inter ſe contraria proponit adverſo quaſi lumine ſimul intuenda. Hinc miſerrima illa apud Euripidem lamenta captivæ Troades ab immoderati gaudii atque epularum deſcriptione ordiuntur.

Ἐπι δὲ πόνῳ καὶ χαρᾷ
Νύχιον ἐπὶ κνέφας παρῆν,
Λίβυς τε λωτὸς ἐκτύπει
Φρύγιά τε μέλεα· παρθένοι
Δ' ἀέριον ἀνὰ κρότον ποδῶν
Βοάν τ' ἔμελπον εὔφρον'· ἐν
Δόμοις τε παμφαὲς σέλας
Πυρὸς μέλαιναν αἴγλαν
Ἔδωκεν παρ' ὕπνῳ.
Ἐγὼ δὲ τὰν ὀρεστέραν
Τότ' ἀμφὶ μέλαθρα παρθένον,
Διὸς κόραν, Ἄρτεμιν,
Ἐμελπόμαν χοροῖσι·
Φονία δ' ἀνὰ πτόλιν
Βοὰ κατεῖχε Περγάμων
Ἕδρας· βρέφη δὲ φίλια περὶ
Πέπλοις ἔβαλε ματρὶ χεῖρας
Ἐπτοημένας· λόχου
Δ' ἐξέβαινεν Ἄρης
Κόρας ἔργα Παλλάδος.
Σφαγαὶ δ' ἀμφὶ βωμοῖσι
Φρυγῶν, ἔν τε δεμνίοις
Καρατόμος ἐρημία νεανίδων,
Στέφανον ἔφερεν Ἑλλάδι κυροτρόφῳ,
Φρυγῶν πατρίδι πένθη. *Troad.* 542.

Quod pariter non fugit Virgilium;

Nos delubra Deûm miſeri, quibus ultimus eſſet
Ille dies, feſta velamus fronde per urbem.

Æn. ii. 248.

Unde ad fœdam noctis illius cladem atque incendium ſtatim tranſitum parat.

Vertitur interea cœlum, et ruit oceano nox.

Hinc etiam pulcherrimæ illi Hypſipyles lamentationi, ſuper infantem filium morſu ſerpentis interemptum, non minima acceſſit gratia.

Modo quem digreſſa reliqui
Laſcivum, et prono vexantem gramina curſu.
Theb. v. 611.

Eodem fere ſpectat quod a Tragicis feliciter nonnunquam eſt comparatum, ut malo jam ultra remedium poſito, bonum diu expectatum tandem ſero nimis adveniat: quemadmodum eſt in Hippolyto Euripidis, itemque in Sophoclis Trachiniis, ubi innocentiæ matris certior factus eſt Hyllus, poſtquam opprobriis et falſo crimine adacta ſibi ipſa mortem conſciviſſet.

Nihil autem acrius nos tangit aut in mentem deſcendit altius, quam ſi dolentis miſeriam ad noſmet, ſimilitudine aliqua ducti, ipſi ultro referamus. Domi enim ſitus eſt verus doloris et lacrymarum fons. Hinc ad alienos caſus miſerandos certiſſimum eſt iter. Neque in aliorum infortuniis quidquam homines magnopere movet, niſi quod ipſi aut perpeſſi fuerint, aut ægre effugerint, aut poſthac ſe pati poſſe credant.

Quamobrem apud ſummos Poetas nihil hoc frequentius. Ita enim Homerus in Priami nece apud Achillem jampridem recitata,

Αὐτόν τ' ἐλέησον,
Μνησάμενος σεῦ πατρός. *Il.* Ω. 504.

Itidemque Virgilius,

Fuit et tibi talis
Anchiſes genitor. Dauni miſerere ſenectæ.
Æn. xii. 933.

Et dulciſſimum illud Statii,

> Si cui forte domi natorum gaudia, ſi quis
> Hic pater, anguſti puero date pulveris hauſtus,
> Exiguamque facem. *Theb.* x. 426.

Quo etiam in genere habenda eſt egregia Medeæ oratio in Argonauticis Apollonii, ubi ad Aretes Reginæ genua provoluta perfugium ſupplex orat, et veniam, ſi quid humanitus peccaſſet, ab illa dandam quæ et ipſa homo eſſet.

> Γυνὸμαι, βασίλεια· σὺ δ' ἵλαθι, μηδέ με Κόλχοις
> Ἐκδώῃς ᾧ πατρὶ κομιζέμεν· εἴ νυ καὶ αὐτὴ
> Ἀνθρώπων γενεῆς μία φέρβεαι, οἵσιν ἐς ἄτην
> Ὠκύτατος κέφαισι θέει νόος ἀμπλακίῃσιν.
>
> *Apoll.* iv. 1014.

Huc porro referri poſſent exempla bene multa ex nobiliſſimis Thucydidis Liviique orationibus: ſicut notiſſimum illud Annibalis ad Scipionem, ‘*Quod ego fui* ‘*ad Traſimenum, ad Cannas, id tu hodie es.*’ Quas quidem orationes, ut cæteras nunc taceam earum virtutes omni laude dignas, vel hac de cauſa etiam atque etiam a juventute perdiſcendas velim, quod in quaque re magnam ſententiarum vim et copiam effundant, ex intimis humani pectoris penetralibus deductam.

Jam, ut alterum illud paullo diligentius perſequamur, quod in Priami ſupplicatione elucere jampridem dixi, nihil huic generi eſt accommodatius, quam ut ſermone utatur ſcriptor ſimplici et ſincero; caputque id eſſe artis intelligat, ut nuſquam ars appareat. ‘Commoveaturne quiſquam,’ ait optimus ille Romanæ eloquentiæ vindex, ‘ejus fortuna, quem tumi‘dum ac ſui jactantem et ambitioſum inſtitorem elo‘quentiæ in ancipiti ſorte videat?’ *Quint. Inſt.* ii. 1.

Quare ſi quando has partes tueri velit poeta, ponenda eſt omnis et in re et in verbis luxuria. Nihil videatur elaboratum, nihil exquiſitum, nihil aut ad laudem ſpectans aut ad voluptatem. Neque enim cuiquam in mentem venit putare, eum ſerio dolere cui diſerto eſſe vacat. Et quanquam perſonarum dignitatis haud dubie habenda eſt ratio, attamen maxime vis doloris cernitur in æquandis conditionibus; et in afflictis rebus ad ea ſe recipit mens vel potentiſſimorum quæ latiſſime patent, parentis dico aut liberorum amorem, et amicitiæ ſolamen, et communes domeſticæ vitæ delicias.

Unice hoc ſibi propoſitum habuiſſe videtur Euripides in dulciſſima oratione, qua enixe patrem orat Iphigenia, ne ipſam virginem innocuam et immerendem cædat.

Εἰ μὲν τὸν Ὀρφέως εἶχον, ὦ πάτερ, λόγον,
Πείθειν ἐπᾴδων', ὥσθ' ὁμαρτεῖν μοι πέτρας,
Κηλεῖν τε τοῖς λόγοισιν, ὃς ἐβουλόμην,
Ἐνταῦθ' ἂν ἦλθον· νῦν δὲ τἀπ' ἐμοῦ σοφὰ
Δάκρυα παρέξω· ταῦτα γὰρ δυναίμεθα.
Ἱκετηρίαν δὲ γόνασιν ἐξάπτω σέθεν
Τὸ σῶμα τὸμὸν, ὅπερ ἔτικτεν ἥδε σοι.
Μή μ' ἀπολέσῃς ἄωρον· ἡδὺ γὰρ τὸ φῶς
Βλέπειν· τὰ δ' ὑπὸ γῆς μή μ' ἰδεῖν ἀναγκάσῃς.
Πρώτη σ' ἐκάλεσα πατέρα, καὶ σὺ παῖδ' ἐμέ.
Πρώτη δὲ, γόνασι σοῖσι σῶμα δοῦσ' ἐμὸν,
Φίλας χάριτας ἔδωκα, κἀντεδεξάμην.
Λόγος δ' ὁ μὲν σὸς ἦν ὅδ'· ἆρά σ', ὦ τέκνον,
Εὐδαίμονος ἀνδρὸς ἐν δόμοισιν ὄψομαι
Ζῶσάν τε, καὶ θάλλουσαν ἀξίως ἐμοῦ;
Οὑμὸς δ' ὅδ' ἦν αὖ, περὶ σὸν ἐξαρτωμένης
Γένειον, ἃ νῦν ἀντιλάζομαι χερί·
Τί δ' ἆρ' ἐγώ σε πρέσβυν; ἆρ' εἰσδέξομαι

Ἐμῶν φίλαισιν ὑποδοχαῖς δόμων, πάτερ,
Πόνων τιθηνὲς ἀποδιδοῦσά σοι τροφάς;
Τούτων ἐγὼ μὲν τῶν λόγων μνήμην ἔχω,
Σὺ δ' ἐπιλέλησαι, καί μ' ἀποκτεῖναι θέλεις.

Iph. Aul. 1211.

Par fere eſt virtus eorum apud Sophoclem, quanquam in re longe diverſa, quibus Neoptolemi mentem flectere conatur Philoctetes, nimirum ut ſibi navem liceat conſcendere jam litore abeuntem.

Πρὸς νῦν σε πατρὸς, πρός τε μητρὸς, ὦ τέκνον,
Πρός τ' εἴ τι σοι κατ' οἶκόν ἐστι προσφιλὲς,
Ἱκέτης ἱκνοῦμαι, μὴ λίπῃς μ' οὕτω μόνον
Ἔρημον ἐν κακοῖσι τοῖσδ', οἷοις ὁρᾷς,
Ὅσοισί τ' ἐξήκουσας ἐνναίοντά με·
Ἀλλ' ἐν παρέργῳ θοῦ με· δυσχέρεια μὲν,
Ἔξοιδα, πολλὴ τῆδε τῇ φορήματος·
Ὅμως δὲ τλῆθι· τοῖσι γενναίοισί τοι
Τό τ' αἰσχρὸν ἐχθρὸν, καὶ τὸ χρηστὸν εὐκλεές.
Σοὶ δ', ἐκλιπόντι τοῦτ', ὄνειδος ἐς καλόν·
Δράσαντι δ', ὦ παῖ, πλεῖστον εὐκλείας γέρας,
Ἐὰν μόλω 'γὼ ζῶν πρὸς Οἰταίαν χθόνα·
Ἴσθ'· ἡμέρας τοι μόχθος ἐχ ὅλης μιᾶς.
Τόλμησον, ἐμβαλοῦ μ' ὅπῃ θέλεις ἄγων,
Ἐς ἀντλίαν, ἐς πρῷραν, ἐς πρύμναν, ὅποι
Ἥκιστα μέλλω τοὺς ξυνόντας ἀλγυνεῖν.
Νεῦσον, πρὸς αὐτῆ Ζηνὸς ἱκεσίᾳ, τέκνον,
Πείσθητι· προσπιτνῶ σε γόνασι, καίπερ ὢν
Ἀκράτωρ, ὁ τλήμων, χωλός· ἀλλὰ μή μ' ἀφῇς
Ἔρημον οὕτω χωρὶς ἀνθρώπων στίβου.

Soph. Philoct. 473.

Nihil hic, modo attentius quis advertat animum, niſi nuda et inornata veritas. Verba ſunt propria, recta, communia, nulla arte ad captandas aures diſpoſita. Sententiis itidem orantis nihil ineſt ſubtilitatis aut elegantiæ; nihil niſi quod in tali re ſe quiſque dictu-

rum fuiſſe ſentiat. Atqui ex hac materia, cuilibet uti videtur ad manus poſita, quantum efficitur ad delectandos legentium ſenſus et penitus movendos! Quippe ipſa ſe omnino ſuſtinet argumenti vis et dignitas—aliena ope non indiget—neque tam ingenium ſcriptoris poſtulat, quam prudentiam et fidem.

Quinetiam extremo fortunæ diſcrimini prorſus convenit, ut quæ vulgo trita habentur et communia, modo ad rem præſentem faciant, homines nequaquam averſentur. Hoc utique in temporis articulo, ut graviſſimis ſummi hiſtorici verbis utar, ἄνθρωποι ἐ πρὸς τὸ δοκεῖν τινὶ ἀρχαιολογεῖν φυλαξάμενοι . . . . τὰ ἐς γυναῖκας καὶ παῖδας καὶ θεὸς πατρῴας προφερόμενα . . . . ἐπὶ τῇ παρέσῃ ἐκπλήξει ὠφέλιμα νομίζοντες ἐπιβοῶνται. *Thuc.* vii. 69.

Unde etiam Hectoris Homerici verba ad exercitum, obſoleta illa quidem ut nonnulli fortaſſe volunt et pervagata, mihi certe videntur incredibilem quendam ardorem incendere potuiſſe.

Ἀλλὰ μάχεσθ' ἐπὶ νηυσὶν ἀολλέες· ὃς δέ κεν ὑμέων
Βλήμενος, ἠὲ τυπεὶς, θάνατον καὶ πότμον ἐπίσπῃ,
Τεθνάτω· ἕ οἱ ἀεικὲς ἀμυνομένῳ περὶ πάτρης
Τεθνάμεν· ἀλλ' ἄλοχός τε σόη καὶ παῖδες ὀπίσσω,
Καὶ οἶκος, καὶ κλῆρος ἀκήρατος, εἴ κεν Ἀχαιοὶ
Οἴχωνται σὺν νηυσὶ φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν. *Il.* O. 494.

Jam vero, ut ex utraque parte muniatur hæc quam tuemur diſciplina, pauca libet ex Senecæ Tragœdia adferre, ubi rem lacrymabilem imprimis et luctuoſam ambitioſe nimis exſequendo, bilem potius legentis movit quam dolorem. Matrem enim Andromachen, cujus ex amplexu vi rapitur Aſtyanax ad deſtinatam cædem, filium ſuum infantem atque unicum ita fecit alloqui.

O dulce pignus! O decus lapſæ domus!
. . . . . .
Iliaca non tu ſceptra regali potens
Geſtabis aula; jura nec populis dabis,
Victaſque gentes ſub tuum mittes jugum;
Non Graia cædes terga, non Pyrrhum trahes;
Non arma tenera parva tractabis manu,
Sparſaſque paſſim ſaltibus latis feras
Audax ſequêris: nec ſtato luſtri die
Solenne referens Troici luſus ſacrum,
Puer citatas nobilis turmas ages:
Non inter aras mobili velox pede,
Revocante flexo concitos cornu modos,
Barbarica priſco templa ſaltatu coles. *Troad. 766.*

His autem perlectis Euripidem in eadem re adeamus, cui profecto, ut qui exſultare atque in longinqua excurrere amet minus, propriiſque ſe naturæ finibus contineat, aditus idcirco ad cor patet apertior multo et facilior.

Ὦ παῖ, δακρύεις; αἰσθάνῃ κακῶν σέθεν;
Τί μ᾽ ἕδραξαι χερσὶ, κἀντέχῃ πέπλων,
Νεοσσὸς ὡσεὶ πτέρυγας εἰσπιτνῶν ἐμάς;
. . . . . .
Ὦ νέον ὑπαγκάλισμα μητρὶ φίλτατον.
Ὦ χρωτὸς ἡδὺ πνεῦμα· διακενῆς ἄρα
Ἐν σπαργάνοις σε μαστὸς ἐξέθρεψ᾽ ὅδε.
Μάτην δ᾽ ἐμόχθην, καὶ κατεξάνθην πόνοις.
Νῦν, εἴ ποτ᾽ αὖθις, μητέρ᾽ ἀσπάζῃ σέθεν,
Πρόσπιπτε τὴν τεκοῦσαν· ἀμφὶ δ᾽ ὠλένας
Ἕλισσ᾽ ἐμοῖς νώτοισι, καὶ στόμ᾽ ἅρμοσον.
Ὦ βάρβαρ᾽ ἐξευρόντες Ἕλληνες κακὰ,
Τί τόνδε παῖδα κτείνετ᾽ οὐδὲν αἴτιον; *Troad. 744.*

Quod ſi quis diſertius adhuc requirat ſtultitiæ illius exemplum, quæ tumido ore et vano ſonitu verborum affectus obſtrepit, Thyeſtæas illas preces perlegat

quas poſt horrendam dapem iræ et doloris impotens effundit pater.

Cluſa littoribus vagis
Audite maria: vos quoque audite hoc ſcelus,
Quocunque Dii fugiſtis: audite Inferi.
Audite terra. Noxque Tartarea gravis
Et atra nube, vocibus noſtris vaca.
Tibi ſum relictus: ſola tu miſerum vides,
Tu quoque ſine aſtris.

Deinde conſueto more pergit Jovem ſupremum obſecrare, ut ‘nubibus totum horridis convolvat mundum, bella ventorum undique committat, et omni parte violentum intonet.’ Pariter declamatorem agit in Deianiræ lamentis ob maritum ſua opera interfectum. Recte quidem in ſe omnem facinoris culpam convertit; at quam immota ad has voces haberemus pectora!

Scelera quæ quiſque auſus eſt
Hic vicit error. Juno non auſa Herculem eſt
Eripere terris: horridam pœnam para.
Siſyphia cervix ceſſet, et noſtros lapis
Impellat humeros: me vagus fugiat latex,
Meamque fallax unda deludat ſitim.
Merui manus præbere turbinibus tuis,
Quæcunque regem Theſſalum torques, rota.
Effodiat avidus hinc et hinc vultur fibras.
Vacat una Danaïs; has ego explebo vices.

Quæ porro clamitandi vena per triginta adhuc verſus excurrit.

Multa interea ſunt imperitorum vitia, præter ſtolidum hunc atque importunum clamorem, a quibus poetam cavere oportebit, ſi molliri animum velit lectoris, et duræ alicujus ſortis miſeratione ſerio teneri. Nempe imprimis videndum erit ne quid cæteris ad-

miſceatur quod facile in ridiculum trahi poſſit; quo nihil his affectibus obſtabit magis aut animo diutius hærebit: ut hoc ſemel admiſſo fruſtra eum ad res graves et ſerias revocaveris. Ex hoc autem genere allata ſunt olim quædam Lucani in præliorum deſcriptionibus; quale etiam eſt illud Italici de tubicine quodam, quum tuba ſignum caneret, mortali vulnere confecto.

Hæſit barbaricum ſub anhelo gutture telum,
Et clauſit raucum letali vulnere murmur.
At ſonus, extremo morientis fuſus ab ore,
Flexa pererravit mutis jam cornua labris.

Pun. iv. 171.

Ad quem prope accedit Ovidius, quando in luctuoſiſſima fabula linguam Philomelæ ferro exſectam his proſequitur ineptiis.

Radix micat ultima linguæ:
Ipſa jacet: terræque tremens immurmurat atræ.
Utque ſalire ſolet mutilatæ cauda colubræ,
Palpitat, et moriens dominæ veſtigia quærit.

Met. vi. 557.

Simili vitio pulcherrimum Thebaidos ſuæ locum inquinavit Statius. His enim verſibus abſentem matrem adpellat juvenis inter arma moriens;

Et jam pone metus: fruſtra de colle Lycæi
Anxia proſpectas, ſi quis per nubila longe
Aut ſonus, aut noſtro ſublatus ab agmine pulvis.
Frigidus in nuda jaceo tellure, nec uſquam
Tu prope, quæ vultus efflantiaque ora teneres.

Quibus ſtatim adjungitur quod totam loci vim corrumpit penitus et ad riſum convertit.

Hunc tamen, orba parens, crinem (dextraque ſecandum
Præbuit) hunc toto capies pro corpore crinem,
Comere quem fruſtra me dedignante ſolebas.

Theb. ix. 895.

Eſt autem non abſimile ineptiarum genus, quando ultra modum ac pudorem res augetur, unde audaciam narrantis mirari potius ſubit, quam quæ narrat miſereri. Cujuſmodi eſt portentum illud Senecæ in Hercule Furente,

Pavefactus infans igneo vultu patris
Perit ante vulnus: ſpiritum eripuit timor.

Et rurſus in Œdipo,

Deeſt terra tumulis: jam rogos ſylvæ negant.
ver. 53.

Et Statii illa quæ pro flebilibus prodigioſa reddidit.

Ibant in lacrymas, veluti cum vere reverſo
Biſtoniæ tepuere nives, ſummittitur ingens
Hæmus, et anguſtos Rhodope diſcendit in amnes.
Theb. xi. 193.

Minore forſan in culpa at fugiendum omnino vitium eſt illorum, qui putido quodam ornatu et puerili peccant; et dum ingenii laudem aucupantur, naturam deſerunt. Quod tum quidem fit, quando aut ſententiæ affectatam præ ſe ferunt mollitiem—aut oratione utuntur delicata, et nimiæ ſubtilitatis—aut ubi verba vel res quaſi dedita opera ſibi invicem reſpondent.

Quale eſt carmen illud Italici,

Effudit lacrymas pariter cornumque ſonantem.
Punic. xiii. 235.

et Statii de adoleſcente interfecto,

Morienſque jacentem
Flebat equum. *Theb.* ix. 878.

et quæ matri rurſus ſuper infantem mortuum ploranti tribuit,

Et ubera parvo
Jam materna dabam; cui nunc venit irritus ori
Lactis, et *infelix in vulnera liquitur imber.*
Theb. v. 617.

Pariter argutatur Œdipus in Senecæ Phœniſſis.

Cuncta ſors mihi infeſta abſtulit:
Lacrymæ ſupererant: has quoque eripuit mihi.
l. 239.

Quo quidem in genere ſæpiſſime offendit Lucanus: ſemel autem in his lapſus videtur Virgilius.

Ad cœlum tendens ardentia lumina fruſtra;
Lumina; nam teneras arcebant vincula palmas.
Æn. ii. 406.

Frequens etiam eſt in hoc vitio Ovidius: ut in Hecubæ lamentatione propter Polyxenam interfectam,

Nata jaces: videoque *tuum, mea vulnera, pectus.*

Quem etiam ad modum apud Senecam Andromache moribundum filium alloquitur:

Oſcula, et fletus, puer,
Laceroſque crines excipe, et plenus mei
Occurre patri. *Troad.* 799.

Quibus denique adjiciantur Œdipi ad filiam verba, utpote vitiis ferme omnibus referta, quæ in tali re ſcriptorem omnino fugere oportebit.

Nil grave aut miſerum eſt mihi,
Quod te ſciam voluiſſe: tu tantum impera.
Hic Œdipus Ægæa tranabit freta,
Jubente te; *flammaſque,* quas Siculo vomit
De monte tellus igneos volvens globos,
Excipiet ore; ſeque ſerpenti offeret,
Quæ ſæva furto nemoris Herculeo furit;
Jubente te præbebit alitibus jecur,
Jubente te *vel vivet.* *Phœniſſ.* 311.

Tantum aliquando curæ abſumit artifex in ſuo opere corrumpendo! cum ſi domeſticis uti copiis voluiſſet, et quæ ſponte naſci contigiſſet, ea potius arte quadam premere et informare quam longinqua atque inſolita venari, et plus certe laudis adipiſci potuiſſet, et laboris minus.

Diutius ſane in hiſce ineptiis exagitandis ſum verſatus, quam in re tam aperta opus fortaſſe fuerit, aut quam ipſe mecum ab initio conſtitueram. Reſtant tamen adhuc nonnulla hac in parte dicenda, quæ ſeorſum ſumi præſtabit: quoniam neque totam eorum doctrinam jam aures veſtræ patientur, neque ita in arctum concludi poterunt, ut vis ſua et auctoritas ſervetur integra.

In poetis autem laudandis, quanquam ex Senecæ, ut vocantur, tragœdiis vitiorum exempla petere præſertim placuit, nequeo tamen illorum in ſententiam ire, qui librum hunc omnino a juniorum ſtudiis abigendum putant; cum in fabulis quibuſdam, in Medea præcipue et in Hercule Furente, ſpiritus quidam ſit et ſonus vere poeticus. A felici illo Graiorum ingenio plurimum certe abeſt: naturam neque noſſe penitus videtur, nec ſequi velle; et ſublimia ſemper captans, quicquid præſto adfuerit pro vili habuiſſe: at ſententias non raro graves nobileſque effundit, verborum idem pondere et majeſtate carminis ſpectabilis. In hac vero poetici muneris parte, quam modo tractavimus, profecit parum: quod eo turpius ducendum, cum Euripidem præ ſe fere unicum quem imitaretur plane poſuerit, quo nemo pectoris humani motus atque omnem affectuum rationem magis perſpectam habuit, aut quo pacto moveri poſſent ac leniri monſtravit melius.

Euripidem tamen ipſum, quanquam in leni et flexanimo illo ſcribendi genere Tragicos omnes haud dubie ſuperavit, culpa tamen non ſemper vacare conſtabit, quando ad reliqua exponenda ventum erit quæ affectuum horum vim reſtinguere ac morari ſolent.

PRÆLECTIO DECIMA SEPTIMA.

Notantur vitia Scriptorum quæ Affectus impedire ſolent; viz. 1mo. *Virtutis ſpecies fide omni major.* 2do. *Nuda nimis et ſordida miſeriæ deſcriptio.* 3tio. *Fœdum admodum aut atrox aut deforme ſpectaculum.* 4to. *Dolentis improbitas,—aut impietas.*

DE vitiis quibuſdam male ſcribentium hodie dicturus, quæ affectus languere faciunt atque a miſericordia recedere, ab eo ordiendum duxi, quod cum prius dictis cohæret optime, et in eodem fere genere ſcriptorum cernitur. Illud enim poetæ cavendum jam pridem dixi, primum ne verbis aut imaginibus luxuriet nimis; deinde, ne quid ridiculi adhibeat, aut quod facile in ridiculum trahi poſſit; poſtremo ne aſtutias illas Ovidianas captet, neve ita res rebus aut verbis verba reſpondeant, ut ingenii ſui potius præconem agere videatur, quam naturæ interpretem.

His igitur finitimum eſt præceptum, quod curioſam nimis etiam in virtute referenda ſubtilitatem vetat. Eſt profecto importunum quoddam Scriptorum genus, quod in noſtris temporibus admodum viguit, et in deliciis vulgo a ſemidocta plebecula habetur, qui mores hominum, præſertim miſerorum, adeo delicata manu adumbrant, ut nativus ille virtutis ſuccus et color omnino abſit; cujus in locum

ægra aliqua et putida ſupponitur virtutis effigies, non præceptis formata, non uſu exculta, non hominum inter ſe commercio idonea, ſed quæ ferme lacrymis ſuſpiriiſque veſci ſolet, et in ſua aliorumque miſeria lugenda ætatem conterit. Quæ quidem ineptiæ, veteribus fere ignotæ, (niſi Ovidii quaſdam elegias huic culpæ obnoxias eſſe ſtatuamus,) recentiorum tamen aliquot exemplo factum eſt, ut in pretio habeantur—præſertim ſi dulcedine quadam, ut fit, et flumine carminis eas commendari contigerit. De iis autem, quibus præſto adſunt melioris ævi exempla, vix videtur metuendum ne hiſce nugis temere ſe capi patiantur.

Incidit porro huic generi interdum, ut veræ virtutis augendæ ſtudio correpti, quo rem reddant flebiliorem, modum omnem ac fidem ſuperent. Sicuti in Thebaide ubi, interfecti comitis corpus inhumatum ab hoſtibus relinqui videns, enixe rogat Dymas ut ſe in ejus loco feris laniandum permittant.

> Ego infandas potior ſatiare volucres;
> Me præbete feris: ego bella audere coëgi.
>
> *Theb.* x. 429.

Quod a Virgiliano illo,

> Me, me, adſum qui feci, in me convertite ferrum,

quis non deſumptum videt? Atqui Virgilius, præ ſolito in his rebus judicio, nequaquam juſtos naturæ fines egreditur; cum Niſo iſta tribuat amicum nondum interfectum liberandi ſpe ducto:—ille alter, dum quod alieni fuit juris, addendo ſcilicet aliquid, ſuum cupit reddere, corrumpit totum.

Proximum huic vitio notaverim vitium illorum qui ut veritatem ipſam tueantur integram, res ad-

ferunt turpes ſordidaſque, et quales, ſi in vita occurrant, adeo non lubens ſpectat aliquis, ut faſtidio quodam motus averſetur potius, et miſericordiæ obtemperare minus velit. Nihil profecto ſæpius queri ſolent homines, quam affectus benignos et miſericordes quos inter meditandum conceperint, eoſdem in agendo remiſſos fieri: ſæpiſſimeque fit, ut quorum mentes tacita hac voluptate perfundantur ex fictis narratiſque doloribus nata, quando ad rem ventum ſit et in arenam vitæ, ut ita dicam, deſcendatur, a ſqualore et ſordibus paupertatis protinus refugiant. Quod, cum in moribus conformandis graviſſimi præcepti vim habet, ne vana benevolentiæ ſpecie fallamur, tum inſigni quoque in artibus tractandis documento eſſe debet, ne fabula in veritatem vitæ nimis deſcendat, atque ea ultro proferat, quorum, ſint licet miſeranda, at non niſi odio quodam affecti miſeremur.

Hoc autem nomine pauca fortaſſe aliquis immutari mallet in Philocteta Sophoclis, ubi vulneris curationem paullo fidelius exſequitur poeta: at peccati ejuſdem potiore jure arguitur Euripides, qui tantopere in fabulis miſerrimæ abjectæque fortunæ veritatem coluit, ut a criticis quibuſdam ſui temporis πτωχοποιὸς appellaretur. Ex iis vero quæ nunc exſtant fabulis, maxime ſic delictum eſt in Hecuba et Troadibus; quibus in utriſque deſcribitur regina dignitate expers, pannis, ut ait Comicus, anniſque obſita, luctu, dolore, ſenectute fracta, atque etiam corpore in terra provoluto. Profecto iſta quum lego,

Δύστηνος ἐγὼ τῆς βαρυδαίμονος
Ἄρθρων κλίσιος, ὡς διάκειμαι,

Νῦν τ' ἐν στερῥοῖς λέκτροισι ταθεῖς.
Οἴ μοι κεφαλῆς, οἴ μοι κροτάφων,
Πλευρῶν θ', ὡς μοι πόθος εἰλίξαι,
Καὶ διαδῆναι νῶτον, ἄκανθαν
Τ', εἰς ἀμφοτέρας τοίχας μελέων. *Eur. Troad.* 112.

et in Hecuba his ſimilia,

Αὕτη δὲ, δύλη, γραῦς, ἄπαις, ἐπὶ χθονὶ
Κεῖται, κόνει φύρσα δύστηνον κάρα. *Hecub.* 495.

vix mihi credibile videtur ſine auditorum faſtidio rem in ſcena agi potuiſſe. Etiam illa Homeri de Priamo,

Παῖδες μὲν πατέρ' ἄμφι καθήμενοι ἔνδοθεν αὐλῆς,
Δάκρυσιν εἵματ' ἔφυρον· ὁ δ' ἐν μέσσοισι γεραιὸς
Ἐντυπὰς ἐν χλαίνῃ κεκαλυμμένος, ἀμφὶ δὲ πολλὴ
Κόπρος ἔην κεφαλῇ τε καὶ αὐχένι τοῖο γέροντος,
Τήν ῥα κυλινδόμενος καταμήσατο χερσὶν ἑῇσι. *Il.* Ω. 161.

rudi potius ævo condonanda cenſemus, quam quæ in admirationem aut exemplum poſteris trahi mereantur. Neque enim ſatis eſt dixiſſe *hæc naturæ rerum convenire*; cum id ſit poetæ munus, non quicquid revera fit imitari, ſed quæ ad propoſitum artis ſuæ finem ſpectant deligere. Quo in munere obeundo ſi diligenter ſe continere curæ erit, multa ſane omni miſeratione digna inveniet, quæ in umbram quaſi ac receſſum rejicere præſtabit, ut rem auditores conjectura aſſequi poſſint, non nudam atque apertam mentis acie explorare.

Tanti autem eſſe judico in hac re ſummi ac diſertiſſimi viri auctoritatem, quem non multis abhinc annis morte abreptum reſpublica noſtra doluit, ut verba ferme ipſa orationis quam olim in frequenti ſenatu habuit, modo latine verſa, apud vos recitandi veniam fidenter petam. Poſtquam enim ex rebus

Indicis male adminiſtratis bellum ſceleratiſſimum iſta regione exarſiſſe dixerat, quo bello flagrante gens mitis et innocua oppreſſa malis ac propemodum exſtincta jacuiſſet; mox bellicos furores horrendam inſuper ac fere inauditam famem inſecutam eſſe monſtravit. Quam quidem calamitatem cum, ſuo more, ampliſſimo ſermone et variis eloquentiæ luminibus diſtinctam expoſuiſſet, hunc tandem in modum orationis curſum inhibuiſſe fertur.

'Cogitabam equidem quo afflicti hujus populi 'calamitates magis vos moverent, aliqua ex peſte 'communi deligere, quæ tanquam miſerrimæ illius 'fortunæ exemplum attente inſpiceretis. Quippe 'ex malis omnibus quæ in vitam hominum incidere 'ſolent, hoc proculdubio maxime ſenſum attingit 'humanum: neque eſt cujuſquam tam indomita 'ſuperbia, quin hoc eum quam ſit natura debile 'atque infirmum fateri cogat. Atqui, ut verum 'fatear, rem ipſam honeſte tractare nequeo. Tanta 'eſt et tam fœda hujuſmodi malorum deformitas; 'adeo tetra fuere in patiendo, adeo in dicendo tur-'pia; tantopere ipſam hominis naturam a propria 'ſede pellere ac detrudere videntur, ut rem omnem 'pallio quaſi coopertam eſſe mallem, et quod ipſe 'lingua efferre non audeo, vos tacita modo mente 'cogitare[a].'

[a] Vide ipſa Burkii verba in oratione quæ inſcribitur, 'On the 'Nabob of Arcot's Debts.'

I was going to awake your juſtice towards this unhappy part of our fellow citizens, by bringing before you ſome of the circumſtances of this plague of hunger. Of all the calamities which beſet and waylay the life of man, this comes the neareſt to our heart, and is that wherein the proudeſt of us all feels himſelf to

Atque hæc ille quidem cauſam agens in Senatu, et in veris calamitatibus verſatus. Nos prudentiam eandem ficto in dolore non ſervabimus?

Hinc autem ad aliud præceptum facillime tranſitur, quod oratoribus pariter tradit Ariſtoteles, nempe ut res nimiæ atrocitatis plenas evitent, quæ *ſtupore* potius afficiunt auditores quam *miſericordes* reddunt. Diſſimiles nimirum eſſe hos animi motus bene admonet Philoſophus, et genere ipſo ita diverſos, ut alter alterius vim non raro reſtinguat; et quæ fabula inchoata modo lacrymas ciere poſſet, eadem longius progreſſa durum auditorem efficiat, et a miſericordia averſum. Quod quidem tum potiſſimum fiet, ſi ſpectaculum non modo atrox proferatur, verum et fœdum aliquod tetrumque in ſe contineat. Cujuſmodi eſt illud Italici in prælii deſcriptione ſatis alias luctuoſis rebus inſtructa,

Ore cruento
Pugnatum, ferrique vicem dens præbuit iræ.

Huc uſque forſan tolerari poſſet; ſed ingenii, ut videtur, flumen cohibere nolens, odioſa hæc carmina ſubjungit.

Jam laceræ nares fœdataque lumina morſu,
Jam truncum raptis caput auribus, ipſaque diris
Frons depaſta modis et ſanguine abundat hiatus:

be nothing more than he is: but I find myſelf unable to manage it with decorum: theſe details are of a ſpecies of horror ſo nauſeous and diſguſting; they are ſo degrading to the ſufferers and to the hearers; they are ſo humiliating to human nature itſelf, that, on better thoughts, I find it more adviſeable to throw a pall over this hideous object, and to leave it to your general conceptions. p. 293. 8vo.

Nec ſatias, donec mandentia linqueret ora
Spiritus, et plenos rictus mors atra teneret.
Sil. vi. 47.

Quin Sophocli ipſi nemo, opinor, non vitio vertit, quod in ſcenam prodire faciat Œdipum oculis nuperrime avulſis, os gerentem lacerum fœde et cruentatum. Etiam nuncium illum dum ſingula ordine enarrat, quo ſcilicet modo dirum facinus patratum eſſet, quis æquis auribus aut mente ad miſericordiam inclinata accipit? at ſimul ac δεινὸν illud ἀδ' ἀκουσὸν ἀδ' ἐπόψιμον ante oculos ſe ſiſtit, profecto ita chorum exclamare mirum non eſt,

Ἀλλ' ἀδ' ἐσιδεῖν
Δύναμαί σ' ἐθέλων πόλλ' ἀνερέσθαι,
Πολλὰ πυθέσθαι, πολλὰ δ' ἀθρῆσαι·
Τοίαν φρίκην παρέχεις μοι. *Œd. Tyr.* 1303.

Par ferme res agitur, quanquam *haud pari in culpa* habenda eſt, in Euripide, qui Polymeſtora oculis miſere orbatum in ſcena ſpectandum præbet. Hoc enim non eo animo factum ſatis conſtat, ut miſericordia moveamur, verum ut juſtis ſcelerum pœnis impleantur oculi; quum in Sophocle, Œdipi in ſcenam introitum παθήτικον fore affirmat nuncius, et corda ſpectantium molliturum.

Θέαμα δ' εἰσόψει τάχα
Τοιοῦτον, οἷον καὶ στυγοῦντ' ἐποικτίσαι. *Œd. Tyr.* 1295.

Complura in eodem genere ex tragœdiis Latinis, Thyeſte præſertim atque Œdipo, decerpi poſſent, niſi jam ſatis illud comprobatum putarem, plane rem aliam eſſe fletum movere, aliam audientibus horrorem incutere: quamquam imperitos ſcriptores, nullo hujuſmodi diſcrimine habito, a propoſito ſuo aberrare paſſim cernitur.

Interea ad Ariſtotelis argumentum confirmandum, quo affectus hoſce inter ſe oppoſitos eſſe ſtatuit, et τὸ δεινὸν illud ſæpe adverſario prodeſſe, maxima ex Romani philoſophi ſcriptis auctoritas accedit, unde huic loco finem tandem impoſitum velim. His enim verbis Seneca de Iræ incommodis copioſe tractans, Lyſimachi regis ſævitiam ac feritatem pœne incredibilem narrat.

'Teleſphorum, ait, Rhodium amicum ſuum undique decurtatum, cum aures illi naſumque abſciderent, in cavea velut novum animal aliquod et inuſitatum diu pavit: cum oris detruncati mutilatique deformitas humanam faciem perdidiſſet. Accedebat fames et ſqualor et illuvies corporis, in ſtercore ſuo deſtituti: calloſis ſuper hæc genibus manibuſque, quas in uſum pedum anguſtiæ loci cogebant, lateribus vero attritu exulceratis, non minus fœda quam terribilis erat forma ejus viſentibus: *factuſque pœna ſua monſtrum, miſericordiam quoque amiſerat.*' *Sen. de Ira*, iii. 17.[a]

Præter has autem, in quibus examinandis ſatis jam operæ impendimus, cauſæ ſuperſunt quædam cur fictam aliquando miſeriarum imaginem immoti prorſus, aut certe non vehementer commoti intueamur. Quarum utique hæc præcipuam vim habet, quæ poſita eſt in flagitio aliquo notabili: nempe ubi is cujus deſcribitur fortuna inſignem animi improbitatem factis ſententiiſque declarat.

[a] Optime item in hanc rem conveniunt Taciti verba de morte Vitellii: 'Vinctæ pone tergum manus: laniata veſte, fœdum ſpectaculum ducebatur, multis increpantibus, nullo inlacrimante; *deformitas exitus miſericordiam abſtulerat.*' *Hiſt.* iii. 85.

Quoniam enim a philoſophis definitur miſericordia, ‘ ægritudo ex miſeria alterius injuria labo-‘ rantis,’ et quoniam nemo, ut Ciceronis utar verbis, parricidæ aut proditoris ſupplicio commovetur, rationi eſt conſentaneum, ut quo longius quis abſit ab immerentis perſona, aut quo propius ad ſcelus et impietatem accedat, eo ſegnius calamitates ejus aut interitum doleamus. Conferat profecto aliquis Deianiræ caſum in Trachiniis cum Medeæ aut Clytemneſtræ fortunis, modo experiri velit quantum inter has res interſit, utrum piam et pudicam mulierem miſere perire videat, an vindicta aliquam aut libidine ſævientem. Quippe ex Antigones illius præclara pietate, qua patrem exulem et grandævum unice proſequitur, non minime impelluntur lectorum animi, ut acerbam ejus ſortem doleant: certe una cum admiratione virtutis, creſcit etiam malorum quæ perpeſſa eſt miſeratio.

Quamobrem nihil attentius videndum, quam ne qua vitii ſignificatione eorum inquirentur mores, quorum in miſeriis vertitur poema—ne duros unquam ipſi ſe præbeant erga alios, aut beneficiorum immemores, aut ſupra modum doloris impatientes, aut doloſos, aut malignos, aut Deorum denique contemptu elatos et religionis negligentes.

Aliquantum ſane hac in parte vel a ſummis ſcriptoribus peccari video: neque enim quenquam apud Euripidem Electræ Oreſtiſque dolos probare exiſtimo, per quos Helenam interficere ſunt adorti; aut non Hermionen potius miſerandam ducere, generoſamque iſtius virginis indolem fraude mala captam fuiſſe indignari. Quid enimvero turpius quam falſa ſupplicis ſpecie vindictam moliri? Aut quod magis homine

indignum, quam cujus tutela atque auxilium votis tuis conceſſa fuerint, eam, interfecta prius matre, obſidis loco retinere? (*Vid. Eurip. in Oreſte.*)

Minore in culpa ſed aliqua in culpa tamen Ajacem illum Sophocleum duco eſſe, quem minime decebat, fidæ atque amantiſſimæ conjugis non modo precibus et luctu moveri nolle, verum etiam ipſam aſpero et inhumano ſermone ab ſe rejicere. Neque dubium habeo, quin ſi conſtantia animi ſervata, mitiorem in hoc colloquio tenuiſſet modum, et uxori pariter ac filio ſupremum valedixiſſet, res viſa eſſet longe flebilior, et cui in affectus intimos patuiſſet aditus.

Poſtremo, quoniam miſeros nihil magis decet, aut iis frequentius uſu venit, quam ut Deorum opem ſperent poſtulentque, et tum præcipue menti occurrit ad Deos confugere, quando humanas ſpes penitus interciſas vident, omnis idcirco in tali conditione vitanda eſt impietatis ſuſpicio; cum et natura aliud poſcat, et res ipſa pravi ingenii teſtimonium edat. Quare apud optimos poetas ſumma ſemper obtinet etiam in deſperatis rebus numinis reverentia. Huc ſe tanquam in portum atque perfugium miſerrimus quiſque recipit, utcunque vi et ſævitia potentiorum opprimatur.

> Ἡμεῖς μὲν ἔν δοῦλοί τε κἀσθενεῖς ἴσως,
> Ἀλλ' οἱ θεοὶ σθένουσι, χ' ὡ κείνων κρατῶν
> Νόμος. *Eur. Hec.* 798.

Iterumque in captivis Hecuba ſolenni prece Jovem invocat;

> Ὦ γῆς ὄχημα, κἀπὶ γῆς ἔχων ἕδραν,
> Ὅστις ποτ' εἶ σὺ δυστόπαστος εἰδέναι
> Ζεύς, εἴτ' ἀνάγκη φύσεως, εἴτε νοῦς βροτῶν,

Προσηυξάμην σε· πάντα γὰρ, δι' ἀψόφου
Βαίνων κελεύθου, κατὰ δίκην τὰ θνήτ' ἄγεις.
Eur. Troad. 884.[a]

Etiam illa Electræ, quibus vehementiam doloris exprimit, nihil audaciæ aut impietatis in ſe habent; ſunt autem qualia ex ſanctiſſimo prophetarum ore interdum excidiſſe conſtat.

Πῆ ποτε κεραυνοὶ Διὸς, ἢ
Πῆ φαέθων
Ἅλιος, εἰ ταῦτ' ἐφορῶντες
Κρύπτεσιν ἔκηλοι; *Soph. El.* 823.

Quod ſi ex altera parte egregium quis poſcat exemplum, ubi ex re ſatis luctuoſa omnem fere luctus materiam exemit ſcriptor, præcipue vero in hoc odioſo religionis contemptu offendit, mortem illam Pompeii perlegat a Lucano narratam: quod ſane poetæ ipſius judicio eſt,

Victoribus ipſis
Dedecus, et *nunquam ſuperum caritura pudore*
Fabula. *Pharſ.* viii. 604.

Qua ſententia atrocius quidquam vix concipi poſſet, niſi ſtultitia atrocitatem ſuperaret. Talis autem cum ſit poetæ ſententia, moribundo Duci hæc verba eum tribuiſſe nequaquam miremur;

Spargant, lacerentque licebit,
Sum tamen, O Superi, felix, nullique poteſtas
Hoc auferre Deo. *Pharſ.* viii. 629.

[a] Parum hac ipſa in fabula ſibi conſtat Euripides, cum Hecubam ita abſurde loquentem alibi fecerit:

Ὦ θεοί· κακὸς μὲν ἀνακαλῶ τὸς συμμάχους·
Ὅμως δ' ἔχει τι σχῆμα κικλήσκειν θεὸς,
Ὅταν τις ἡμῶν δυστυχῆ λάβῃ τύχην. *Troad.* 469.

aut poſt cædem peractam faciem Pompeii *Deis iratam* prædicaſſe.

> At Magni cum terga ſonent, et pectora ferro,
> Permanſiſſe decus ſacræ venerabile formæ,
> Iratamque Deis faciem, nihil ultima mortis
> Ex habitu vultuque viri mutaſſe, fatentur
> Qui lacerum videre caput. *Pharſ.* viii. 665.

Tota nimirum res frigide inſulſeque traditur, neque uſquam aut ſummi civis dignitas, aut invicti ducis fortitudo, aut probi viri ſanctitas, aut infelicis atque afflicti dolor cernitur. Quem quidem in errorem ut lapſus fuerit homo doctus et prudens, non aliunde eveniſſe credibile eſt, quam quod naturæ legibus arrogantis philoſophiæ commenta permutaſſet. Hac ſcilicet diſciplina imbutus non ſe arti ſubjicere, ſed artem ipſam arbitrio ſuo fingere ac moderari voluit; ſtudiaque et mores hominum ex jejuna Stoicorum tabula deſcribere, non vitæ exemplar, unde vera demum petenda eſt effigies, intueri.

PRÆLECTIO DECIMA OCTAVA.

De Furore. *Magis ad Phantaſiam quam ad Affectus pertinet. Inſani ipſius vix nos miſeret, niſi aut angore animi crucietur—aut mox eum ſui compotem fore ſuſpicemur —aut præteritæ calamitatis ſenſu manifeſto impellatur. Quæ omnia poetarum, præſertim Virgilii, auctoritate comprobantur.*

INTACTA hactenus eſt quæſtio, quæ ut copioſe diſputetur admodum in rem noſtram erit, quoniam ad affectuum rationem imprimis attinet, atque adeo a nonnullis in poeticæ artis inſtrumento quaſi præcipuum quoddam poni videtur. Enimvero ex Tragicis ſcriptoribus antiquis neminem non operam alicubi dediſſe conſtat in Furore animi depingendo; tum recentioribus quibuſdam in eodem argumento diligentius verſari placuit, utpote ex quo, ſi vulgus lectorum audiamus, ſumma accedat fabulæ vis et venuſtas. Neque ſane uſquam digitum libentius intendere ſolent homines, quo egregiam poetæ facultatem eſſe ſignificent, quam ſicubi mente alicujus capti vagos motus et furores in ſcenam proferat. Quam quidem opinionem ita perſtringendam duxi, non uti falſam omnino eam eſſe arguerem, verum ut aliqua certe ex parte minuendam docerem—tum ut quæ temere atque imperite a pleriſque in hac re judi-

cantur, ea ad normam aliquam exigere, et certiore quadam diſciplina conſtituere et complecti poſſem.

Quamobrem a principio ſtatim illud præcavendum exiſtimavi, ne, ſi inſaniæ partibus minus fortaſſe quam ſolent plerique tribuam in miſericordia commovenda, idcirco eas a poetis rejiciendas habere videar. Etenim permulta ſunt in malorum loco habenda, horrida magis quam flebilia; quibus conſpectis licet vehementer percellatur legentis pectus, non leni tamen ſenſu et ſympathia illa quam vocant perfunditur. Neque id profecto inſaniæ vel furioſiſſimæ denegaverim, quod terrorem adaugere poſſit, et ſublimes aliquando conceptus pariat, poeſi illos apprime idoneos; quos tamen ad phantaſiæ partem referre ſatius eſt viſum, quam ut hic in affectuum ratione tractanda locum habeant. Quo etiam conſilio adhiberi videntur illa Euripidis a Longino[b], quando alium pronuntiat *poeticæ* phantaſiæ finem, quem ἔκπληξιν eſſe ſtatuit, alium eſſe ejus qua *oratores* uti ſolent; continuoque has Oreſtis furibundi voces adfert.

Ὦ μῆτερ, ἱκετεύω σε, μὴ 'πίσειέ μοι
Τὰς αἱματωπὲς καὶ δρακοντώδεις κόρας.
Αὗται γὰρ, αὗται πλησίον θρώσκουσί μ᾽. *Eur. Oreſt.* 255.

Hæc utique ideo admirabilia eſſe decernit Criticus, quia vim tantam habent phantaſiæ, ut quæ mera ſunt delirantis viri ſomnia, ea ferme oculis audientium obvenire faciant. Id quod illuſtriore forſan loco in Choephoris eſt factum.

Οὐκ εἰσὶ δόξαι τῶνδε πημάτων ἐμοί.
Σαφῶς γὰρ αἵδε μητρὸς ἔγκοτοι κύνες.

[b] Sect. 15.

. . . . . .

Ὑμεῖς μὲν οὐχ ὁρᾶτε τάσδ', ἐγὼ δ' ὁρῶ,
Ἐλαύνομαι δὲ, κ' οὐκ ἔτ' ἂν μείναιμ' ἐγώ.

Æſch. Choeph. 1050.

Nobis autem jampridem eſt propoſitum, ut videamus quantum ad *miſericordiam* commovendam hujus rei ope poſſit effici; quod ſane neque nihil eſſe puto, neque tantum interea quantum fert communis criticorum vox et ſententia.

Occurritur profecto a quibuſdam, quoniam malorum omnium quæ in hominem cadunt miſereri deceat, nihil autem gravius ſit malum inſania, qua homo ad pecudis ſortem detrudi videtur—jure igitur miſerrimum prædicari aliquem mente captum, et maximi eſſe doloris argumentum.

His autem reſpondeo, non de Officio hic agi litem, ſed de natura ac veritate—nec quid tali in re pati homines oporteat, ſed quid revera patiantur quæri. Neque ſane malis omnibus miſericordiam deberi Philoſopho ſummo viſum eſt, ſed iis modo quæ ad exitium aut dolorem pertinent—quæ φθαρτικόν τι ἢ λυπηρὸν in ſe continent. Etenim ſi extra hos fines, ita a graviſſimo auctore conſtitutos, ad univerſum genus ire libet, ecquid profecto gravius malum prædicari poteſt, quam turpi flagitio aut ſcelere inquinari? quod tamen ira aut odio præſtat quam miſericordia proſequi.

Quanquam autem inſaniæ et ſceleris longe diſpar ſit ratio, ut in illam nullo modo conveniant quæ huic ſunt propria, tamen uti a pleriſque ſcriptoribus nunc res agitur, horrorem ſæpius ex delirantis furoribus naſci contigit, quam miſericordiam: neque ab iſto prorſus vitio abſunt, quod ſuperius eſt notatum,

ut tetra et ſqualida aut etiam ridicula pro luctuoſis afferant. Quod ſi illuſtriores ex Græcis Tragœdiis adeamus quæ hujuſmodi perſonis utuntur, παθητικὸν quidem illud plerumque *alienis* ex cauſis petendum eſſe facile conſtabit : nempe ubi horrenda ſtrage innocuam domum opprimi videmus, ſicuti in Hercule Furente, aut ubi tangimur inſigni aliquo amoris ac pietatis exemplo, quale in Euripidis Oreſte edit Electra. Multo equidem magis moveor ſtudio illo et vigili cura qua fratrem ſuum amantiſſima ſoror proſequitur, quam Oreſtis ipſius tumultu et inſana formidine ;

Ὦ τάλαιν' ἐγώ.
Αἰδ' αὖ πάρεισι τοῖς ἐμοῖς θρηνήμασι
Φίλαι ξυνῳδοί. τάχα μεταστήσασ' ὕπνα
Τόνδ' ἡσυχάζοντ'. ὄμμα δ' ἐκτήξασ' ἐμὸν
Δακρύοις, ἀδελφὸν ὅταν ὁρῶ μεμηνότα.
Ὦ φίλταται γυναῖκες, ἡσύχῳ ποδὶ
Χωρεῖτε, μὴ ψοφεῖτε, μηδ' ἔστω κτύπος. *Oreſt.* 131.

Et poſtea, ubi jam expergefacto aſſidens ſpuma et ſqualore obſito, officium quamvis humile et ſordidum nequaquam aſpernatur ;

Ἰδὲ τὸ δάλευμ' ἡδύ, κἀκ ἀναίνομαι
Ἀδέλφ' ἀδελφῇ χειρὶ θεραπεύειν μέλη. *Oreſt.* 221.

Atqui in terribili conjugis ſuæ et liberorum cæde ecquem Herculis ipſius tantum miſereri ſubit, quantum vi eum et catenis coerceri velle ?

Quod vero aiebam ab inſani hominis conſpectu refugere quodammodo mentem, et quaſi metu perculſam averſari, diſerto id Sophoclis teſtimonio comprobatur, apud quem Ajacem illum furioſum ne in ſcenam proferat Minervam enixe orat Ulyſſes, for-

midinem ille quidem ſuam diſſimulare parum curans.

Τί δρᾷς,' Αθάνα; μηδαμῶς σφ' ἔξω κάλει.
. . . . . .
Μὴ πρὸς θεῶν· ἀλλ' ἔνδον ἀρκείτω μένων. *Soph. Aj.* 74.

et roganti Deæ, utrum hominem mente captum aſpicere vereatur, reſpondet ille virtutis dignitatiſque ſuæ memor;

Φρονοῦντα γάρ νιν οὐκ ἂν ἐξέστην ὄκνῳ. *Soph. Aj.* 82.

At poſtquam eum indignis modis a Minerva irriſum viderit, tum demum, uti par erat, miſeratione tangitur.

Ἐποικτείρω δέ νιν
Δύστηνον ἔμπας, καίπερ ὄντα δυσμενῆ,
Ὅθ' οὕνεκ' ἄτῃ ξυγκατέζευκται κακῇ,
Οὐδὲν τὸ τότε μᾶλλον ἢ τοὐμὸν σκοπῶν.
Ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο, πλὴν
Εἴδωλ', ὅσοιπερ ζῶμεν, ἢ κούφην σκιάν. *Soph. Aj.* 121.

Suæ nimirum ipſius naturæ memorem, quod ſibi aliquando accidere poſſe ſentit, idem in alterius fortuna jam intuentem miſeret. Niſi rectius fortaſſe ſtatuatur non unius viri miſeratione Ulyſſem teneri, ſed in mæſtitiam potius reſolvi ex humanæ ſortis contemplatione; ſicut perſæpe alias poetis uſu venit inſtabiles et caducas hominum ſpes fragilemque fortunam conqueri.

Ἐν δ' ὀλίγῳ
Βροτῶν τὸ τερπνὸν αὔξεται· οὕτω
Δὲ καὶ πιτνεῖ χαμαὶ, ἀποτρόπῳ
Γνώμᾳ σεσεισμένον.
Ἐπάμεροι. τί δέ τις; τί δ' οὔ τις;
Σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι. *Pind. Pyth.* viii. 131.

Jam vero nequaquam ab iſta calamitate miſericordiam abeſſe dixerim: immo potius acri ſæpe ſtringitur dolore animus, dum furores audit videtque quibus mederi aut ſolatium adferre prorſus nequit. Illud modo præmonitum velim, quod vulgo minus intelligi puto, dolorem ſcilicet aliunde perſæpe ortum eſſe, non ex ipſo inſanæ mentis ſpectaculo: quod quidem ſpectaculum, quantumvis triſte atque horridum, ſi quando ſe nobis obtulerit, nulla rerum ſerie aut perſonarum cognitione ante præparatis, averſari ſane malimus quam adſpicere et diligenter intueri.

In notiſſimo quidem Oreſtis exemplo, quicquid ineſt inſaniæ ac furiarum, idem et pectus hominis diris torquet cruciatibus; unde in affectus audientium res facile introitum habet. Quippe hominem miſerum et ægritudine afflictum, non mente captum dolemus. Doloris illos et formidinis inquietæ ſtimulos, non animi errores noſter dolor ſequitur. Quali etiam ſenſu legentem afficiunt ejulatus iſti quos Io furibunda effert.

Τί ποτέ μ', ὦ Κρόνιε παῖ, τί ποτε,
Ταῖσδ' ἐνέζευξας εὑρὼν ἁμαρ-
τοῦσαν, ἐν πημοναῖσιν, ἔ ἔ,
Οἰστρηλάτῳ δὲ δείματι
Δειλαίαν παράκοπον ὧδε τείρεις;
Πυρὶ φλέξον, ἢ χθονὶ κάλυψον,
Ἢ ποντίοισι δάκεσι δὸς βορὰν,
Μηδ' ἐμοὶ φθονήσῃς εὐγμάτων, ἄναξ.
Ἄδην με πολύπλαγκτοι πλάναι
Γεγυμνάκασιν, οὐδ' ἔχω μαθεῖν ὅπη
Πημονὰς ἀλύξω. *Æſch. Prom.* 581.

Atque in hoc quidem genere ubi intus ſe ipſa mordet vexatque mens, ſicut in cæteris hominum infortuniis, omnino miſericordiæ patet locus.

Deinde, et amenti illi ac veſano generi, cui præſens et proprius dolor deeſt, ſuum tamen accidit πάθος, eo quod ex præterito malorum ſenſu natum videtur; quorum ſcilicet vis tanta fuerit, ut humani ingenii modum exſuperaverit, et mentem de ſtatu deturbarit. Quare hic etiam ex eorum potius quæ antea fuerunt cogitatione, quam ex iis quæ præſto adſunt oritur miſericordia.

Tertius vero in hoc affectu commovendo inſaniæ eſt locus, ſi quando furibundum aliquem et plane rabioſum mox ſui compotem fore ſuſpicamur, et præteriti mali conſcientia miſere vexatum iri. Quod quidem in cauſa eſſe duco, cur Hecuba in Troadibus, conſpectis Caſſandræ furoribus, tanto ſtatim dolore ſit affecta, ut collapſa animo deficiat: quum tamen Caſſandra, utpote eorum quæ revera eſſent ignara, effreni gaudio efferatur, et inſtantium nuptiarum imagine exſultet. Rurſus ubi Agave Bacchico furore correpta ad ultimum ſævitiæ provecta eſt, nihil certe ad luctum videtur conferre inſanientis feminæ conſpectus, cujus ſi non gratiſſimum errorem at minime infelicem eſſe poeta prædicat: mox autem diſerte in hanc ſententiam, quam modo tueri placuit, Cadmum loquentem fecit—nempe iis potius quæ mox paſſura ſit mulier lacrymas deberi, quam quæ hactenus pati eam contigerit.

Φεῦ, Φεῦ· φρονήσασαι μὲν οἵ' ἐδράσατε
Ἀλγήσετ' ἄλγος δεινόν. εἰ δὲ διὰ τέλους
Ἐν τῷδ' ἀεὶ μενεῖτ', ἐν ᾧ καθέστατε,
Οὐκ εὐτυχῆσαι δόξετ', ἐχὶ δυστυχεῖν. *Bacch.* 1258.

Neminis ſane unquam gravior fuit aut luctu fecundior inſania quam Herculis illius Furentis, de quo jamdudum mentionem fecimus. Pater peractis labo-

ribus domum tandem reverſus incolumis, furore percitus divinitus miſſo, conjugem dilectiſſimam amabilemque prolem propria manu interficit—ut pro gaudio et deliciis quibus frui in animo jam erat, cæde ac funeribus tota impleatur domus. Atqui libenter aliquem interrogarem, utrum Herculis ipſius rabie an Megaræ et inſontium puerorum leto moveatur magis:

Φθάνει δ' ὁ τλήμων γόνασι προσπεσὼν πατρός·
Καὶ πρὸς γένειον χεῖρα καὶ δέρην βαλὼν,
Ὦ φίλτατ', αὐδᾷ, μή μ' ἀποκτείνῃς, πάτερ·
Σός εἰμι, σὸς παῖς· ὃ τὸν Ευρυσθέως ὀλεῖς.

Herc. Fur. 986.

Nonne hæc et reliqua qui legit totus in familiæ miſerationem convertitur? Nonne ipſum parentem odio quodam et ira proſequitur? quam licet ratione adhibita compeſcat, natura tamen ſponte incendit. Neque dubium habeo, quin ſi ea lege inſtituta eſſet fabula, ut in media clade Herculem quoque mors corriperet, nullis ipſe lacrymis dignus haberetur. Optime ergo hæc cum viderit Euripides, ad ſanam eum mentem redigens, ingentis miſeriæ et luctus materiam præbet—ſimulque his quæ ſupra diximus fidem addit, nempe a mera inſanientis imagine non magnopere moveri animum, omni eorum quæ prius facta ſunt aut quæ mox fient cogitatione ſepoſita. Horridior ſane quam flebilior deſcribitur rabioſi hominis effigies.

Ὁ δ' ἐκέτ' αὐτὸς ἦν,
Ἀλλ' ἐν στροφαῖσιν ὀμμάτων ἐφθαρμένος,
Ῥίζας τ' ἐν ὄσσοις αἱματωπὰς ἐκβαλὼν,
Ἀφρὸν κατέσταζ' εὐτρίχῳ γενειάδος.
Ἔλεξε δ' ἅμα γέλωτι παραπεπληγμένῳ.

Herc. Fur. 931.

At quæ ſecum evolvit, jam ſui compos factus, et peracti facinoris conſcius, affectuum ſunt pleniſſima: cum ſe, non modo cives et exteros, verum et naturam ipſam aufugere tanquam nefas et piaculum præſumit.

Φωνὴν γὰρ ἥσει χθὼν, ἀπεννέπεσά με
Μὴ θιγγάνειν γῆς, καὶ θάλασσα μὴ περᾶν·
Πηγαί τε ποταμῶν. *Herc. Fur.* 1295.

Et poſt paullo,

Ἀτὰρ πόνων δὴ μυρίων ἐγευσάμην,
Ὧν ἅτ' ἀπεῖπον ἡδὲν, ἅτ' ἀπ' ὀμμάτων
Ἔσταξα πηγάς· ἡδ' ἂν ᾠόμην ποτὲ
Εἰς τῆδ' ἱκέσθαι, δάκρυ' ἀπ' ὀμμάτων βαλεῖν.
Herc. Fur. 1353.

Hanc igitur quæ jam dicta ſunt vim habitura ſpero, ut doceant inſaniam ipſam minus ad miſericordiam pertinere quam pleriſque recentioribus eſt viſum; quibus nimis curioſe nonnunquam in hoc argumento verſari atque etiam laſcivire libuit. Supereſt modo, ut præceptum aliquod ponamus in hac re tractanda, quod ſtatim ex ante dictis ſequi conſtat. Nam ſi inſanientis cujuſdam caſu tum potiſſimum nos tangi contingat, quando aut præteritos dolores referre, aut venturos augurari videtur, ingenti ſane errore tenentur ii, quotquot ultimos furores deſcribere aggreſſi ſunt, quibus nec modus ineſt, nec ſententia aliqua aut rationis ſignificatio. Quum id prorſus res poſtulet, ut veri doloris cauſa inter deliramenta eluceat—ut turbata videatur mens non exſtincta—et quanquam incerto curſu vagetur, et in vanis fictiſque hæreat, veſtigia tamen præ ſe ubique ferat veritatis.

Mira utique eſt in hac re, ſicut in cæteris ferme omnibus, Virgilii prudentia. Neque enim quenquam

puto flebiliorem habiturum fuiſſe Didonis fabulam, ſi reginam mente prorſus captam poſuiſſet ac plane delirantem. Enimvero ubi maxime ſævitur, nuſquam e conſpectu abeſt principium et fons mali: huc omnes cogitationum flexus et ambages, huc acerbiſſimi ſpectant querimoniæ et clamores. Neque illa profecto quæ ad inſaniam proxime accedunt, *amentiæ* ſunt verba ſed vehementis potius doloris, et irarum fluctus imo a pectore commoti.

Non arma expedient, totaque ex urbe ſequentur,
Diripientque rates alii navalibus? ite:
Ferte citi flammas, date vela, impellite remos:
Quid loquor? aut ubi ſum? quæ mentem inſania mutat?
Infelix Dido! nunc te fata impia tangunt!
Tum decuit, cum ſceptra dabas. En dextra fideſque!
Quem ſecum patrios aiunt portare Penates,
Quem ſubiiſſe humeris confectum ætate parentem.
Non potui abreptum divellere corpus, et undis
Spargere? non ſocios, non ipſum abſumere ferro
Aſcanium, patriiſque epulandum apponere menſis?
Verum anceps pugnæ fuerat fortuna! fuiſſet.
Quem metui moritura? faces in caſtra tuliſſem:
Impleſſemque foros flammis, natumque patremque
Cum genere exſtinxem: memet ſuper ipſa dediſſem.
Æn. iv. 592.

Quando autem penitus inſanam vult mentem depingere, qualem in ſcenam proferre Tragicis ſcriptoribus uſu venit, verecundiam ita colit et veritatem, ut has partes in ſomnum rejiciat; ne pro afflicta malis turbataque, mulier omnino vecors et amens videatur:

Agit ipſe furentem
In ſomnis ferus Æneas: ſemperque relinqui
Sola ſibi, ſemper longam incomitata videtur
Ire viam, et Tyrios deſerta quærere terra.
Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,

Et Solem geminum, et duplices ſe oſtendere Thebas:
Aut Agamemnonius ſcenis agitatus Oreſtes,
Armatam facibus matrem et ſerpentibus atris
Cum fugit, ultriceſque ſedent in limine Diræ.
Æn. iv. 465.

Atque in hoc quidem exemplo deſinat hujuſce loci diſciplina; quoniam jam et rei ipſius ratione et ſummi auctoris judicio ſatis conſtent ea, quæ olim vobis comprobata volui: nimirum horribili hoc mentis morbo parce utendum, ſi ad leniores affectus aperienda ſit via: tum præcipue ab extremis furoribus et amentia cavendum; cum contra pro comperto habeatur, ut quo propius res abſit a ſanæ mentis conditione, et cauſam tumultus præ ſe ferat evidentiorem, hoc magis audientium corda attingere et in ſe defixa tenere poterit.

PRÆLECTIO UNDEVICESIMA.

In commovendis Affectibus vitandæ ſunt Sententiæ graves nimis et ſubtiles et ſuperbæ. Etiam argumentari accurate parum convenit. Enthymematis tali in re parce utendum.

CUM plurima ſint præcepta oratori et poetæ ferme communia, tum nulla in re magis utriuſque munera ad ſe invicem accedere videntur, quam ubi concitandi ſunt affectus aut leniter movendi. Quo quidem in genere ut pleraque expoſita jam ſunt vitia, a quibus poetam ſedulo cavere oportebit, ita ſupereſſe unum video, quod Rhetorum diſciplinæ non minus convenit, ideoque in principiis iſtius artis ab Ariſtotele eſt numeratum. Nempe ut probationibus et argumentis parum ſtudeamus, quandocunque affectibus rem permitti volumus.

Quod ſi in forenſibus negotiis tractandis neceſſarium habeatur, ubi in cauſam inſiſti magis ſolet, et ſi quando in lacrymas et queſtus abeat, minus veniæ datur oratori; quanto diligentius obſervandum eſt poetis! quorum ratio omnis fere in affectibus vertitur, et qui ſi bene rem ornent, ut eam ſubtiliter explicent validiſque confirment argumentis parum refert.

Quare imprimis notandi ſunt ii, quicunque adeo ſe in philoſophando jactant, ut non modo ambitioſe omnia quæ ad rem pertinent expromant, verum etiam

in aliena et abdita excurrant; quod cum ubique ſit fugiendum, tum peſſime certe agitur, ſi in re fiat triſti et affectuum plena.

Multum eſſe in hoc vitio Lucanum ex quolibet Pharſaliæ libro abunde conſtat. Philoſophiæ nimirum ſuæ et differendi argutiis ubique intentus, quid *dici poſſit* magis cogitat quam quid *dictum deceat*; et ingenii quoddam certamen inire amat, non mollire pectus atque ad intimum cor viam aperire.

Unde alias Pompeii cædem his ſententiis inſtructam fuiſſe credamus, quas ſecum ipſe jam moriens animo verſare fingitur?

Nunc conſule famæ.
Fata tibi longæ fluxerunt tempora vitæ.
Ignorant populi ſi non in morte probaris,
An ſcieris adverſa pati: ne cede pudori,
Auctoremque dole fati: quacunque feriris,
Crede manum ſoceri. Spargant, lacerentque licebit,
Sum tamen, ô Superi, felix; nullique poteſtas
Hoc auferre Deo. Mutantur proſpera vita:
Non ſum morte miſer. Videt hanc Cornelia cædem,
Pompeiuſque meus: tanto patientius oro.
Claude dolor gemitus. Natus, conjuxque peremptum
Si mirantur, amant. *Pharſ.* viii. 624.

Sin autem quis has ſententias eo nomine defendat, quod interfecti Ducis moribus conveniant, utpote inconcuſſi malis et de ſtatu minime deturbati; at quæ poeta ipſe effundit poſt Pharſalicam cladem accurate admodum deſcriptam venia iſta omnino carent; cum neque perſonæ alicujus veritas neque rei natura poſtulabat, ut in hæc frigida ac jejuna prorumperet.

Non iſtas habuit pugnæ Pharſalia partes,
Quas aliæ clades: illic per fata virorum,
Per populos hic Roma perit: quod militis illic,

Mors hic gentis erat: ſanguis ibi fluxit Achæus,
Ponticus, Aſſyrius: cunctos hærere cruores
Romanus, campiſque vetat conſiſtere torrens:
Majus ab hac acie, quam quod ſua ſecula ferrent,
Vulnus habent populi: plus eſt quam vita, ſaluſque
Quod perit: in totum mundi proſternimur ævum.
Vincitur his gladiis omnis, quæ ſerviet, ætas.
Proxima quid ſoboles, aut quid meruere nepotes
In regnum naſci? pavide num geſſimus arma?
Teximus aut jugulos? alieni pœna timoris
In noſtra cervice ſedet: poſt prælia natis
Si dominum fortuna dabas, et bella dediſſes.
Pharſ. vii. 632.

Atque hæc quidem ſophiſmata, ne dicam ænigmata, narrationi addidit, quæ varias leti imagines, quæ patrem a filio interfectum, et fratres mutuis vulneribus confectos referebat.

Conſimile vitium tragœdiis ineſſe Romanis, quas ſæpe in vitiorum exemplum attulimus, nemo mirabitur. Sed quod fortaſſe minus vobis ſim probaturus, nequaquam diſſimulandum puto, Euripidi nempe ipſi, quanquam in leni et flexanimo ſcribendi genere principatum teneat, præ Græcis tamen omnibus hanc vel inſcitiæ vel certe negligentiæ culpam hærere.

Neque enim cuiquam credo Euripidis lectori non ſæpe bilem moviſſe importunum illum ſententiarum quæ γνώμαι dicuntur uſum: quibus, licet pulchræ grandeſque fuerint, deeſt tamen ſæpiſſime id, ſine quo optimas res corrumpi conſtat, ſuum tempus, locus, occaſio. Taceo nunc quod illorum lingua non raro in ſcena pronuntientur, quorum a mente eas procul abeſſe et natura ipſa docet, et fabulæ ratio—Utrum vero coactæ aliquando ſint atque arceſſitæ non ſponte ex re naſcantur, jam non inquiritur—ne id quidem queror,

acerbiora eum videri dicere velle quam veriora, et quæ ex pravo rerum judicio proficiſci crediderim. Multa utique in ſcenam proferre licet quæ a vitæ conſuetudine abhorrent: neque hoc ſi negaveris Ars Dramatica omnino ſtare poterit. At quæ in Euripide nunc præcipue notata velim, ea et arti quam colit obeſſe puto, et ipſis obſtare affectibus quos vult ciere. Ecquis enim hanc ſententiam ſibi perſuadebit a Medea dici potuiſſe, dolore illa quidem ad ultimum vindictæ genus adacta?

Πρὸς δὲ καὶ πεφύκαμεν
Γυναῖκες εἰς μὲν ἔσθλ' ἀμηχανώταται,
Κακῶν δὲ πάντων τέκτονες σοφώταται. *Med.* 408.

aut non indignatur pulcherrimam Hecubæ orationem, qua Ulyſſis opem in ſervanda filia implorat, in frigidis hiſce exire?

Τὸ δ' ἀξίωμα, κἂν κακῶς λέγῃς, τὸ σὸν
Πείσει. Λόγος γὰρ ἔκ τ' ἀδοξούντων ἰὼν,
Κἀκ τῶν δοκούντων αὐτὸς, ἐ ταυτὸν σθένει. *Hec.* 293.

Iterum vero in mediis precibus lacrymiſque effundit, quæ umbram et otium Academi magis decerent.

Τί δῆτα θνητοὶ τἄλλα μὲν μαθήματα
Μοχθοῦμεν, ὡς χρὴ, πάντα καὶ μαστεύομεν,
Πειθὼ δὲ, τὴν τύραννον ἀνθρώποις μόνην,
Οὐδέν τι μᾶλλον ἐς τέλος σπουδάζομεν
Μισθὸς διδόντες μανθάνειν, ἵν' ᾖ ποτὲ
Πείθειν, ἃ τις βούλοιτο, τυγχάνειν θ' ἅμα. *Hec.* 808.

Eodem etiam modo captivam Andromachen dolore oppreſſam de mulieribus ſententioſe proloqui fecit.

Χώρει νυν. Ἡμεῖς δ' οἵσπερ ἐγκείμεσθ' ἀεὶ
Θρήνοισι, καὶ γόοισι, καὶ δακρύμασι,
Πρὸς αἰθέρ' ἐκτενοῦμεν. Ἐμπέφυκε γὰρ,
Γυναιξὶ τέρψις τῶν παρεστώτων κακῶν,
Ἀνὰ στόμ' αἰεὶ καὶ διὰ γλώσσης ἔχειν. *Androm.* 91.

Profecto hac macula immunem vix ullam Euripidis inveniemus fabulam, ut graves de moribus et vita hominum ſententias colloquio inepte interſerat: quod cum, ubicunque fiat, eſt vitioſum, tum maxime improbandum eſt ſi quando affectus ita reſtingui contingat. Neque in ſingulis tantum id ſententiis cernitur—immo juſtum aliquando argumentum explicare, et in ſæviſſimis doloribus philoſophari placet. Poſtquam enim Polyxenæ mortem ex ore nuntii accepiſſet Hecuba, etſi ſummo animi angore ſe cruciari profiteatur, has tamen rationes ab affectu omni remotas curioſe proſequitur.

Οὐκοῦν δεινὸν, εἰ γῆ μὲν κακὴ,
Τυχοῦσα καιρῷ θεόθεν, εὖ στάχυν φέρει,
Χρηστὴ δ', ἁμαρτοῦσ' ὧν χρεὼν αὐτὴν τυχεῖν,
Κακὸν δίδωσι καρπόν; ἀνθρώποις δ' ἀεὶ
Ὁ μὲν πονηρὸς, οὐδὲν ἄλλο πλὴν κακός·
Ὁ δ' ἐσθλὸς, ἐσθλὸς, οὐδὲ συμφορᾶς ὕπο
Φύσιν διέφθειρ', ἀλλὰ χρηστός ἐστ' ἀεί;
Ἆρ' οἱ τεκόντες διαφέρουσιν, ἢ τροφαί;
Ἔχει γε μέντοι καὶ τὸ θρεφθῆναι καλῶς
Δίδαξιν ἐσθλοῦ· τοῦτο δ' ἦν τις εὖ μάθῃ,
Οἶδεν τό γ' αἰσχρὸν, κανόνι τῷ καλῷ μαθών.

Hec. 592.

Minime hac culpa liberanda eſt Jocaſtæ oratio in Phœniſſis, qua ſcilicet ut filiorum ſuorum inimicitias dirimat omni auctoritate, conſilio, et precibus contendit. Verſus autem ipſos eo libentius prætereo quia diſertiore adhuc exemplo ex Romano ſcriptore uti licet, quem ut eandem rem perſequeretur ducebat fabula. Neque ſane id quenquam fugiet qui utramque fabulam, Græcam dico et Latinam, inter ſe conferet, Senecam exemplar ſibi propoſitum præcipue in

vitiis imitari; et ſi quid ab altero prave aut temere admiſſum exſtiterit, idem alterius imitatione et ſedulo eſſe excultum, et mirifice auctum.

Utrumque igitur filium obteſtata, ut poſita ſimultate in gratiam et amorem mutuum redire velint, his tandem verbis ad Polynicem converſa finem precibus imponit.

> Melius exilium eſt tibi
> Quam reditus iſte: crimine alieno exulas,
> Tuo redibis: melius iſtis viribus
> Nova regna nullo ſcelere maculata appetes.
> Quin ipſe frater, arma comitatus tua,
> Tibi militabit: vade, et id bellum gere,
> In quo pater materque pugnanti tibi
> Favere poſſint. Regna cum ſcelere omnibus
> Sunt exiliis graviora. Nunc belli mala
> Propone; dubias Martis incerti vices.
> Licet omne tecum Græciæ robur trahas;
> Licet arma longe miles ac late explicet;
> Fortuna belli ſemper ancipiti in loco eſt,
> Quodcunque Mars decernit. Exæquat duos,
> Licet impares ſint, gladius: et ſpes et metus
> Sors cæca verſat. Præmium incertum petis,
> Certum ſcelus. *Sen. Phœniſſ.* 617.

Quod ſi id ſibi propoſitum habuiſſet ut miſericordiam et pietatem e medio prorſus tolleret, vix alio ſermone oportuiſſet uti. Peſſimo enim conſilio per totam hanc ſcenam eſt factum, ut quæ ad affectus ſint accommodata in principio adhibeantur—deinde ad diſſerendum et argumentandum convertatur oratio.

Quanquam vero Rhetoricæ præcepta hac in parte poeticæ quoque convenire ponamus, quoniam utraque ex humani pectoris ratione pendet, ſeverius tamen quam par erat mihi viſum eſſe judicium Ariſto-

telis non invitus fatebor. Quippe qui affectuum motus exiſtimet tantopere eſſe ab argumentis et rationibus alienos, ut quicquid huic parti tribuatur, id omne alteri detrahatur ſit neceſſe. Καὶ ὅταν πάθος ποιῇς, μὴ λέγε ἐνθύμημα· ἢ γὰρ ἐκκρούσει τὸ πάθος, ἢ μάτην εἰρημένον ἔσται τὸ ἐνθύμημα· ἐκκρούσει γὰρ αἱ κινήσεις ἀλλήλας αἱ ἅμα· καὶ ἢ ἀφανίζουσιν, ἢ ἀσθενεῖς ποιοῦσιν. *Rhet.* iii. 17, 2.

Certe ita ſe habet plurimis in locis, ubi imperite commiſcetur utrumque dicendi genus: neque ullius gentis lingua non comprobatum videtur, ut hoc cordi atque affectibus, illud menti ac prudentiæ quaſi proprio jure aſſignetur. Atqui utut ſingulis facultatibus ſuum detur munus, utramque tamen non modo ſimul ſtare, verum et alteram alterius ope adjuvari perſæpe contigit. Namque et rationes benignius accipiuntur ſi pariter nos trahant affectus; et affectibus obtemperare malimus omnes, ſi conſilio eos et cogitatione defendi poſſe creditur.

His autem in partibus agendis nihil attentius videndum, quam ut aperte et ſimpliciter rationibus utamur: nihil ut ſit quæſitum, ſubtile, putidum, coactum; quoniam ſi cura ac labore opus ſit in intelligendo, parum ſe ad miſerandum convertet animus; aut ſi in diverſa et longinqua ſermo abeat, avertetur omnino mens a doloris contemplatione.

Quo quidem in errore eſſe exempla hactenus allata plane videntur: neque difficile eſſet plura in eodem genere colligere, niſi ſatis ferme adhuc in hanc rem diſputatum eſſe judicarem. Quare uno tantum ex Sophocle contenti, ubi Antigone fratrem mortuum his queſtibus proſequitur, de cæteris jam taceamus.

Οὐ γάρ ποτ' οὔτ' ἂν, εἰ τέκνων μήτηρ ἔφυν,
Οὔτ' εἰ πόσις μοι κατθανὼν ἐτήκετο,
Βίᾳ πολιτῶν τόνδ' ἂν ἠρόμην πόνον.
Τίνος νόμον δὴ ταῦτα πρὸς χάριν λέγω ;
Πόσις μὲν ἄν μοι, κατθανόντος, ἄλλος ἦν,
Καὶ παῖς ἀπ' ἄλλου φωτὸς, εἰ τοῦδ' ἤμπλακον·
Μητρὸς δ' ἐν Ἅιδου καὶ πατρὸς κεκευθότοιν,
Οὐκ ἔστ' ἀδελφὸς ὅστις ἂν βλαστοῖ ποτε. *Soph. Antig.* 905.

Atqui iſta, quam modo diximus, cautione adhibita, dolori ac miſericordiæ ita non obeſt rationis uſus, ut vim quandam cæteris atque auctoritatem adferat. Cujus in rei teſtimonium, admirabilem illam Hecubæ orationem attulerim, omni artificio perfectam, ſi paucos modo ſenarios ad finem adjectos tollere liceret. Polyxenæ nimirum cædem ex jure publico et privato iniquam fore arguit : inepta adverſarii argumenta diluit : Ulyſſi beneficia a ſe prius accepta exprobrat, etiam enthymemata precibus ſubinde inſerens.

Οὔκουν κακύνει τοῖσδε σοῖς βουλεύμασιν,
Ὅς ἐξ ἐμοῦ μὲν ἔπαθες, οἷα φῂς παθεῖν,
Δρᾷς δ' ὀδὲν ἡμᾶς εὖ, κακῶς δ' ὅσον δύνῃ ;
. . . , ...
Ἀτὰρ τί δὴ σόφισμα τοῦθ' ἡγούμενοι,
Εἰς τήνδε παῖδα ψῆφον ὥρισαν φόνου ;
Πότερα τὸ χρῆν σφ' ἐπήγαγ' ἀνθρωποσφαγεῖν
Πρὸς τύμβον, ἔνθα βουθυτεῖν μᾶλλον πρέπει ;
Ἢ τοὺς κτανόντας ἀνταποκτεῖναι θέλων,
Εἰς τήνδ' Ἀχιλλεὺς ἐνδίκως τείνει φόνον ;
Ἀλλ' ὀδὲν αὐτὸν ἥδε γ' εἴργασται κακόν.
Ἑλένην νιν αἰτεῖν χρὴ τάφῳ προσφάγματα·
Κείνη γὰρ ὤλεσέν νιν, εἰς Τροίαν τ' ἄγει.
Εἰ δ' αἰχμάλωτον χρή τιν' ἔκκριτον θανεῖν,
Κάλλει θ' ὑπερφέρουσαν, οὐχ ἡμῶν τόδε.
Ἡ Τυνδαρὶς γὰρ εἶδος εὐπρεπεστάτη,

Ἀδικῆσά θ' ἡμῶν οὐδὲν ἧσσον εὑρέθη.
Τῷ μὲν δικαίῳ τόνδ' ἀμιλλᾶσθαι λόγον.
Ἃ δ' ἀντιδῆναι δεῖ σ' ἀπαιτήσης ἐμοῦ,
Ἄκουσον· ἧψω τῆς ἐμῆς, ὡς φῂς, χερὸς,
Καὶ τῆσδε γεραιᾶς προσπιτνῶν παρηΐδος.
Ἀνθάπτομαί σου τῶνδε τῶν αὐτῶν ἐγὼ,
Χάριν τ' ἀπαιτῶ τὴν τόθ', ἱκετεύω τέ σε,
Μή μου τὸ τέκνον ἐκ χερῶν ἀποσπάσῃς,
Μηδὲ κτάνητε· τῶν τεθνηκότων ἅλις.
Ταύτῃ γέγηθα, κἀπιλήθομαι κακῶν·
Ἥδ' ἀντὶ πολλῶν ἐστί μοι παραψυχὴ,
Πόλις, τιθήνη, βάκτρον, ἡγεμὼν ὁδοῦ.
Οὐ τοὺς κρατοῦντας χρὴ κρατεῖν, ἃ μὴ χρεών.
Οὐδ' εὐτυχοῦντας εὖ δοκεῖν πράξειν ἀεί·
Κἀγὼ γὰρ ἦν ποτ', ἀλλὰ νῦν οὐκ εἰμ' ἔτι.
Τὸν πάντα δ' ὄλβον ἦμαρ ἓν μ' ἀφείλετο.
Ἀλλ', ὦ φίλον γένειον, αἰδέσθητί με·
Οἴκτειρον, ἐλθὼν δ' εἰς Ἀχαϊκὸν στρατὸν,
Παρηγόρησον, ὡς ἀποκτείνειν φθόνος
Γυναῖκας, ἃς τοπρῶτον οὐκ ἐκτείνατε,
Βωμῶν ἀποσπάσαντες, ἀλλ' ᾠκτείρατε. *Hec.* 255.

Quamvis igitur eum ſervare ordinem utplurimum voluit, quo maxime affectus conciliantur, nempe ut a ratione exorſus ad preces poſtea proficiſcatur, tamen has partes pauliſper inter ſe committere nequaquam religioni habuit. Denique a dulciſſima Iphigeniæ oratione, quam ego ſemper inter omnes omnium Tragicorum præcipuam in hoc genere et ſummam judicavi, enthymema non penitus abigendum duxit ſcriptor; quin ſubito interdum mentis motu a diſputando ad humillimum ſupplicandi genus virgo confugiens, cum id ſponte et non de induſtria factum videatur, affectus idcirco acrius et vehementius percellit.

Μὴ πρός γε Πέλοπος, καὶ πρὸς Ἀτρέως πατρὸς,
Καὶ τῆς γε μητρὸς, ἣ πρὶν ὠδίνεσ' ἐμὲ,
Νῦν δευτέραν ὠδῖνα τήνδε λαμβάνει.
Τί μοι μέτεστι τῶν Ἀλεξάνδρου γάμων,
Ἑλένης τε; πόθεν ἦλθ' ἐπ' ὀλέθρῳ τῷμῷ, πάτερ;
Βλέψον πρὸς ἡμᾶς, ὄμμα δὸς φίλημά τε,
Ἵν' ἀλλὰ τοῦτο κατθανοῦσ' ἔχω σέθεν
Μνημεῖον, εἰ μὴ τοῖς ἐμοῖς πειθῇς λόγοις.

Iph. in Aul. 1233.

Tum fratrem quoque infantem in partes advocat, ut lacrymis ſaltem cor durum patris mollire poſſit. Quantum vero hujus loci vim et πάθος minuant poſtremi iſti verſus nemo non videt:

Ἓν συντεμοῦσα πάντα νικήσω λόγον.
Τὸ φῶς τόδ' ἀνθρώποισιν ἥδιστον βλέπειν,
Τὰ νέρθε δ' οὐδείς. μαίνεταί γ', ὃς εὔχεται
Θανεῖν· κακῶς ζῆν κρεῖσσον, ἢ θανεῖν καλῶς.

Iph. Aul. 1249.

Interea præcepti hujuſce vim Euripidi non ignotam fuiſſe, ut complures ejus fabulæ aperte edocent, ita hac ipſa ex ſcena intelligi licet, ubi non alio, ut videtur, conſilio utrique perſonæ ſuæ aſſignantur partes. Clytemneſtram ſcilicet argumentis rem agere; —Iphigeniam vero maximam in commovenda miſericordia collocare operam fecit. Iterumque in Phœniſſis, matres Thebanæ lamentis tantum et precibus Theſea aggrediuntur; quum Æthræ oratio non tam miſericordia contendit, quam argumentis miſerarum cauſam tueri. Et profecto ſi affectuum ea eſt vis atque imperium tantum, ut his ſemel concitatis, ſententiam aliquando a judicibus *extorqueri* dicatur, certe hanc viam ſi ſemel feliciter inierit, ne temere quis curſum orationis immutare velit monet ipſa natura

et communis hominum ſenſus. Quin impetu illo, ſi ſapit, fruatur: æſtu et vento ſecundis, dum licet, uti meminerit: ne ſi auditorem ad ratiocinandum remittat, ſuos ipſe ſenſus jam ſuſpectos habeat, et quibus antea plurimum ponderis ineſſe viſum eſt, eadem infirmiora cogitando reddat; et quo magis judicio rem permittat, eo minus concedat voluntati.

Ab hoc autem errore bene ſi cavendum duxerit, enthymemata non tanquam piaculum quoddam averſari opus erit, modo recta fuerint et candida, et qualia ex vero malorum ſenſu proficiſci ſolent.

PRÆLECTIO VICESIMA.

Rem Unam *et* Simplicem *proponat ſcriptor; quæ ut cæteros Affectus ita Miſericordiam magis movet quam rerum multitudo.*

AD affectuum partes non mediocriter ſpectat, quod a nonnullis in ſumma totius operis dirigenda adhibetur, ut rem Unam et Simplicem aggrediamur —neque hanc vagam nimis et diſſolutam, neque ita diviſam, ut quæ pars potiſſimum emineat cerni vix poſſit. Quamobrem, etſi late pateat præcepti hujuſce vis in univerſa arte moderanda, (neque enim perfectum id unquam aut jucundum cenſebitur cui nullus ſit partium conſenſus, nulla ratio aut callida junctura qua in unum coire et quaſi coagmentari videantur,) tamen id nunc tantum intendi velim, quod affectuum iſtorum natura poſtulat quos ficto et narrato dolore tangi volumus. Qua in quæſtione tractanda veritatem interdum aliter, aliter vulgi opinionem ferri conſtabit; et ſcriptoribus nonnunquam evenire, ut quo flebiliores fieri velint, eo cor minus moveant.

Prius autem quam in hanc rem inquiramus, pauca præfari oportebit de univerſo affectuum genere; quos, ut diverſam præ ſe ferant ſpeciem, ſimilibus tamen inter ſe conſtare elementis videtur, et iiſdem

ferme legibus contineri. Quippe omnium hæc fere ſunt communia, ut conſilio et cogitationi obſint—ut diu integri vigere nequeant—ut alter alterius ortu minuatur aut pereat—et, quod maxime nobiſcum facit, ut tum fiant vehementiores, quando in re una aut paucis admodum rebus detinetur animus. Quod quidem pleriſque accidere utplurimum fatentur homines. Nihil enim magis ad Amoris vim reſtinguendam valere aiunt, quam ſi novæ res occurrant animo, pariter amore dignæ. Integra nimirum ejus vis in ſingulis declaratur. Si in diverſa excurrat, levior illico evadit: et quod prius ardoris ſpeciem præ ſe ferebat jam benevolentiæ quam amori fit ſimilius.

Eadem porro Timoris eſt ratio: nam ſi mens aliquo metu pertentetur adeo, ut vires jam deficere cœperint, et nihil præ concepta formidine aut agere aut cogitare queat, novum modo exortum fuerit periculum, nova eademque aliena terroris ſpecies, ſtatim altero illo minus turbatur; et ſi non ſedari inde metum, (quod tamen aliqua ex parte fieri interdum novimus) at nequaquam eum graviorem reddi, et *mutari* tantum non *augeri* contigit. Quinimo diverſa terrorum genera mutuo inter ſe auxilio eſſe et quaſi remedio videntur; quoniam cæcæ iſti formidini, qua exanimantur nonnulli ſera nocte et tenebris obſeſſi ex vana ſpectrorum opinione, nihil citius aut certius medeatur, quam ſi ſolida quædam et vera ſubeant pericula, quæ ſubito in ſe pavidam mentem convertant.

Jam vero in Gaudio, Luctu, Admiratione, et quocunque demum motu animi ita ſe rem habere, exemplis vix opus eſt ut doceam, cum id quivis pro ſe facile cernet. Sapienter quidem ab Athenienſe illo

olim eſt reſponſum, qui cum in odium vulgi incidiſſet, interrogatus cur nihil diceret quod iratæ plebis clamorem ac rabiem ſedaret, ‘ *Nondum*, inquit, *defen-* ‘ *ſioni eſt locus: exſpectabo dum alius quis populo diſpli-* ‘ *ceat, iræque in ſe convertat aciem.*’

Quoniam igitur commune hoc reliquis affectibus videtur, ut diviſione vis omnium imminuatur, Miſericordiæ quoque eandem eſſe naturam omnino credibile eſt: et cum aliquid jampridem poſitum eſt curæ in iis reprehendendis quæ, licet ab hoc animi affectu aliena ac plane vitioſa, præ inſcitia tamen ſcriptorum aut vanitate adhiberi ſolent, minime a propoſito abfuturum opinor, prius quam huic operis parti imponatur finis, ut quid hac ipſa de re quoque male ſentiant homines arguere auſim, et adoleſcentium animos, ſi qui forte errore capti fuerint, ad meliorem frugem revocare.

Pleriſque vero accidit, ut in hoc vitium laberentur, dum affectuum partes cum phantaſia confunderent: cum tamen id ſæpe animadverti licet, ut quod huic proprium ſit et conſentaneum ab illis prorſus abhorreat. Nempe ubi atrox aliquod aut funeſtum referre volunt, non unius cujuſquam aut paucorum caſu contenti reliqua, expoſito hoc quaſi exemplo, nos tacite cogitare ſinunt; ſed huc illuc diſcurrentes, mentem auditoris una rapiunt multiplici ſpectaculo diſtractam. Neque ſane dubium habeo, quin mirifice hoc pacto ſenſus poſſint moveri, et conceptus grandes efficiatqui ut imo pectore tangamur, lenius aliquanto eſt agendum. Otio alitur miſericordia, et quiete et ſilentio. Quorum caſus miſereamur, ipſos intueri libet, et noſſe familiariter: quo autem magis noti fuerint, eo fient cariores. Quod ſi raptim ab uno ad

alterum tranſeatur, ſummo veluti in pulvere ſignantur veſtigia, et inter curſitandum pereunt.

Habet etiam non minimum ponderis in hujuſmodi quæſtione quod optime ab Ariſtotele de Ira eſt dictum: nam ſicuti hominem cum *ſingulis* non cum *univerſo genere* iraſci conſtat, ita in miſerendo ſi a ſingulis ad turbam diſceditur, obſtruitur potius lacrymarum fons quam uberius effunditur; ſenſim autem vel in alieni generis affectum ducimur, vel affectuum loco ſubit phantaſiæ vis aut rationis uſus.

Ecquem enim, ut ex finitima arte trahamus exemplum, pugna atrox in pictura, tanta vi movet, quanta unius viri mors paucis modo adſtantibus depicta? Atqui ſi ex rei ipſius natura judicandum eſſet, ſi quod dolore, metu, et ſanguine abundaret idem idcirco triſtius exiſtimaremus, et ad cor molliendum aptius, quid unquam prœlio excogitari poſſet præſtantius; ubi tot leti genera—tantus undique animorum cruciatus et corporum—membra fœde inciſa, et dolore contorta—juvenes alii primo flore ætatis interempti—alii jam prope in articulo mortis, ore, oculis, manibus orantes clementiam—et victores fatali vulnere geſtientes. Hoc autem argumentum, quanquam picturæ omnino conveniat varios corporum et brachiorum flexus iræque et metus indicia exponere, quæ omnia in prœliis ſunt maxima, vix tamen ejuſmodi eſt, ut corda emolliat ſpectantium, et leni perfuſa voluptate dimittat. Quin fidenter hoc dixerim, mentem alicujus vel mediocriter his artibus inſtructi, magis unius viri aut fœminæ fortunis moveri, qualis eſt Ciceronis mors, aut Iphigeniæ ante aram mactatæ, quam ſtrage ac vulneribus multorum millium.

Quod ſi pictura ipſa (in qua multa oculis eodem

tempore ſubjecta mente complecti poſſumus) corrumpitur tamen interdum rerum luctuoſarum multitudine, magis certe in poemate cavendum eſt, ne iſtiuſmodi errore teneamur; quoniam hic ſejungi atque ſeparari partes ipſa rei natura poſtulat, eaſque certo ordine ac ſerie diſpoſitas non uno quaſi obtutu obverſari animo. Unde fit ut non modo perſonarum numero turbemur, ſed altero uſque in alterius locum ſuffecto, quod priori dederis id proximus quis cito arripiat.

Revocet modo aliquis in memoriam prœlia apud ſummos poetas deſcripta, Virgilium dico aut Homerum. Quanquam vulnerum et leti varietas ſit prope infinita, et in quibuſdam maxima vis doloris ſignificetur, nemo tamen ad has partes ſe conferet, quo egregiam eſſe ſcriptoris facultatem edoceat in concitandis affectibus, præſertim iis qui ad lacrymas et lenitatem agunt. Quin Didonem ſtatim, aut Andromachen aut Priamum appellabit, quorum plena ſcilicet narratur fortuna, juſto rerum ac ſententiarum comitatu inſtructa, lociſque ita expoſitis et apertis, ut interiores illos et ſubtiles cogitationum flexus, quos communis non capit hiſtoria, perſequi accurate poſſis.

Sin autem diſertius adhuc quis velit exemplum, quo confuſam rerum atque hominum turbam affectibus impedimento eſſe comprobetur, profecto Lucretianam peſtis illius Athenienſis deſcriptionem adeat, qua nimirum ſummus poeta miſerrimam magnæ urbis conditionem, ſimpliciter ſuo more, at verſu ſatis eleganti depinxit. Ecquem autem magnopere movent illa quantumvis triſtia?

Præterea jam paſtor, et armentarius omnis,
Et robuſtus item curvi moderator aratri,

Languebant, penituſque caſis contruſa jacebant
Corpora, paupertate et morbo dedita morti.
Exanimis pueris ſuper exanimata parentum
Corpora nonnunquam poſſes, retroque videre
Matribus et patribus natos ſuper edere vitam.
Lucret. vi. 1250.

Tantum vero in hujuſmodi re valet, mentem ab univerſo genere ad unum aut paucos revocare, ut vix dubium habeam, quin pervagata iſta Virgilii carmina, quamvis in pecudum modo peſte verſentur, pleroſque lectores vehementius impellant, quam quæ in hominum miſeriis effundit Lucretius.

Labitur infelix, ſtudiorum atque immemor herbæ
Victor equus; fonteſque avertitur, et pede terram
Crebra ferit. *Georg.* iii. 498.

Aut illa de bove moribundo fortaſſe pulchriora,

Ecce autem duro fumans ſub vomere taurus
Concidit, et mixtum ſpumis vomit ore cruorem,
Extremoſque ciet gemitus. It triſtis arator,
Mærentem abjungens fraterna morte juvencum,
Atque opere in medio defixa relinquit aratra.
Georg. iii. 515.

Eodem ferme redit, quod de Silio toties queri ſolemus; nempe eum temporum modo ratione habita, prœlia, et expilatas urbes, et per totam Italiæ regionem devaſtata rura narrare—quarum rerum unicuique ſane ineſt miſerum quiddam et lacrymis dignum; ſed quoniam ordinata ſerie et quaſi catervatim commemorantur, affectu plerumque omni carent.

Quod vero in omni poeſeos genere graviſſimi præcepti vim habet, id certe Scenicis ſcriptoribus præcipuæ cujuſdam auctoritatis eſſe debet. Quippe datur id longo poemati, ut ſubinde de via deflectat ſcrip-

tor, ut breves pro re nata intexat fabulas, ut novis has diſtinguat perſonis, quarum fortunas accuratius interdum exponere licebit. Scenæ autem longe alia eſt ratio: utpote in qua ſimplicem oporteat eſſe fabulam, neque interponi fas ſit aliquid a re præcipua alienum. Neque ſane ab antiquis ſcriptoribus hac ex parte quidquam peccari video. Chori quidem Euripidei lamentatio in Supplicibus, ubi ſeptem matres ſuum quæque deplorant filium, omnino iis quæ modo dicta ſunt fidem addit;

Ἑπτὰ ματέρες, ἑπτὰ κόρυς
Ἐγειναμεθ' αἱ ταλαίπωροι,
Κλεινοτάτυς ἐν Ἀργείοις, &c. *Suppl.* 963.

Diſpares autem Chori eſſe et Dialogi partes nemo neſcit; neque iiſdem illas præceptis dirigi quæ his conveniunt. Attamen ſimul ac poeta eandem rem in ſcena ſpectantibus vult propoſitam, aliam prorſus rationem init: *unam* ſcilicet ex multis ſecernit familiam: patrem, uxorem, filium pro ſuis quemque moribus duros belli caſus plorare, et ſcenam tandem exitu ſatis Tragico claudi facit.

Recentioribus quidem perſæpe id vitio non immerito eſt datum, quod actorum turba ſit moleſta, quod diſſoluta aut multiplex ſit fabula, quod mentem auditoris non perpetuo rerum curſu defixam teneat, ſed levem et inſtabilem huc illuc vagari ſinat. Unam fortaſſe Euripidis fabulam aliquantum hoc de vitio poſtulandam dixerim. Tantus nimirum in fine Phœniſſarum congeritur facinorum et miſeriarum cumulus, tot viri ſunt fœminæque partim ad ultimum fortunæ redacti partim miſere interempti, ut quem prius aut potius doleamus incertum ſit. Creonti nimirum amiſſum filium graviter ploranti ſupervenit nuntius, pri-

mo Polynicis et Eteoclis mutuas cædes narraturus—deinde, Jocaſtæ necem ſua ſibi manu illatam—poſt, Argivorum fugam et cladem—Hinc Œdipi et Antigones alternus dolor, quo infelicem matrem et fratres interfectos proſequuntur et domum funditus everſam—Œdipum autem ipſum mox Creon exilio multat—Polynicis cadaver idem inſepultum foras projici jubet—Denique Antigone miſero patri comitem ſe adjungit, exilii pariter et paupertatis particeps futura.

Minime interea id me fugit, quod pluribus perſonis *eadem calamitate implicitis* licebit uti, modo in unum bene corpus coeant, et ab uno quaſi capite pendeant. Immo potius pulchriorem reddit fabulam et affectu graviorem, in qua exſtet aliquis et emineat princeps, aut rex aut paterfamilias, ſi eodem contineri fato contingat, quos facile quivis cum principe ipſo, ordine quodam ac reſpectu ſervato, conjunget. Neque enim ſic mentem diſtrahi contigit, aut rem in fruſta diſſecari—ſed prout natura voluit, corpori affiguntur membra, et totum quiddam efficitur, partibus apte inter ſe connexis, et concentu quaſi mutuo conſpirantibus.

Hanc autem quæſtionem ne diutius perſequar prohibet inſtituti operis norma, ex qua ſcilicet ſeorſum ſumenda judicavi quæcunque ad prima artis lineamenta pertinere videbantur, legeſque illas ex quibus tota condi debeant atque informari poemata. Quare abſoluta *prima* hac de Affectibus parte, ad ſecundam ſtatim, ſive ad *Sententias* tranſeundum erit.

PRÆLECTIO VICESIMA PRIMA.

Sententiis *probis piiſque moventur admodum Affectus: reſpuunt contrarias. Maxime autem Sententiarum vis augetur ſi juſtum in poemate locum habeant, et argumento inſerviant. Hac prælectione agitur de Sententiis ad Deum pertinentibus.*

QUANDO in iſta jam olim quæſtione verſati ſumus, ut delectationem proprium eſſe Poeticæ finem ſtatueremus, diſerte illud cautum volui, ne quis eam frugis omnino expertem, vel potius non ſummæ auctoritatis eſſe intelligeret in moribus conformandis, et in tota vitæ diſciplina inſtituenda. Quam porro ſententiam tueri ita in animo ſemper fuit, ut voluptatem ipſam quæ ex pulchri et decori ſenſu excolendo percipiatur, quanquam in re fiat a vita et moribus aliena, non levis tamen eſſe momenti confirmarem, ſi mentem a ſtudiis revocare poſſet vulgaribus atque inhoneſtis, eamque ad elegantiora quædam diverti et puro quaſi in fonte lavari aſſueſceret. Non quo homines, ut in his artibus quis fuerit peritior, ita ad vitæ munera exſequenda aptiores eſſe exiſtimem, (complures enim exculto ingenio et doctrina inſignes novimus, qui in muneribus exſequendis plane hoſpites videbantur,) ſed aſperam nimis et feram a natura indolem ita potiſſimum domari—neque harum rerum ſi quis omnino rudis fuerit, eum unquam, in pacata et

florente republica, aut civilibus officiis præclare fungi aut ſuaviſſimo vitæ commercio frui poſſe.

Atque hoc quidem Poeſis cum cæteris pleriſque artibus quæ ingenuæ vocantur commune habet. Quod vero in hac inſtituti operis noſtri parte tractandum ſupereſt, præſtantius quoddam eſt habendum ac plane ſuum. Non enim ea Picturæ aut Muſicæ eſt ratio ut mentem præceptis diſerte imbuant, aut vitæ viam monſtrent. Quæ tamen res adeo in Poetæ munus convenire viſæ ſunt, ut non vulgi modo opinione ſed maximi ſcriptoris judicio homines his primis uſi ſint vitæ magiſtris, et legum civitatumque conditoribus.

> Fuit hæc ſapientia quondam
> Publica privatis ſecernere, ſacra profanis;
> Concubitu prohibere vago, dare jura maritis;
> Oppida moliri, leges incidere ligno.
> Sic honor et nomen divinis vatibus atque
> Carminibus venit. *Art. Poet.* 396.

Quod quidem non modo in literarum ac civitatum primordiis poetæ munus habitum eſt; verum et provectiore humani generis ætate, quum graviſſima quædam Heſiodi carmina Athenis pronuntiare vellet Æſchines, ita eum de hac re locutum fertur. Λέγει γάρ πε [ὁ ποιητὴς] παιδεύων τὰ πλήθη, καὶ συμβελεύων ταῖς πόλεσι, τὲς πονηροὺς τῶν δημαγωγῶν μὴ προσδέχεσθαι. Λέξω δὲ κἀγὼ τὰ ἔπη· διὰ τᾶτο γὰρ οἶμαι ἡμᾶς παῖδας ὄντας τὰς τῶν ποιητῶν γνώμας ἐκμανθάνειν, ἵν' ἄνδρες ὄντες αὐταῖς χρώμεθα. *Æſch. cont. Cteſ.* μγ΄.

Quamobrem haudquaquam miror opinionem iſtam jam olim obtinuiſſe, doctorum etiam aliqua auctoritate munitam, finem nempe eſſe poeticæ arti *ut proſit hominibus.* Quod tamen olim nobis viſum eſt paullo

laxius dici, propterea quod *prodeſſe illud* omnium et artium et ſcientiarum eſſet commune; et proinde ſatius eſt ductum præcepta morum et graves de vita et officiis humanis ſententias ad *inſtrumentum* artis non ad *finem* referre.

Magna proculdubio eſt in poematis præſertim majoribus ἠθικᾶ illius virtus; neque hoc ſi omnino deſit, verſibus vel pulcherrimis diu tenetur animus. Quinimo maxime id hominis naturæ honori eſſe duco, quod ſit modo aliquid pie, probe, benigne, magnifice, ſapienter dictum, erigat ſe ſtatim animus auditoris, —dicto mulceatur aut caleſcat—ſententiam ultro probet—et dicentem favore quodam proſequatur. Contra autem, quæ mentem improbam et vitioſam ſignificant, odio et iniquis auribus etiam improbi excipiunt, et quaſi diſcordia aliqua offenderentur, tota theatra reclamant.

Quoniam igitur hunc in modum mens humana multo ante diſpoſita eſt ac præparata, Poetæ imprimis curæ erit, ne optimæ huic voluntati obſit: deinde, uti eam ſedulo tueatur et colat—ut torpentem reficiat—ut hebetem et pigram acuat, accendat, augeat—ut vagam rudemque informet—juſtis inſtruat conſiliis monitiſque—et ſopitos virtutis igniculos quaſi aura admota ſuſcitet. Hoc autem non recta apertaque diſciplina, philoſophorum more, ſed callide et quaſi per inſidias aggredi oportebit—aut ſubito perſæpe impetu non longa obſidione res agenda eſt. Quod enim via et ratione docebitur, id jam non poema erit ſed præceptoris formula. Sed ſicuti in vita melius exemplis juventutem inſtitui aiunt quam præceptis, ita in carminibus quæcunque ad mores et mentem moderandam pertinent, minime de induſtria dici

videantur, ſed ſponte naſci, et pro re nata efferri: quæ cum gratiam quandam et nitorem fabulæ præbeant, tum et ipſis quoque ex fabula vim novam et pondus comparabunt.

Quantum vero intereſt, utrum didactico quem vocant more hujuſmodi ſententias jejune proferamus, an ut fortunis hominum et ſermonibus immiſceantur operam demus, ſatis in propatulo erit, ſi quis Solonis illius aut Theognidis verſus cum paribus (qualia ſunt bene multa) Homeri aut Euripidis locis conferat. Neque inde jure aliquis objiciat, nos plus æquo huic parti tribuere, quippe quæ, ornamenti modo poetico deſtituatur, vi propria careat: quoniam æque id cæteris quoque poeſeos elementis accidere conſtet, ut mutua ope indigeant, et tum demum perfecta habeantur, ſi ea bene inter ſe coire et juſta quodque in ſede collocari contingat. Quamobrem ſicut in cæteris pertractandis, ita et hic minime religio erit, quo minus exemplis utamur, aliis quoque virtutibus ornatis, modo præ reliquis longe emineat id de quo nunc præſertim quæritur.

Primum igitur in hoc genere ac præcipuum duco, ſi juſtas de *rebus ſacris* ſententias Poeta proferat—ſi de numinis potentia, benignitate, et perpetua in humanis negotiis cura ſancte et verecunde loquatur—ſi Deum vindicta ſua ſceleratos perſequi doceat, miſeris opitulari, ſuperbos dejicere, et ſincera caſtaque mente unice gaudere. His etenim et ſimilibus ſtatim auditis aſſentimur ultro, et jucundo motu incitati, quaſi concentu quodam conſpirant affectus noſtri.

Quare apud veteres, præſertim Græcos, nihil hac religione antiquius eſt habitum. Sexcentis ferme in locis Homerus fatetur omnia ſupremi numinis arbi-

trio pendere, cui uni debet quodcunque habeat boni humanum genus.

Ταύτης τοι γενεῆς τε καὶ αἵματος εὔχομαι εἶναι·
Ζεὺς δ' ἀρετὴν ἄνδρεσσιν ὀφέλλει τε, μινύθει τε
Ὅππως κεν ἐθέλῃσιν· ὃ γὰρ κάρτιστος ἁπάντων.

Il. Υ. 242

Atque hæc quidem Æneas flagrante prœlio hoſti exprobrat, quaſi ſibi nimium fidenti.

Neque aliter Poeta ipſe de Patroclo jam pugnam inituro.

Νήπιος· εἰ δὲ ἔπος Πηληϊάδαο φύλαξεν,
Ἦτ' ἂν ὑπέκφυγε κῆρα κακὴν μέλανος θανάτοιο.
Ἀλλ' αἰεί γε Διὸς κρείσσων νόος, ἠέ περ ἀνδρῶν,
Ὅστε καὶ ἄλκιμον ἄνδρα φοβεῖ, καὶ ἀφείλετο νίκην
Ῥηϊδίως, ὅτε δ' αὐτὸς ἐποτρύνῃσι μάχεσθαι. *Il.* Π. 686.

At neque grandiora uſquam ſunt, neque huic quam tuemur diſciplinæ magis idonea, quam quæ Polydamæ ignavia incenſus effundit Hector, Jovis ille quidem mandato fiſus, et præ hoc auguria et vaticinationes, quibus vulgus capitur, pro nihilo habiturus.

Πολυδάμα, σὺ μὲν ὄκ ἔτ' ἐμοὶ φίλα ταῦτ' ἀγορεύεις·
Οἶσθα καὶ ἄλλον μῦθον ἀμείνονα τόνδε νοῆσαι·
Εἰ δ' ἐτεὸν δὴ τῶτον ἀπὸ σπουδῆς ἀγορεύεις,
Ἐξ ἄρα δή τοι ἔπειτα θεοὶ φρένας ὤλεσαν αὐτοί·
Ὃς κέλεαι Ζηνὸς μὲν ἐριγδούποιο λαθέσθαι
Βουλέων, ἅς τέ μοι αὐτὸς ὑπέσχετο, καὶ κατένευσε·
Τύνη δ' οἰωνοῖσι τανυπτερύγεσσι κελεύεις
Πείθεσθαι· τῶν ὄτι μετατρέπομ' οὐδ' ἀλεγίζω,
Εἴτ' ἐπὶ δέξι' ἴωσι, πρὸς ἠῶ τ' ἠέλιόν τε,
Εἴτ' ἐπ' ἀριστερὰ τοίγε, ποτὶ ζόφον ἠερόεντα.
Ἡμεῖς δὲ μεγάλοιο Διὸς πειθώμεθα βουλῇ,
Ὃς πᾶσι θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισιν ἀνάσσει.
Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. *Il.* M. 231.

Divina ſane ſunt hæc, et fere ſupra captum illius ætatis, nondum luce veritatis donatæ. At quantum inde

ſententiis acceſſerit pondus et gratia, quod ex re et actione oriantur, et perſonæ dicentis optime conveniant, tum facillime quis cernet, ſi ſtatim his perlectis ad Heſiodi quædam in eodem genere carmina ſe conferat. At ſimul cernet, quantum in tali re ipſa vis ac veritas ſententiarum, ſine arte aut fabulæ deliciis, præſtare poterit.

Pari itidem in laude habendus eſt Homerus, quod externas etiam imagines nobiliores fecerit, aliquid prout occaſio ferat inferendo, de numinis cultu ac reverentia, aut invicta poteſtate, aut juſta ejus ob ſcelera mortalium vindicta. Qualia ſunt iſta, in quibus Patrocli currum peſti aquarum comparat, qua longe lateque vaſtantur rura.

Ὡς δ' ὑπὸ λαίλαπι πᾶσα κελαινὴ βέβριθε χθὼν
Ἤματ' ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ
Ζεὺς, ὅτε δή ῥ' ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ,
Οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας,
Ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες. *Il.* Π. 384.

Deinde torrentis vim et fragorem conſueta verſuum majeſtate pergit deſcribere. Neque ſane hoc diſertius ullum novi ἠθικὸν illius exemplum, quod ubique in Homeri poematis elucet; quandoquidem vel ex maximis naturæ miraculis, quæ a cæteris fere ſcriptoribus phantaſiæ modo gratia adhibentur, aliquid ille bonæ frugis elicere amet, quæ ad mentem informandam et purgandos affectus valeat.

Atqui ea præcipuis apud Græcos et Tragicis et Lyricis ſcriptoribus communis eſt laus, ut ſummam Dei reverentiam et metum profiteantur.

Ἐκ θεῶν γὰρ μαχαναὶ πᾶ-
σαι βροτέαις ἀρεταῖς,

Καὶ σοφοὶ, καὶ χερσὶ βιατᾷ, περίγλωσσοί τ' ἔφυν. *Pyth.* i. 79.

Neque Pindaro quidquam eſt uſitatius, quantumvis æſtu ingenii abrepto, quam ut debitos numini honores reddat. Hinc omnium ducit principium : huc refert exitum. Hinc oritur quodcunque eſt mortalibus boni : hinc piorum præmia, et non dubiæ improborum pœnæ.

Θεὸς ἅπαν ἐπὶ ἐλπίδεσσι τέκμαρ ἀνύεται·
Θεὸς, ὃ καὶ πτερόεντα
Ἀετὸν κίχεν, καὶ θαλασσαῖον παραμείβεται,
Δελφῖνα· καὶ ὑψιφρόνων τίν' ἔκαμψε
Βροτῶν, ἑτέροισι δὲ
Κῦδος ἀγήραον παρέδωκ'. *Pyth.* ii. 89.

Enimvero nobiliſſimi verſus de Ætna Typhœo ſuperimpoſita virtutem illam Homericam omnino præ ſe ferunt, nempe ut fabulis et deſcriptionibus, ſuapte natura pulcherrimis, aliquid ſedulo intexat quod ad mores et affectus pertinet. Quemadmodum monſtro illi ſpecioſo hunc aditum parat :

Ὅσσα δὲ μὴ πεφίληκε
Ζεὺς, ἀτύζονταν βοὰν
Πιερίδων ἀΐοντα
Γᾶν τε καὶ πόντον κατ' ἀμαιμάκετον. *Pyth.* i. 25.

Et poſt perfectam ignivomi montis imaginem, eodem illico ſe recipit ;

Εἴη, Ζεῦ, τὶν εἴη ἀνδάνειν. *Ib.* 56.

Complura in animo erat ex Tragicis proferre, quo hujuſce capitis vim et pulchritudinem manifeſtam facerem ; ſed ne in re nimis nota longior fiam, duobus modo exemplis propoſitis cætera memoriæ veſtræ

ſatius permiſſa judicavi. Alterum eſt in Euripidis Troadibus, ubi Hecuba ad ultimum miſeriæ adacta his vocibus ſupremum Jovem invocat.

Ὦ γῆς ὄχημα, κἀπὶ γῆς ἔχων ἕδραν,
Ὅστις ποτ' εἶ σὺ δυστόπαστος εἰδέναι
Ζεὺς, εἴτ' ἀνάγκη φύσεως, εἴτε νοῦς βροτῶν,
Προσηυξάμην σε· πάντα γὰρ δι' ἀψόφου
Βαίνων κελεύθου, κατὰ δίκην τὰ θνήτ' ἄγεις.
Eur. Troad. 884.

Ecquid autem illo ſublimius Δι' ἀψόφου βαίνων κελεύθου, quo divinæ juſtitiæ ſecretum et ſilens iter ſignificavit!

Alterum vero, quod ſeras a ſcelerato capite pœnas divinitus ſumptas exprimit, ab Eumenidum choro canitur. Nempe magnifica utens allegoria impium aperto pelago fluctibus vexatum perhibet, nave fracta et laceratis velis, ventis ludibrium datum: quem ideo fati laqueis irretitum et fruſtra opem invocantem ridet Deus, et tandem juſtiſſimo multat exitio.

Δίκαιος ὢν οὐκ ἄνολβος ἔσται·
Πανώλεθρός γ' ἔ ποτ' ἂν γένοιτο.
Τὸν ἀντίτολμον δὲ φαμὶ παραιβάταν
Τὰ πόλλα παντόφυρτ' ἄγοντ' ἄνευ δίκης,
Βιαίως ξὺν χρόνῳ καθήσειν,
Λαῖφος ὅτ' ἂν λάβῃ πόνος
Θραυομένας τε κεραίας.
Καλεῖ δ' ἀκόντας οὐ-
δὲν, ἐν μέσᾳ δυσπαλεῖ τε δίνᾳ·
Γελᾷ δ' ὁ δαίμων ἐπ' ἀνδρὶ θερμῷ,
Τὸν οὐκέτ' αὐχοῦντ' ἰδὼν ἐν ἀμηχάνοις
Δύας λεπάδνοις, οὐδ' ὑπερθέοντ' ἄκραν.
Δι' αἰῶνος δὲ τὸν πρὶν ὄλβον
Ἕρματι προσβαλὼν δίκας
Ὤλετ' ἄκλαυστος, ἄϊστος. *Æſch. Eum.* 548.

Quanquam hæc ſatis ſuperque exiſtiment plerique, at tali argumento ipſe mihi defuiſſe plane videbor, niſi hymnum illum Cleanthis attulero, tanquam exemplar in hoc genere, quo nihil humanum effudit ingenium ſublimius.

Κύδιστ' ἀθανάτων, πολυώνυμε, παγκρατὲς αἰεὶ
Ζεῦ, φύσεως ἀρχηγὲ, νόμου μέτα πάντα κυβερνῶν,
Χαῖρε· σὲ γὰρ πάντεσσι θέμις θνητοῖσι προσαυδᾶν.
Ἐκ σοῦ γὰρ γένος ἐσμὲν, ἰῆς μίμημα λαχόντες
Μοῦνον, ὅσα ζώει τε καὶ ἕρπει θνήτ' ἐπὶ γαῖαν.
Τῷ σε καθυμνήσω, καὶ σὸν κράτος αἰὲν ἀείσω.
Σοὶ δὴ πᾶς ὅδε κόσμος ἑλισσόμενος περὶ γαῖαν
Πείθεται, ᾗ κεν ἄγῃς, καὶ ἑκὼν ὑπὸ σεῖο κρατεῖται.
Τοῖον ἔχεις ὑποεργὸν ἀνικήτοις ἐνὶ χερσὶν
Ἀμφήκη, πυρόεντα, ἀειζώοντα κεραυνόν.
Τοῦ γὰρ ὑπὸ πληγῇς φύσεως πάντ' ἐρρίγασιν,
Ὧ σὺ κατευθύνεις κοινὸν λόγον, ὃς διὰ πάντων
Φοιτᾷ, μιγνύμενος μεγάλοις μικροῖς τε φάεσσιν.
Ὅς τόσσος γεγαὼς ὕπατος βασιλεὺς διὰ παντὸς.
. . . . . .
Οὐδέ τι γίγνεται ἔργον ἐπὶ χθονὶ σοῦ δίχα, δαῖμον,
Οὔτε κατ' αἰθέριον θεῖον πόλον, οὔτ' ἐνὶ πόντῳ,
Πλὴν ὁπόσα ῥέξουσι κακοὶ σφετέρῃσιν ἀνοίαις·
Ἀλλὰ σὺ καὶ τὰ περισσὰ ἐπίστασαι ἄρτια θεῖναι,
Καὶ κοσμεῖς τὰ ἄκοσμα, καὶ οὐ φίλα σοὶ φίλα ἐστίν.
Ὧδε γὰρ εἰς ἓν ἅπαντα συνήρμοκας ἰσθλὰ κακοῖσιν,
Ὥσθ' ἕνα γίγνεσθαι πάντων λόγον αἰὲν ἐόντα,
Ὃν φεύγοντες ἐῶσιν, ὅσοι θνητῶν κακοί εἰσι,
Δύσμοροι, οἵτ' ἀγαθῶν μὲν ἀεὶ κτῆσιν ποθέοντες,
Οὔτ' ἐσορῶσι θεοῦ κοινὸν νόμον, οὔτε κλύουσιν,
Ὧ κεν πειθόμενοι σὺν νῷ βίον ἐσθλὸν ἔχοιεν.
Αὐτοὶ δ' αὖ ὁρμῶσιν ἄνευ καλοῦ ἄλλος ἐπ' ἄλλα,
Οἱ μὲν ὑπὲρ δόξης σπουδὴν δυσέριστον ἔχοντες,
Οἱ δ' ἐπὶ κερδοσύνας τετραμμένοι οὐδενὶ κόσμῳ,
Ἄλλοι δ' εἰς ἄνεσιν, καὶ σώματος ἡδέα ἔργα,
Σπεύδοντες μάλα πάμπαν ἐναντία τῶνδε γενέσθαι.

Ἀλλὰ Ζεῦ πάνδωρε, κελαινεφὲς, ἀρχικέραυνε,
Ἀνθρώπους ῥύοιο ἀπειροσύνης ἀπὸ λυγρῆς,
Ἣν σὺ, πάτερ, σκέδασον ψυχῆς ἄπο, δὸς δὲ κυρῆσαι
Γνώμης, ᾗ πίσυνος σὺ δίκης μέτα πάντα κυβερνᾷς,
Ὄφρ' ἂν τιμηθέντες ἀμειβώμεσθά σε τιμῇ,
Ὑμνοῦντες τὰ σὰ ἔργα διηνεκὲς, ὡς ἐπέοικε
Θνητὸν ἐόντ'· ἐπεὶ οὔτε βροτοῖς γέρας ἄλλο τι μεῖζον,
Οὔτε θεοῖς, ἢ κοινὸν ἀεὶ νόμον ἐν δίκῃ ὑμνεῖν.

Pauca interea de Latinis dicenda ſunt qui argumentum idem attigere. Ex his autem præter Horatium et Virgilium neminem Græcis comparandum habemus. Profecto quam bene hæc res lyræ conveniat non ignoravit Horatius, ſed vix unum ejus aut alterum invenio quod ad Pindari majeſtatem aſſurgit. Virgilio ſuus ſemper conſtat honor (aliquanto fortaſſe Homero minor); nempe qui iſta virtute imprimis polleat ut ſententias de rebus divinis apte collocet, ubi et gratiam addere poemati poſſint, et ipſæ lectorem majore vi feriant.

Saxum ingens volvunt alii, radiiſque rotarum
Diſtricti pendent: ſedet, æternumque ſedebit,
Infelix Theſeus; Phlegyaſque miſerrimus omnes
Admonet, et magna teſtatur voce per umbras,
Diſcite juſtitiam moniti, et non temnere Divos.
Æn. vi. 616.

Quem quidem verſum ſi quis legeret in μονοστίχοις illis quæ Pythagoreorum nomine circumferuntur, vix aut ne vix quidem memoriæ infigendum putaret. Optime itidem quæ in principio orationis coram Didone habitæ Ilioneus poſuit, his quæ ſequuntur ſtruunt viam.

Si genus humanum, et mortalia temnitis arma,
At ſperate Deos memores fandi atque nefandi.
Æn. i. 542.

Apud Romanos vero jampridem graſſari cœperat, fœcunda illa genetrix et fons mali, quæ ex Epicuri hortis prodiit philoſophia; cui ſcilicet unice propoſitum eſſet, ut omnem ex animo numinis reverentiam et futuræ vitæ ſpem radicitus evelleret. Quam quidem opinionem jam antea perſtringere viſum eſt in Lucretii poemate expendendo; eamque non magis cum veritate pugnare dictum eſt, quam præſtantiſſimis Poeſeos legibus obeſſe. Perlegat vero aliquis ſtultam illam Lucani impietatem, modo exemplum altera ex parte velit, quo Virgilii in his rebus prudentiam illuſtriorem reddat. Quippe ita de ſeipſo Catonem loqui fecit.

Summum Brute nefas civilia bella fatemur:
Sed quo fata trahunt, virtus ſecura ſequetur.
Crimen erit ſuperis et me feciſſe nocentem.
Pharſ. ii. 254.

Iterumque in ſeptimo Pharſaliæ Deos vix dignos dicere audet, quos ſupplex precibus ſuis Pompeius adeat[a].

Diverſis profecto ex fontibus impuros hoſce hauſtus tuliſſe Lucretium atque Lucanum, ſatis conſtat. Neque id nobis nunc operæ dandum eſt, ut dogmata eorum falſi arguamus. Sit ſatis edocuiſſe ea poeticæ arti omnino eſſe contraria, utpote quæ a communi hominum ſenſu abhorreant.

Magnorum interea Poetarum teſtimonio uti non injucundum erit, qui ſe ex his erroribus vindicatos in pietatis viam rediiſſe ratione victos fatentur.

Sæpe mihi dubiam traxit ſententia mentem,
Curarent Superi terras, an nullus ineſſet

[a] L. 657.

Rector, et incerto fluerent mortalia casu.
Nam cum dispositi quæsissem fœdera mundi,
Præscriptosque mari fines, annisque meatus,
Et lucis noctisque vices; tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei, qui lege moveri
Sidera, qui fruges diverso tempore nasci,
Qui variam Phœben alieno jusserit igne
Compleri, Solemque suo; porrexerit undis
Littora; tellurem medio libraverit axe.
Sed cum res hominum tanta caligine volvi
Adspicerem, lætosque diu florere nocentes,
Vexarique pios; rursus labefacta cadebat
Relligio, cassæque viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quæ currere semina motu
Affirmat, magnumque novas per inane figuras
Fortuna, non arte, regi: quæ Numina sensu
Ambiguo vel nulla putat, vel nescia nostri.
Abstulit hunc tandem Rufini pœna tumultum,
Absolvitque Deos. Jam non ad culmina rerum
Injustos crevisse queror: tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant. *Claud. in Ruf.* i. 1.

Hoc nimirum exordio usus Claudianus, perpulchro sane atque omni laude cumulando, (nisi quod unum illud audacius æquo sit dictum 'Absolvitque Deos,') deinde ad rem præcipuam, Rufini scilicet ruinam, celebrandam ingreditur.

Horatii autem eodem spectat Ode illa sincero animi ardore et summa erga Deum pietate insignis, qua prælectionem hanc, præter morem et consilium nostrum longiorem, jam tandem claudi præstabit.

Parcus Deorum cultor et infrequens,
Insanientis dum sapientiæ
Consultus erro; nunc retrorsum
Vela dare, atque iterare cursus
Cogor relictos. Namque Diespiter
Igni corusco nubila dividens

Plerumque per purum tonantes
Egit equos volucremque currum.
Quo bruta tellus, et vaga flumina,
Quo Styx, et inviſi horrida Tænari
Sedes, Atlanteuſque finis
Concutitur. Valet ima ſummis
Mutare, et inſignem attenuat Deus,
Obſcura promens. Hinc apicem rapax
Fortuna cum ſtridore acuto
Suſtulit: hic poſuiſſe gaudet. *Lib.* i. *Od.* 34.

PRÆLECTIO VICESIMA SECUNDA.

Sententiæ *definitiones variæ. Ad duo omnino genera videntur referendæ. Primi generis ſunt eæ quæ ſola* veritate *valent: ut de humanarum rerum vanitate—de mediocritate fortunæ—de privati otii commodis.*

DIVERSO interdum ſenſu apud optimos ſcriptores intelligitur, licet uno nomine appelletur Sententia; nempe quæ a nonnullis ad omnia pariter refertur quæ aut cogitationes aut ſenſus internos aut judicium mentis de unaquaque re explicant. Alii rurſus ea tantum Sententiarum titulo dignantur, quæ fugiendum aliquod aut petendum in vita prædicant. Hoc autem genus apud Græcos ſcriptores γνώμη dicitur: illud alterum διάνοια appellari ſolet; cujus quidem partes eſſe in Poeticis diſerte docet Ariſtoteles ‘tum obſcura demonſtrare et adverſantia diſ-‘ſolvere, tum affectus movere, ut miſericordiam, ‘metum, iram et id genus alia: tum porro ampli-‘ficare exilia, magna diminuere.’ *Poet. c.* 19.

Nobis autem eos huic rei fines decernere viſum eſt, ut neque omnia complecti intelligatur quæ διανοίᾳ tribuuntur, neque ita in arctum concludi poſſit, ut nihil præter γνώμην admittat. Præcipuas enim et

proprias affectus movendi partes procul ab hujus natura abeſſe arbitror, certe a nobis ſeorſum ſumendæ videbantur: quæ vero ad demonſtrandum et confutandum pertinent, non ea quidem ab arte Poetica aliena eſſe duco, ſed cum Dialectica potius aut Rhetorica magis conjungi: quibus nimirum ex diſciplinis facultatem quæri oportebit rem diſerte explicandi, ſubtiliter diſtinguendi, partem quam tuemur argumentis muniendi.

Scriptorem interea ad Herennium præcipue auctorem ſequor, qui Sententiam eſſe ait, *orationem ſumptam de vita, quæ aut quid ſit, aut quid eſſe oporteat in vita, breviter oſtendit.* [iv. 24.] Tantum illud adjectum velim, ut quæ *mores dicentis exprimant* pro Sententiis item habeamus, quamvis ea quæ dicentur neque ita ſemper *eſſe* in vita conſtet, neque *eſſe oportere.*

Unde duo omnino genera eſſe ſententiarum efficitur: unum eorum quæ *veritate* ſola, alterum quæ *pulchritudine valent aut probitate.* Illis itaque tanquam vere dictis aſſentimur; has non niſi affectu quodam imbuti comprobamus.

Superioris quidem generis rarior apud antiquiſſimos poetas eſt uſus; utpote qui mediis plerumque in rebus verſantur, ubi ſemper agere aliquid aut pati finguntur homines, monere, hortari, jubere, petere, deprecari; ut quas ſententias aliquis dicendo efferat, eas a re atque perſona avellere nequeas. Neque enim rudi ſeculo conveniebat in quæſtiones infinitas excurrere, et quæ ad univerſum hominum genus pertinent philoſophorum more efferre. Quamobrem in eo genere ſententiarum fere omnis vertitur Homerus, quod ad mores dicentis declarandos ſpectat. Provectioris

multo ætatis erat, ejuſque jam artibus ingenuis et philoſophia excultæ, de vita et conditione hominum ſententias graves, nulla actione commendatas, carminibus intexere.

Harum autem vim ecquis negabit eſſe eximiam, cui Pindari aut Tragœdorum opera patent? Quem non movent iſta quæ fortunam inſtabilem et inanes noſtras ſpes ac ſtudia conqueruntur?

Αἴ γε μὲν ἀνδρῶν
Πόλλ' ἄνω, ταὶ δ' αὖ κάτω
Ψεύδη μεταμώνια τέμνοισαι, κυλίνδοντ' ἐλπίδες.
Σύμβολον δ' οὔ πώ τις ἐπιχθονίων
Πιστὸν ἀμφὶ πράξιος ἐσσομένας εὗρεν θεόθεν.
Τῶν δὲ μελλόντων τετύφλωνται φράδαι.
Πολλὰ δ' ἀνθρώποις παρὰ γνώμαν ἔπεσεν,
Ἔμπαλιν μὲν τέρψιος· οἱ δ', ἀνιαραῖς
Ἀντικύρσαντες ζάλαις,
Ἐσλὸν βαθὺ πήματος ἐν μικρῷ πεδάμειψαν χρόνῳ. *Ol.* xii. 6.

Tum quæ ſeveriora adhuc quaſi impetu animi abreptus profert;

Ἐν δ' ὀλίγῳ
Βροτῶν τὸ τερπνὸν αὔξεταί· οὕτω
Δὲ καὶ πιτνεῖ χαμαὶ, ἀποτρόπῳ
Γνώμᾳ σεσεισμένον.
Ἐπάμεροι. τί δέ τις; τί δ' οὔ τις;
Σκιᾶς ὄναρ, ἄνθρωποι. *Pyth.* viii. 131.

Gravior quædam et ſublimior eſt Caſſandræ ſententia in Agamemnone, quum citam malorum oblivionem etiam magis deflendam prædicat quam fortunæ fragilitatem.

Ἰὼ βρότεια πράγματ'· εὐτυχοῦντα μὲν
Σκιά τις ἀντρέψειεν· εἰ δὲ δυστυχῆ,
Βολαῖς ὑγρώσσων σπόγγος ὤλεσε γραφήν.
Καὶ ταῦτ' ἐκείνων μᾶλλον οἰκτείρω πολύ.

Æsch. Agam. 1338.

Certe his et hujuſmodi locis gratia quædam ineſt, licet triſtitiam præ ſe ferant et querimoniam. At prudenti opus erit judicio, ut juſtum teneant locum, et non arceſſita, non diſſita, ſed ſua ſponte ex re et occaſione naſci videantur. Etenim quæ meros effundunt queſtus neque moribus cujuſquam accommodatos, neque argumento carminis utiles, licet pulcherrime ſcripta fuerint, tanquam odioſa et a mente profecta ægra et moroſa rejiciuntur.

Quorſum enim evadunt iſta Mimnermi de vitæ brevitate et ſenectutis moleſtiis!

Ἡμεῖς δ' οἷά τε φύλλα φύει πολυάνθεμος ὥρη
Ἔαρος, ὅτ' αἶψ' αὐγὴ αὔξεται ἠελίου,
Τοῖς ἴκελοι, πήχυιον ἐπὶ χρόνον ἄνθεσιν ἥβης
Τερπόμεθα, πρὸς θεῶν εἰδότες ὅτε κακὸν,
Οὔτ' ἀγαθόν. Κῆρες δὲ παρεστήκασι μέλαιναι,
Ἡ μὲν ἔχουσα τέλος γήραος ἀργαλέου,
Ἡ δ' ἑτέρη θανάτοιο. μίνυνθα δὲ γίνεται ἥβης
Καρπὸς, ὅσον τ' ἐπὶ γῆν κίδναται ἠέλιος.
Αὐτὰρ ἐπεὶ δὴ τοῦτο τέλος παραμείψεται ὥρης,
Αὐτίκα τεθνάναι βέλτιον, ἢ βίοτος.
Πολλὰ γὰρ ἐν θυμῷ κακὰ γίνεται, ἄλλοτε δ' οἶκος
Τρυχοῦται, πενίης δ' ἔργ' ὀδυνηρὰ πέλει.
Ἄλλος δ' αὖ παίδων ἐπιδεύεται, ὧν τε μάλιστα
Ἱμείρων κατὰ γῆς ἔρχεται, εἰς Ἀΐδην·
Ἄλλος νοῦσον ἔχει θυμοφθόρον, οὐδέ τις ἐστὶν
Ἀνθρώπων, ᾧ Ζεὺς μὴ κακὰ πολλὰ διδῷ.

Mimnerm. in Brunck. Anthol. I. p. 60.[a]

[a] Vide etiam Poſidippi Epigramma ſatis elegans in eadem re. *Gnom. Poet. Brunck.* p. 135.

Neque elegantia carminibus deeſt, neque ſententiis veritas: ſed longe alio ſenſu hæc dicta eſſe opinor, atque illa quæ inter præcepta de pecudum cura interjecit Virgilius; et quæ ſignificant potius mentem poetæ miſera ſorte tangi mortalium, quam ad inanes queſtus proclivem ferri.

> Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi
> Prima fugit: ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus:
> Et labor, et duræ rapit inclementia mortis.
>
> *Georg.* iii. 66.

Quinetiam ſumma illa qua ubique utitur verecundia Virgilium non prohibet, quo minus in graviſſimo rerum diſcrimine, ipſe vocem tollat, et ſocordiam et cæcitatem humanam defleat.

> Neſcia mens hominum fati ſortiſque futuræ,
> Et ſervare modum, rebus ſublata ſecundis!
> Turno tempus erit, magno cum optaverit emptum
> Intactum Pallanta, et cum ſpolia iſta diemque
> Oderit!

Majorem adhuc vim habebunt quæ de ſorte humana dicentur, ſi cum actione in unum coeant, et mores principis alicujus viri illuſtriores reddant. Quemadmodum illa Sarpedonis, quibus Glaucum ad pugnam fortiter capeſſendam acuit.

> Ὦ πέπον, εἰ μὲν γὰρ πόλεμον περὶ τόνδε φυγόντες,
> Αἰεὶ δὴ μέλλοιμεν ἀγήρω τ' ἀθανάτω τε
> Ἔσσεσθ', ὅτε κεν αὐτὸς ἐνὶ πρώτοισι μαχοίμην,
> Οὔτε κέ σε στέλλοιμι μάχην ἐς κυδιάνειραν·
> Νῦν δ' ἔμπης γὰρ κῆρες ἐφεστᾶσιν θανάτοιο
> Μυρίαι, ἃς οὐκ ἔστι φυγεῖν βροτὸν, οὐδ' ὑπαλύξαι,
> Ἴομεν, ἠέ τῳ εὖχος ὀρέξομεν, ἠέ τις ἡμῖν. *Il.* M. 322.

Verum hanc argumenti partem, quæ cum moribus

dicentis conjungitur, copioſius perſequendi tempus aliud magis idoneum dabitur.

Multi interea ſunt in hac re Tragœdi veteres: quum et luctuoſas res deceat quodammodo hæc ſortis humanæ æſtimatio, et in maximis miſeriis effundi talia, nimis alioqui ſevera, non ſit inhumanum.

Τὰ θνητὰ δ' ὰ νῦν πρῶτον ἡγοῦμαι σκιάν·
Οὐδ' ἂν τρέσας εἴποιμι, τοὺς σοφοὺς βροτῶν
Δοκοῦντας εἶναι, καὶ μεριμνητὰς λόγων,
Τούτους μεγίστην μωρίαν ὀφλισκάνειν.
Θνητῶν γὰρ οὐδεὶς ἐστὶν εὐδαίμων ἀνήρ·
Ὄλβου δ' ἐπιῤῥύεντος, εὐτυχέστερος
Ἄλλου γένοιτ' ἂν ἄλλος, εὐδαίμων δ' ἂν οὔ. *Eur. Med.* 1224.

Hæc ſcilicet poſt narratam Glaucæ et Creontis perniciem ſubjungit nuncius; et in ſimili fere fortuna miſerum familiæ ſuæ fatum Electra lugens in hujuſmodi lamenta prorumpit:

Ἰὼ, ἰὼ, πανδάκρυτ' ἐφαμέρων ἔθνη
Πολύστονά τε δὴ καὶ πολύπονα, λεύσσεθ', ὡς παρ' ἐλπίδα
Μοῖρα βαίνει·
Ἕτερα δ' ἑτέροις ἀμείβεται
Πήματ' ἐν χρόνῳ μακρῷ,
Βροτῶν δ' ὁ πᾶς ἀστάθμητος αἰών. *Oreſt.* 973.

Mille adferri poſſent ex Euripide et Sophocle exempla, quæ in eodem argumento verſantur; quod tametſi novi nihil habeat in ſe aut ſpecioſi, quoties tamen apte collocatur, paullulum modo verbis aut imaginum delectu immutatum, tacita quadam voluptate perſtringit animum. Quod quidem tum præſertim fiet, ſi quando ad conſolationis aut conſilii partes adhibeatur: quale eſt illud Theſei in Supplicibus, ubi Præconi Thebano de mortuorum ſepultura reſpondet.

Ἐάσατ' ἤδη γῇ καλυφθῆναι νεκρούς.
Ὅθεν δ' ἕκαστον εἰς τὸ σῶμ' ἀφίκετο,

Ἐνταῦθ' ἀπῆλθε, πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα,
Τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν· ὅτι γὰρ κεκτήμεθα
Ἡμέτερον αὐτὸ πλὴν ἐνοικῆσαι βίον.
Κἄπειτα τὴν θρέψασαν αὐτὸ δεῖ λαβεῖν. *Suppl.* 531.

et poſt paullo;

Ἀλλ' ὦ μάταιοι γνῶτε τἀνθρώπων κακά.
Πάλαισμά θ' ἡμῶν ὁ βίος, εὐτυχοῦσι δὲ
Οἱ μὲν τάχ', οἱ δ' ἐσαῦθις, οἱ δ' ἤδη βροτῶν.
. . . . . .
. . . . . γνόντας ἓν χρεὼν τάδε
Ἀδικουμένους τε, μέτρια μὲν θυμῷ φέρειν,
Ἀδικεῖν τε τοιαῦθ', οἷα μὴ βλάψαι πόλιν. *Suppl.* 549.

His itidem Horatii verſibus (cui ſæpius eandem rem tractare contigit) non minimum inde acceſſit gratiæ, quod ſolatii magis rationem habent quam querimoniæ aut doloris.

Fortuna ſævo læta negotio, et
Ludum inſolentem ludere pertinax,
Tranſmutat incertos honores
Nunc mihi, nunc alii benigna.
Laudo manentem: ſi celeres quatit
Pennas, reſigno quæ dedit, et mea
Virtute me involvo, probamque
Pauperiem ſine dote quæro. *Hor. Od.* iii. 49.

Quo quidem in genere præſtantius nihil novi quam ſenarios aliquot Menandri, ſimplices illos et apertos, fere ad colloquii normam effictos.

Εἰ γὰρ ἐγένου σὺ, Τρόφιμε, τῶν πάντων μόνος,
Ὅτ' ἔτικτεν ἡ μήτηρ σ', ἐφ' ᾧ γε διατελεῖν
Πράττων ἃ βούλει, καὶ διευτυχῶν ἀεὶ,
Καὶ τοῦτο τῶν θεῶν τις ὡμολόγησέ σοι,
Ὀρθῶς ἀγανακτεῖς· ἔστι γάρ σ' ἐψευσμένος,
Ἄτοπόν τε πεποίηκ'· εἰ δ' ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς νόμοις,
Ἐφ' οἵσπερ ἡμεῖς, ἔσπασας τὸν ἀέρα
Τὸν κοινὸν, ἵνα σοί τι τραγικώτερον λαλῶ,

Οἰστέον ἄμεινον ταῦτα καὶ λογιστέον.
Τὸ δὲ κεφάλαιον τῶν λόγων· ἄνθρωπος εἶ,
Οὗ μεταβολὴν θᾶττον πρὸς ὕψος, καὶ πάλιν
Ταπεινότητα, ζῶον ἁδὲν λαμβάνει·
Καὶ μάλα δικαίως. ἀσθενέστερον γὰρ ὂν
Φύσει, μεγίστοις οἰκονομεῖται πράγμασιν·
Ὅταν πέσῃ δὲ, πλεῖστα συντρίβει καλά.

Menand. Fragm. p. 258. *Cleric.*

Dictum enimvero eſt ſententias haſce non nimis præ novitate auditores tenere, quoniam, modo attentius quis inquirat, ſæpe eandem rem ſibi in mentem veniſſe fatebitur. Attamen ea eſt rerum humanarum ratio, ut raro in has cogitationes ſe convertat animus. Alia nobis inter agendum, alia nihil agentibus placent. Aliter negotiis impliciti et ſtudio ardentes, aliter otio diffluentes et curis vacui judicamus. Quod profecto ni ita eſſet, vix ad vitæ munera exſequenda ſuppeterent animi atque vires. Hinc autem fit, ut quoties fabula bene morata aut poetarum ſententiis revocamur ad hæc quietæ mentis judicia, falſa quodammodo pro veris mutare, certe ab opinione ſordida ac vulgari ad meliorem frugem reverſi eſſe videmur.

Quamobrem a Virgiliano illo

Aude, hoſpes, contemnere opes,

quemlibet his artibus idoneum etiam atque etiam legentem delectari poſſe opinor, et ſenſu quodam divino impleri; quanquam ab uſitata oratione vix recedat, et præcepti rationem habeat ab uſu quotidiano parum abhorrentis.

Hinc etiam evenit, ut quoties in mediocris vitæ laudes ſe conferant poetæ, benigne eos excipere ſoleamus, et dulcedine quadam capti comprobare. Simplicem enim et inornatam veritatem intueri placet, quæ in negotiis adminiſtrandis cupidos nimis et ſoli-

citos mortalium animos fugit. Quare ſic ex aperto pelago ad portum quaſi delati videmur, et facie rerum mulcemur tranquilliore.

Hunc igitur locum maxime in deliciis habuerunt omnis ævi poetæ. Huc ſe millies recipit Horatius, haud ſane dubius, quin parem alii voluptatem legentes capiant, atque ipſe inter cogitandum cepiſſet.

Nihil ſupra
Deos laceſſo, nec potentem amicum
Largiora flagito,
Satis beatus unicis Sabinis. *Od.* ii. 18, 11.

Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in menſa tenui ſalinum;
Nec leves ſomnos timor aut cupido
Sordidus aufert. *Od.* ii. 16, 13.

Eandem in ſententiam Pindari plectrum ſuave ac ſeverum ſonat.

Εἴη μή ποτέ μοι τοι-
οῦτον ἦθος, Ζεῦ πάτερ· ἀλλὰ κελεύθοις
Ἁπλόαις ζωᾶς ἐφαπτοίμαν, θανὼν ὡς
Παισὶ κλέος μὴ τὸ δύσφαμον προσάψω.
Χρυσὸν εὔχονται, πεδίον δ' ἕτεροι
Ἀπέραντον· ἐγὼ δ' ἀστοῖς ἀδὼν καὶ
Χθονὶ γυῖα καλύψαι-
μ', αἰνέων αἰνητὰ, μομ-
φὰν δ' ἐπισπείρων ἀλιτροῖς. *Nem.* viii. 59.

Mitto jam illas, ut nemini non notas, ruſticæ vitæ laudes, a Virgilio pulcherrime deſcriptas, quas quidem mediocri vitæ conditioni non minus accommodari voluit, quam ruris quieti. Verum hic etiam, quæ prius dicta ſunt animadverti licet; magis ſcilicet nos moveri, ſi quando obiter et quaſi rem aliam agens ſcriptor fabulam his ſententiis aut perſonam aliquam diſtinguat, quam ſi dedita opera in eas ſe

effundat. Quemadmodum ille Corycii ſenis tranquillitatem adumbrat,

Regum æquabat opes animis.

Quodcunque enim ſic ſcriptum fuerit, ei et major fides habebitur, et libentius patebunt affectus, quam ubi poeta ipſe prorumpit in humillimæ ſortis laudationem.

O vitæ tuta facultas
Pauperis, anguſtique lares! O munera nondum
Intellecta Deum! *Pharſ.* v. 527.

Quibus nimirum tragœdiis proſequitur Lucanus virum nullam ob rem memoratu dignum, niſi quod in caſa habitaret paupere atque anguſta.

Etiam illa Tibulli, quamvis naturæ veritatem præ ſe ferant, mihi tamen minus placent, quia rem videntur ultra fidem urgere, et conſuetam potius artis formulam quam ſinceræ mentis judicium referre.

Quam potius laudandus hic eſt, quem prole parata
Occupat in parva pigra ſenecta caſa.
Ipſe ſuas ſectatur oves, at filius agnos;
Et calidam feſſo comparat uxor aquam.
Sic ego ſim, liceatque caput candeſcere canis,
Temporis et priſci facta referre ſenem.
Tibull. Eleg. lib. i. 10, 39.

Atqui regem curis miſere vexatum facile crediderim in hæc efferri poſſe, quæ Agamemnoni de filia Iphigenia ſolicito tribuuntur:

Ζηλῶ σε, γέρον,
Ζηλῶ δ' ἀνδρῶν ὃς ἀκίνδυνον
Βίον ἐξεπέρασ' ἀγνὼς, ἀκλεής.
Τὰς δ' ἐν τιμαῖς ἧσσον ζηλῶ. *Iph. in Aul.* 16.

et mox ingruente malo,

Ἡ δυσγένεια δ' ὡς ἔχει τι χρήσιμον;
Καὶ γὰρ δακρῦσαι ῥᾳδίως αὐτοῖς ἔχει,

Ἀνολβά τ' εἰπεῖν. τῷ δὲ γενναίῳ φύσιν
Ἅπαντα ταῦτα, προστάτην γε τῆ βίᾳ
Τὸν δῆμον ἔχομεν, τῷ τ' ὄχλῳ δεδεύομεν. *Iph. in Aul.* 446.

Maximi idcirco refert ut ne factæ videantur in hoc genere et quæsitæ sententiæ; tum ne fidem exsuperent; postremo ne in communia nimis et usu contrita excurrant ornamenti causa, quod nonnihil etiam de fide detrahit. Quale est illud Senecæ, mediam scilicet fortunam Icari exemplo commendantis.

Gnossium regem timens
Astra dum demens petit,
Artibus fisus novis,
Certat et veras aves
Vincere, ac falsis nimis
Imperat pennis puer,
Nomen eripuit freto.
Callidus medium senex
Dædalus librans iter
Nube sub media stetit,
Alitem exspectans suam. *Sen. Œd.* 892.

Contra venustissimo Catulli carmini, quo villam suam ex itinere prospectans salutat, maximam inde vim puto et gratiam accedere, quod ab imo pectore quæ dicta sunt haud dubie proficiscantur.

Peninsularum, Sirmio, insularumque
Ocelle, quascunque in liquentibus stagnis,
Marique vasto fert uterque Neptunus:
Quam te libenter, quamque lætus inviso!
Vix mi ipse credens Thyniam atque Bithynos
Liquisse campos, et videre me in tuto.
O quid solutis est beatius curis?
Cum mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi venimus larem ad nostrum,
Desideratoque acquiescimus lecto.
Hoc est, quod unum est pro laboribus tantis.
Catull. Carm. 31. *Ed. Doering.*

Eadem ferme lex eſt iis quæ ad virtutes pertinent; quorum nimirum optima tum forma erit, ſi et veritate commendentur, et cum affectu quodam animi fuerint conjuncta; tum porro ſi aut temporibus aut loco ac perſonæ dicentis apte conveniant. Largior itaque nobis hæc ſpatia poſthac inituris patebit campus, neque ille quidem, uti ſpero, juventuti infructuoſus, ſi tota rei ratione accurate expoſita, quibus potiſſimum modis virtuti auxilio eſſe poſſit Poeſis manifeſtius apparebit, tum ſi occultos interdum fontes aperire potero, unde ea quæ Sententiarum nomine miramur, ſuum duxiſſe decus videantur et colorem.

PRÆLECTIO VICESIMA TERTIA.

De Sententiis mixti generis agitur, quarum vis in veritate *poſita eſt. Frigidiores hæ fiunt, ſi eas Poeta ipſe efferat.* Perſonæ *potius alicui tribuantur. Præcipue autem eſt videndum, ut perſonam deceant, et fabulæ argumento conveniant.*

QUUM duo omnino genera eſſe ſententiarum ſit poſitum, unum eorum quæ veritate, alterum quæ pulchritudine valent aut probitate, pauca adhuc de ſuperiore genere ſunt dicta, quatenus ad vitæ brevitatem et fortunæ vices pertinebant: quas nimirum ſententias a poetis ornatas in pretio habent homines, non tanquam novas et a ſenſu communi remotas, ſed quia ſic animi, negotiis plerumque aut curis impliciti, revocantur identidem ad ſanius æquiuſque ferendum de rebus humanis judicium.

Plurima autem ſunt in vita et conſuetudine humana, nullo quidem certo concluſa genere, de quibus ſententias apte ac prudenter dictas comprobamus ultro; quæ, ſi forte perſpicacis ingenii ſignum edant, et interiores rerum cauſas videantur expedire, eo ipſo placent, quod res nobis clariores reddant, quod occulta patefaciant, ſolvant dubia, inſolita proponant, et ubi vagis plerique mortales opinionibus fluitent aut traditis obſequantur, ibi certum aliquod et defi-

nitum conſtituant. Profecto non longe abeſt hoc ab imitatione illa morum, quæ in prima operis noſtri parte locum habuit: neque utramque rem ejuſdem fere eſſe facultatis negaverim: ſed exemplis aliquot propoſitis facile intelligi poterit, cur huic parti proprium quoddam munus et officium conſtare judicaverim.

Superioris quidem generis voluptas *imitatione* ſola continetur. Ad *has* vero ſententias mens *ſcientiæ* quaſi cupiditate trahitur: hinc aliquid ad vitæ utilitatem transferre, et tanquam veri cognitione frui ſolet. Neque ſane me fugit Ariſtotelem[a] imitationem ideo jucundam eſſe ſtatuiſſe, quia ſimilitudine reperta *didiciſſe* et *ſcire* aliquid videmur, cum imagines rerum ad res ipſas tacito motu animi referuntur. Verum hoc a ſummo Philoſopho paullo durius dictum mihi ſemper viſum eſt, et res penitus diverſas ſubtili nimis argumento confundere. Multa enimvero ſunt ſatis inter ſe diſſimilia, quæ, ſi rem altius repetas, ab ultimo principio cognata eſſe et uno quaſi a fonte fluere probabiliter oſtenderis, quæ tamen magis e re noſtra erit in rationibus exſequendis tanquam genere omnino diverſa certis finibus diſtinguere, et novæ ſtirpis potius auctores appellare, quam ipſa ex ſtemmate aliquo ancipiti et longinquo deducere.

Quamobrem aliam eſſe rationem eorum fidenter dixerim quæ vitæ quaſi imaginem intuendam exponunt; aliam eorum quibus aliquid vulgo minus obſervatum in vita manifeſtius oſtenditur, quaſi ex errore ac tenebris in lucem demum vindicatum.

Hujuſmodi ſunt quæ in Satira paſſim leguntur, et

[a] Poetic. κεφ. δ'. Ed. Winſt.

quæ propter vim ſuam et brevitatem in proverbia ferme abeunt.

Scire volunt ſecreta domus, atque inde timeri.
Juv. Sat. iii. 113.

Aude aliquid brevibus Gyaris et carcere dignum,
Si vis eſſe aliquis: *Probitas laudatur, et alget.*
Ib. Sat. i. 73.

Nil habet infelix paupertas durius in ſe
Quam quod ridiculos homines facit.
Ib. Sat. iii. 153.

Certe huic ſcribendi generi præſertim convenit breves et acutas de his rebus ſententias proferre: neque Lyram ab iiſdem prorſus refugere cum Horatii quamplurima tum Pindari quoque nonnulla docent carmina. Epopœiam minus decent; niſi quando ex re ultro naſci videntur, et mores alicujus dicentis non poetæ ipſius ingenium prædicare. Quare bene ſe habent iſta Curionis, Cæſarem ad inceptum facinus peragendum hortantis;

Dum trepidant nullo firmatæ robore partes,
Tolle moras: *ſemper nocuit differre paratis.*
Pharſ. i. 280.

Atqui id parum a Lucano cautum fuiſſe ſæpius queri ſolemus, cum inter graviſſima negotia et fortunas ducum atque principum dogmata quædam aut ratiunculas ambitioſe ingerat, unde a fabula ad ſcriptorem retorquemur, cujus nimirum de mente atque ingenio judicium eſt ferendum. Ut in his,

Dum terra fretum, terramque levabit
Aër, et longi volvent Titana labores,
Noxque diem cœlo totidem per ſigna ſequetur;
Nulla fides regni ſociis, omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit. *Pharſ.* i. 89.

Etiam illa quæ ſubtile aliquod præ ſe ferunt et vitæ rationem aperiunt, quemvis potius loqui quam poetam ipſum præſtabit, quanquam et vera fuerint et ingenioſa. Quod contra fecit ille, cum poſt Pharſaliæ cladem, Pompeium a Græcis urbibus benigne exceptum memorans, ducem infelicem ipſe alloquitur.

Nunc tibi vera fides quæſiti, Magne, favoris
Contigit, ac fructus. *Felix ſe neſcit amari.*
Pharſ. vii. 726.

Homerum hoc vitio caruiſſe minus eſt mirandum, quoniam eo ſe nondum tulerat ætatis illius indoles, ut cauſas rerum ſubtiliter inveſtigaret pectoriſque humani latebras excuteret. At philoſophia jam copiis omnibus florente, et hominibus ubique ingenii laudem captantibus, Virgilium non niſi ſumma prudentia adductum fuiſſe conſtat, ut ab his ſe argutiis ſedulo contineret, perſoniſque idoneis tribueret quæcunque ad docendum et veritatem indagandam pertinent.

Neminem autem ei interiorem rerum ſcientiam defuiſſe, quo minus huic parti daret operam, ſuſpicari poſſe opinor, qui divinum illud argumentum perlegerit de fato, de mundi ac naturæ ratione, de vita et officiis humanis ab Anchiſa traditum; aut quæ in Georgicis paſſim (ubi et licuit magis et decuit) in hunc modum effert.

Pater ipſe colendi
Haud facilem eſſe viam voluit, primuſque per artem
Movit agros, *curis acuens mortalia corda.*

Quo nihil ab aliquo philoſophorum aut verius unquam aut ſapientius eſt dictum.

Conſueta itidem prudentia de cauſis quibus ad pericula et labores obeundos impellimur, non Lucani

more, quaſi in ſchola declamaturus quæſtionem movit, ſed Niſi cum Euryalo colloquium, perquam illud ad rem accommodatum, exinde ordiri fecit.

Dîne hunc ardorem mentibus addunt,
Euryale? an ſua cuique Deus fit dira cupido?
Aut pugnam, aut aliquid jamdudum invadere magnum
Mens agitat mihi; nec placida contenta quiete eſt.
Æn. ix. 184.

Scenicorum vero utplurimum eſt has partes agere, et philoſophantium ritu interdum ſententias proferre, quibus ſcilicet a rerum curſu novum quoddam accedit lumen, aut auctoritas major.

Facile omnes quum valemus recta conſilia ægrotis damus:
Tu ſi hic ſis, aliter ſentias. *And.* ii. 1, 9.

Di voſtram fidem!
Ita comparatam eſſe hominum naturam omnium,
Aliena ut melius videant et dijudicent,
Quam ſua? an eo fit, quia in re noſtra, aut gaudio
Sumus præpediti nimio, aut ægritudine?
Hic mihi quanto nunc plus ſapit, quam egomet mihi!
Heaut. iii. 1, 96.

Hæc quando ex Menedemi ore proferuntur, poſtquam Chremetem in ſcena vidimus vicinorum res gnaviter agentem, ſuarum interea oblitum aut ignarum, non modo ut perſonæ convenientia probamus, ſed et vera eſſe fatemur libentius, et comperta quaſi veritate delectamur.

Jam vero, quam imperite aliquando ſententias adhibeat Euripides pleriſque conſtat: quod porro eo veniæ minus habet, quia durum ſæpe ne dicam pravum ingenium ſapiunt, et dicentis moribus aut fortunis non raro videntur abſonæ: quod vitium a Terentianis omnibus procul abeſt. De his autem quæ ad

virtutes ſpectant, poſthac videndum erit. Hodie in iis verſari placuit, unde cogitationi potius ſuppetat materies, quam præcepta moribus.

Ejuſmodi eſt celeberrimum illud Euripidis de nimiæ doctrinæ incommodis.

Χρὴ δ' ὅποθ', ὅστις ἀρτίφρων πέφυκ' ἀνὴρ
Παῖδας περισσῶς ἐκδιδάσκεσθαι σοφούς.
Χωρὶς γὰρ ἄλλης, ἧς ἔχουσιν, ἀργίας.
Φθόνον πρὸς ἀστῶν ἀλφάνουσι δυσμενῆ. *Med.* 296.

Quod quidem argumentum copioſius adhuc proſequitur ſuo more Juvenalis.

Eloquium, aut famam Demoſthenis aut Ciceronis
Incipit optare, totis Quinquatribus optat,
Quiſquis adhuc uno partam colit aſſe Minervam,
Quem ſequitur cuſtos anguſtæ vernula capſæ.
Eloquio ſed uterque perit orator: utrumque
Largus, et exundans leto dedit ingenii fons.
Ingenio manus eſt, et cervix cæſa; nec unquam
Sanguine cauſſidici maduerunt roſtra puſilli.
Juv. x. 114.

Quo etiam in genere ſunt quæ de Poetis habet a communi opinione paullum diſtantia, eamque ob rem jucundiora.

Quis locus ingenio; niſi cum ſe carmine ſolo
Vexant, et dominis Cyrrhæ Nyſæque feruntur
Pectora veſtra, duas non admittentia curas?
Magnæ mentis opus, nec de lodice paranda
Attonitæ, currus, et equos, facieſque Deorum
Adſpicere, et qualis Rutulum confundat Erinnys.
Nam ſi Virgilio puer, et tolerabile deſit
Hoſpitium, caderent omnes a crinibus hydri:
Surda nihil gemeret grave buccina. *Juv.* vii. 63.

Inſignem autem Euripidis vim fuiſſe exiſtimo, qua ex quotidianis rebus elicere aliquid potuit non vulgi

uſu contritum, neque illud putidum tamen aut nimis exquiſitum, ſed poſtquam ſemel dictum fuerit, quale ab aliquo patre familias, uti aiunt, dici potuiſſe crederetur.

Pro ſexcentis quæ adferri poterant, ex Medea accipiantur iſta, in quibus Muſicam nutrix queritur conviviorum et lætitiæ comitem fieri, non doloris remedium.

Σκαιὸς δὲ λέγων, κἀδέν τι σοφὸς
Τὰς πρόσθε βροτὸς, ὃς ἂν ἀμάρτοις.
Οἵτινες ὕμνοις ἐπὶ μὲν θαλίαις,
Ἐπὶ τ' εἰλαπίναις, καὶ παρὰ δείπνοις
Εὕροντο, βίᾳ τερπνὰς ἀκοάς.
Στυγίοις δὲ βροτῶν ἐδεὶς λύπας
Εὗρετο μέσῃ καὶ πολυχόρδοις
Ὠδαῖς παύειν, ἐξ ὧν θάνατοι,
Δειναί τε τύχαι σφάλλουσι δόμους.
Καίτοι τάδε μὲν κέρδος ἀκεῖσθαι
Μολπαῖσι βροτούς· ἵνα δ' εὔδειπνοι
Δαῖτες, τί μάτην τείνουσι βοάν;
Τὸ παρὸν γὰρ ἔχει τέρψιν ἀφ' αὑτῷ·
Δαιτὸς πλήρωμα βροτοῖσιν. *Med.* 193.

Similia ſunt in eadem fabula de moleſtiis quibus mulieres vexari contigit, de amoris incommodis, de parentum propter liberos ſolicitudine. Quibus profecto locis nonnihil hinc etiam accedere videtur gratiæ, quod receptis opinionibus adverſentur quodammodo, et propterea vehementem animi affectum præ ſe ferant. Quemadmodum in Rhetoricis optime monet Ariſtoteles[b] de iis quæ παρὰ τὰ δεδημοσιευμένα ſint dicta.

[b] Lib. ii. c. 22. ſ. 3.

Quo quidem in genere eſt illud Lucani in ſecundo Pharſaliæ ubi inſolita prece Deum obteſtatur;

Sit ſubitum quodcunque paras: ſit cæca futuri
Mens hominum fati: liceat ſperare timenti.
Pharſ. ii. 14.

Quippe omnibus cum his tum de virtute ac moribus ſententiis pariter evenit, ut ſi mentem graviter commotam arguant et ardore incenſam, efficaciores longe fiant.

Hinc etenim non minimum laudis meruerunt divina Perſii carmina, quibus impetu quaſi animi abreptus mentis ſibi ſcelerum conſciæ cruciatus vult exponere.

Magne Pater Divum, ſævos punire tyrannos
Haud alia ratione velis, cum dira libido
Moverit ingenium ferventi tincta veneno:
Virtutem videant, intabeſcantque relicta.
Anne magis Siculi gemuerunt æra juvenci
Et magis auratis pendens laquearibus enſis
Purpureas ſubter cervices terruit, 'Imus,'
'Imus præcipites,' quam ſi ſibi dicat, et intus
Palleat infelix, quod proxima neſciat uxor?
Perſ. iii. 35.

Pariterque æſtu irarum ferme ad furorem adacta in hæc erumpit Medea.

Ὦ Ζεῦ, τί δὴ χρυσᾶ μὲν, ὃς κίβδηλος ἦ,
Τεκμήρι' ἀνθρώποισιν ὤπασας σαφῆ,
Ἀνδρῶν δ', ὅτῳ χρὴ τὸν κακὸν διειδέναι,
Οὐδεὶς χαρακτὴρ ἐμπέφυκε σώματι; *Med.* 516.

Neque id violenti tantum affectus præſtabunt; ſed quæcunque animam acrem ſpirant et conceptibus ſuis calentem (quod metaphoris ſæpe efficitur aut

imagine aliqua diutius ſolito præ oculis obtenta) *ſententiam* longe efficaciorem reddent. Cujuſmodi ſunt verſus Chœrili poetæ, quantumvis ab Horatio infamia notetur, in quibus jampridem occupatam omnem poeſeos materiam dolet.

Ἆ μάκαρ ὅστις ἔην κεῖνον χρόνον ἵδρις ἀοιδῶν,
Μουσάων θεράπων, ὅτ' ἀκείρατος ἦν ἔτι λειμὼν,
Νῦν δ' ὅτε πάντα δέδασται, ἔχουσι δὲ πείρατα τέχναι,
Ὕστατοι ὥστε δρόμου καταλείπομεθ', οὐδέ τοι ἔστιν
Πάντη παπταίνοντα νεοζυγὲς ἅρμα πελάσσαι.

Quæ mihi quidem etiam pulchriora videntur iis quæ in pari re effundit Virgilius:

Cætera quæ vacuas tenuiſſent carmina mentes
Omnia jam vulgata. Quis aut Euryſthea durum,
Aut illaudati neſcit Buſiridis aras?
Cui non dictus Hylas puer, et Latonia Delos, &c.
Georg. iii. 3.

Dixi equidem Virgilium adeo ab inepto faſtu et pompa ſcholarum abſtinuiſſe, ut raro his ſententiis poemata ſua diſtingui ſtudeat. Quod ita tamen intellectum velim, ut quod cæteri imperite ſuo ore jactant, ipſe perſonis tribuat, et ſcite ſermonibus intexat. Quamobrem non modo iſta vacat culpa qua cæteri notantur, ſed vim quoque et gravitatem inde ſermonibus ipſis comparavit. Neque ulla in re magis inter ſe Lucanum puto et Virgilium diſtare, quam quod ille docti præceptoris famam uſque aucupetur; hic autem contra, quod ſibi merito poſſet ſumere, ſedulo evitet; et impenſe det operam, ut ſine toga et inceſſu ſcholaſtico philoſophiæ vim induat.

Satis uno aut altero carmine propoſito quid velim patebit.

Tum Senior Nautes, unum Tritonia Pallas
Quem docuit, multaque inſignem reddidit arte. . .
. . . . . .
Nate Dea, quo fata trahunt, retrahuntque ſequamur:
Quicquid erit, *ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.*
Æn. v. 704.

Quod quidem, graviſſimi licet præcepti rationem habeat, ab amico in conſilium vocato ſponte fluit, neque ullam rei quæ agitur injicit moram.

Sic, pro eo quod magnifice prædicari ſolet—'Sua præmia virtus—' tota hujus ſententiæ auctoritas et pondus Iuli oratione ad Niſum et Euryalum continetur.

Quæ vobis, quæ digna, viri, pro talibus auſis
Præmia poſſe rear ſolvi? *pulcherrima primum*
Di moreſque dabunt veſtri. *Æn.* ix. 252.

Pariterque occiſo Pallante, '*pulchram mortem vitæ turpi præſtantiorem*,' Æneam non ambitioſe fecit prædicare, ſed curſu orationis eo ferri, et ſententiam eandem his vocibus leniter expedire:

At non, Evandre, pudendis
Vulneribus pulſum aſpicies: *nec ſoſpite dirum*
Optabis nato funus pater. *Æn.* xi. 55.

Atque hac ſaltem ex parte haud ſcio an Homero ſit anteferendus, cujus propria quædam et ſingularis eſt virtus, (ut cum Ariſtotele loquar) pauca ipſum præfari, extemplo autem virum aliquem aut mulierem adferre, cujus moribus ea quæ dici velit ſint idonea. Ab Homero tamen, in Odyſſea præſertim, effata quædam pronuntiari contigit, ſejuncta aliquantum a re et actione, quanquam a perſonæ alicujus ore non a ſcriptore ipſo proveniant.

Qualia ſunt iſta Eumæi de ſervis, domino abſente, in omnem licentiam effuſis.

Δμῶες δ', εὖτ' ἂν μηκέτ' ἐπικρατέωσιν ἄνακτες,
Οὐκ ἔτ' ἔπειτ' ἐθέλουσιν ἐναίσιμα ἐργάζεσθαι·
Ἥμισυ γάρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρυόπα Ζεὺς
Ἀνέρος, εὖτ' ἂν μιν κατὰ δέλιον ἦμαρ ἕλῃσιν. *Od.* P. 320.

Quorum poſteriora, vera etſi fuerint et ſublime aliquod ſapiant, tamen fortunis dicentis parum videntur convenire, qui et ipſe ſervus eſſet.

Iterumque in pulcherrimo ſermone cum Ulyſſe habito, quem utique advenam atque ignotum hoſpitio benigne excipit:

Νῶϊ δ' ἐνὶ κλισίῃ πίνοντέ τε, δαινυμένω τε,
Κήδεσιν ἀλλήλων τερπώμεθα λευγαλέοισι,
Μνωομένω· ΜΕΤΑ ΓΑΡ ΤΕ ΚΑΙ ΑΛΓΕΣΙ ΤΕΡΠΕΤΑΙ ΑΝΗΡ,
ΟΣΤΙΣ ΔΗ ΜΑΛΑ ΠΟΛΛΑ ΠΑΘΗ ΚΑΙ ΠΟΛΛ' ΕΠΑΛΗΘΗ. *Od.* O. 397.

Quod ſic otioſe nimis et ſui gratia dictum videtur: Atqui optime in mediis laboribus ad firmandos ſociorum animos Æneas eodem argumento utitur.

O paſſi graviora! dabit Deus his quoque finem.
Vos et Scyllæam rabiem, penituſque ſonantes
Accêſtis ſcopulos; vos et Cyclopea ſaxa
Experti: revocate animos, mæſtumque timorem
Mittite: *forſan et hæc olim meminiſſe juvabit.*
Æn. i. 203.

Atque hæc quidem de Sententiis ſufficiant, quæ veritate potius quam pulchritudine aut probitate ſint ſpectabiles—quarum tamen, loco, tempore et modo ſervatis, non exiguam vim eſſe arbitror in ornando poemate, et in ſenſibus lectoris varietate reficiendis: modo ne ſic adhibeantur, ut ſcriptoris in-

genii tanquam præcones fiant, ſed cum ſermonibus ac fortunis apte conveniant, et propter rem quæ agitur non ſui ipſarum cauſa videantur adferri.

Ab hoc autem genere ideo ordiri placuit, ut ab imis et infirmioribus ad præſtantiora ac ſumma ſtrueremus viam. Quippe amplior adhuc ac ferme a nobis intacta ſeges manet; eorum ſcilicet quæ mentem ſublimitate percellant, pulchritudine delectent, aut probitate demum egregia quum fuerint, puram illam idcirco menti voluptatem præbeant, quæ ex omni virtutis ſignificatione capitur.

PRÆLECTIO VICESIMA QUARTA.

De Sententiis ſublime *aliquod ac* generoſum *ſpirantibus. Viz. De gloria, de immortalitate, de gravioribus vitæ officiis. Harum augetur vis ſi a perſonis inter agendum proferantur. Tranſitur inde ad* mollius benigniuſque *ſententiarum genus. Valent hæ omnes in poemate, prout juſtæ fuerint et probabiles.*

SÆPE in his prælectionibus dicere ſolemus, virtutem omnem ſua ſponte eſſe amabilem; quam ſi moribus cujuſquam luculente expreſſam quis ſenſerit, aut verbis declaratam, non modo eam probet illico, ſed quaſi amore captus attentum ſe præbeat, et puram exinde hauriat voluptatem. Quapropter in illo laborare non ſegniter poetam oportebit, ut Sententias pro re efferat, quales in vita comprobare et laude proſequi velimus. Neque has novitate inſignes, aut ſupra captum communem exquiſitas eſſe curet: quoniam ea eſt *optimi* in quoque genere natura, ut ſenſum feriat etiam indoctorum, et centies iteratum placeat, neque fractum ætate neque uſu diminutum.

Hinc etenim pulcherrima illa Platonis ſomnia, quæ quidem ad honeſtum ſuum ornandum Ciceroni transferre viſum eſt, ortum habent; formam nimirum ſapientiæ adeo eſſe egregiam, ut, ſi cerneretur oculis,

mirabiles amores excitaret ſui. Hinc illud Ariſtotelis ferme ad Pindari ſublimitatem aſſurgens :

Ἀρετὰ πολύμοχθε,
Γένει βροτείῳ
Θήραμα κάλλιστον βίᾳ,
Σᾶς περὶ, παρθένε, μορφᾶς,
Καὶ θανεῖν ζηλωτὸς Ἑλλάδι πότμος.

Formam igitur hanc virtutis, ita cœleſtem et ſubtilem ut mortalium viſu comprehendi vix queat, aliqua tamen ex parte adumbrare, et præ oculis aliorum obtendere poterit, ſi prius ipſe animum ſordibus et vitiis purgatum ad ſublimia contemplanda aſſueſcat ; ſi quotidianis ſe curis liberet, et generoſos omnes affectus colat. Non enim ſine cauſa apud antiquos ſcriptores habita eſt quæſtio, utrum aliquis, niſi vir bonus, orator aut Poeta fieri poſſet ; licet ſubtilius paullo eſt, ſcholarum more, diſputatum ; quoniam in utraque facultate plurimum polleat virtutis ſignificatio, quæ niſi in bono viro neque revera inerit, neque diu videbitur ineſſe.

Sententiis igitur iis jam ante expoſitis quarum vis veritate enucleanda contineri viſa eſt, ad eas nos primum conferamus, quæ excelſum et ſublime aliquod ſpirant, quaſque ideo dum animis contemplamur, extra nos ferri videmur, et ſacro quodam ardore corripi. Hujuſmodi ſunt quæcunque ad gloriam ſive præſentem ſive futuram pertinent, rem omnium poetarum judicio præ vitæ bonis eligendam : unde etiam non leve quoque petitur artis ſuæ præconium :

Non inciſa notis marmora publicis,
Per quæ ſpiritus et vita redit bonis
Poſt mortem ducibus ; non celeres fugæ,
Rejectæque retrorſum Annibalis minæ ;

Non incendia Carthaginis impiæ,
Ejus qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes, quam Calabræ Pierides: neque
Si chartæ ſileant quod bene feceris,
Mercedem tuleris. . . . . .
. . . . . .
Dignum laude virum Muſa vetat mori.
Hor. Od. iv. 8, 13.

Neque aliter de hac re ſuperbit Pindarus, cum ſe clarorum virorum laudes poſteris commendare prædicat, non Statuis una in ſede fixis, ſed carminibus quæ paſſim ad ultimas terrarum oras venti ferunt.

Οὐκ ἀνδριαντοποιός εἰ-
μ', ὥστ' ἐλινύσσοντά μ' ἐργάζε-
σθαι ἀγάλματ' ἐπ' αὐτᾶς βαθμίδος
Ἑσταότ'. ἀλλ' ἐπὶ πάσας
Ὀλκάδος ἔν τ' ἀκάτῳ, γλυκεῖ' ἀοιδὰ
Στεῖχ' ἀπ' Αἰγίνας. . . *Nem.* v. 1.

Suam vero non dubiam futuræ famæ ſpem magnifice effert Horatius, imaginibus undique ex omni naturæ corpore conquiſitis.

Exegi monumentum ære perennius,
Regalique ſitu Pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, et fuga temporum.
Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit Libitinam. Uſque ego poſtera
Creſcam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine Pontifex.

Adeo autem iſta cupidine imbuuntur homines, ut ſcintilla modo adhibita totum cor illico exardeſcat, et quid de ſe judicium ferant poſteri pluris faciant,

quam quicquid brevi vitæ curriculo contineri poſſit. Nihilo igitur amplius opus erit, quo huic ſententiæ ſua vis conſtet, niſi ut dignam nacta fuerit occaſionem, et cauſam neque humilem neque inhoneſtam; quippe quæ tunc verborum haud indigebit luminibus aut imaginum delectu, propria ipſa ſe vi ſuſtinens, et quo minus comitatu inſtructa, eo pulchrior ſæpe viſa et potentior. Quare id ſolum agit nobiliſſimorum carminum ſcriptor Tyrtæus, ut ne verborum laſcivia ſententiæ obſit; quod ne fiat, ſermone utitur parco, ſimplici, ſevero.

Αὐτὸς δ' ἐν προμάχοισι πεσὼν φίλον ὤλεσε θυμὸν,
Ἄστυ τε, καὶ λαοὺς, καὶ πατέρ' εὐκλεΐσας,
Πολλὰ διὰ στέρνοιο, καὶ ἀσπίδος ὀμφαλοέσσης,
Καὶ διὰ θώρηκος πρόσθεν ἐληλαμένος.
Τὸν δ' ὀλοφύρονται μὲν ὁμῶς νέοι ἠδὲ γέροντες,
Ἀργαλέῳ τε πόθῳ πᾶσα κέκηδε πόλις.
Καὶ τύμβος, καὶ παῖδες ἐν ἀνθρώποις ἀρίσημοι,
Καὶ παίδων παῖδες, καὶ γένος ἐξοπίσω.
Οὐδέποτε κλέος ἐσθλὸν ἀπόλλυται, οὐδ' ὄνομ' αὐτῦ·
Ἀλλ' ὑπὸ γῆς περ ἐὼν γίγνεται ἀθάνατος.

Gnom. Poet. Brunck. p. 62.

His autem cum nihil unquam præclarius eſt dictum, tamen id vos probe animis tenere puto, quod jampridem poſitum eſt, ſummam ſcilicet hiſce ſententiis tum demum accedere gratiam, ſi ex viri alicujus ore apte inter agendum excidant, dicentis moribus ac fortunis bene convenientes, quemadmodum iſta Euryali ad Niſum ſe a periculis dehortantem.

Non ita me genitor, bellis aſſuetus, Opheltes
Argolicum terrorem inter Trojæque labores
Sublatum erudiit; nec tecum talia geſſi,
Magnanimum Æneam et fata extrema ſecutus.

Eſt hic, eſt animus lucis contemptor, et iſtum
Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.
Æn. ix. 201.

Quam quidem virtutem cum in Virgilio tum potiſſimum in Homero elucere ſatis conſtat; nempe ut perſonis has partes mandare quam ipſi eas ſuſcipere mallent.

Sunt profecto nonnulla quæ a vitæ conſuetudine tantum abſunt, ut nullius moribus præcipue conveniant, ſed quæ tanquam ſua ſponte grandia aut ſpecioſa admiramur:

Εἰκὼν δὲ βασιλεύς ἐστιν ἔμψυχος θεῷ.

Et illud Senecæ ſatis quidem ambitioſum;

Victima haud ulla amplior
Poteſt, magiſque opima mactari Jovi
Quam rex iniquus. *Her. Fur.* iv. 922.

Ejuſdem fere generis ſunt graviſſima illa de officiis humanis præcepta, quæ licet nullorum præſertim temporum aut perſonarum videantur propria, tamen dignitate ac pondere ſuo ſtatim dicta percellunt animum.

Ambiguæ ſi quando citabere teſtis
Incertæque rei, Phalaris licet imperet, ut ſis
Falſus, et admoto dictet perjuria tauro,
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere cauſas. *Juv.* viii. 80.

Et iſta robuſti ſane ingenii proles;

Fortem poſce animum mortis terrore carentem;
Qui ſpatium vitæ extremum inter munera ponat
Naturæ, qui ferre queat quoſcunque labores,
Neſciat iraſci, cupiat nihil, et potiores

Herculis ærumnas credat, ſævoſque labores,
Et Venere, et cœnis et pluma Sardanapali.
Juv. x. 357.

Hinc enim efficitur, quod modo attigimus, ut excellentem aliquam virtutis formam cogitatione quaſi complecti videamur: et ſcriptorem ipſum in pretio habeamus, quem ad hos niſus inſolitos impellere potuerit ſimplex virtutis amor. Quo quidem affectu eum facile pertentari crediderim, quicunque in hæc Horatii carmina inciderit;

O quiſquis volet impias
Cædes, et rabiem tollere civicam;
Si quæret pater urbium
Subſcribi ſtatuis, indomitam audeat
Refrenare licentiam,
Clarus poſtgenitis: quatenus (heu nefas!)
Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.
Quid triſtes querimoniæ,
Si non ſupplicio culpa reciditur?
Quid leges ſine moribus
Vanæ proficiunt? *Hor. Od. lib.* iii. 24, 25.

At graviſſima in hoc genere merito ſemper habita eſt Pindari auctoritas, qui Deos et Heroas et fabuloſa vetuſtioris ævi argumenta perſequens, medio nonnunquam in curſu ſe revocat, ut ſanctiſſimas promat ſententias, et ad principum aures conſilia plane divina deferat. Cujus quidem rei ſingula vix carmina exemplo carent. Nobis jam unum adferre ſat erit, cui præter vitæ præcepta conceptus quoque illi ſublimes non deſunt, de vera gloria adipiſcenda et æterna præclare actarum rerum memoria. His igitur vocibus Sicilienſem Regem non veretur alloqui.

Ἀστῶν δ' ἀκοὰ κρύφιον θυμὸν βαρύ-
νει μάλιστ' ἐσλοῖσιν ἐπ' ἀλλοτρίοις.
Ἀλλ' ὅμως, κρέσσων γὰρ οἰκτιρμῶν φθόνος,
Μὴ παρίει καλά. νώ-
μα δικαίῳ πηδαλίῳ στρατόν· ἀ-
ψευδεῖ δὲ πρὸς ἄκμονι χάλ-
κευε γλῶσσαν.
Εἴ τι καὶ φλαῦρον παραιθύσ-
σει, μέγα τοι φέρεται
Πὰρ σέθεν. πολλῶν ταμίας
Ἐσσί· πολλοὶ μάρτυρες ἀμφοτέροις πιστοί.
Εὐανθεῖ δ' ἐπ' ὀργᾷ παρμένων,
Εἴπερ τι φιλεῖς ἀκοὰν ἀδεῖαν ἀ-
εὶ κλύειν, μὴ κάμνε λίαν δαπάναις·
Ἐξίει δ' ὥσπερ κυβερνάτας ἀνὴρ
Ἱστίον ἀνεμόεν.
Μὴ δολωθῇς, ὦ φίλε, κέρδεσιν εὐ-
τραπέλοις. Ὀπιθόμβροτον αὖ
χημα δόξας
Οἷον ἀποιχομένων ἀν-
δρῶν δίαιταν μανύει
Καὶ λογίοις καὶ ἀοιδοῖς·
Οὐ φθίνει Κροίσᾳ φιλόφρων ἀρετά.
Τὸν δὲ ταύρῳ χαλκέῳ καυ-
τῆρα νηλέα νόον
Ἐχθρὰ Φάλαριν κατέχει παντᾶ φάτις.
Οὐδέ μιν φόρμιγγες ὑπω-
ρόφιαι κοινωνίαν
Μαλθακὰν παίδων ὀάροισι δέχονται.
Τὸ δὲ παθεῖν εὖ, πρῶτον ἆθλων·
Εὖ δ' ἀκούειν, δευτέρα μοῖ-
ρ'. ἀμφοτέροισι δ' ἀνὴρ
Ὅς ἂν ἐγκύρσῃ, καὶ ἕλῃ,
Στέφανον ὕψιστον δέδεκται. *Pyth.* i. 162.

Contra, ſi quid dubii mixtique generis ſententiis adhæreat, qualia ſæpe adhibenda ſunt pro cujuſque ingenio, ætate, moribus aut conditione, admirabiles

tamen nonnunquam hac de cauſa fiunt, quia dicenti adeo favemus ut ſtudio elati in partes abeamus. Quod tametſi de prave omnino agente aut locuto fieri nequaquam poteſt, tamen inter audiendum aut legendum ei non raro nos adjungere ſolemus qui magna affectat, quanquam heroicis, uti loquuntur, vitiis non careat. Ecquem ſcilicet non movet magnificum illud Virgilii monitum, quo cives ſuos alloquitur?

Excudent alii ſpirantia mollius æra:
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus:
Orabunt cauſſas melius: cœlique meatus
Deſcribent radio, et ſurgentia ſidera dicent:
Tu regere imperio populos, Romane, memento:
Hæ tibi erunt artes; paciſque imponere morem,
Parcere ſubjectis, et debellare ſuperbos.

Æn. vi. 848.

Quod ſi rem ipſam ſerio quis expendat, injuſtam hanc regnandi libidinem omnino improbandam exiſtimet; quam neque gloriæ cupiditas neque patriæ amor uſquam cohoneſtare poterit.

Quinetiam earum rerum de quibus in utramque partem diſputari poteſt tanta interdum eſt vis, ſi dicentem deceant, ut ſtatim plauſu excipiantur, et tanquam proverbia ferme in communem ſermonem abeant. Itaque Diomedis illa Homerici vox ſemper magnifica habetur,

Δὸς δ' ὀφθαλμοῖσιν ἰδέσθαι·
Ἐν δὲ φάει καὶ ὄλεσσον, ἐπεί νύ τοι εὔαδεν ἔτως.

Hom. Il. P. 646.

At fortaſſe id magis prudentiæ fuerit, hominiſque naturæ aptius quod Deum obteſtatur Lucanus.

Sit ſubitum quodcunque paras: ſit cæca futuri
Mens hominum fati: liceat ſperare timenti.

Pharſ. ii. 14.

Eſt ſane in utriſque eadem virtus, etſi tam longe inter ſe diſcrepent, ut mentem a ſenſuum conſuetudine ad altius quoddam concipiendum erigant; neque, utcunque a veritate recedant, quicquam obeſt quo minus inter ornatus vere poeticos numerentur. Ac profecto, in his quæ jam dicta ſunt, potius in animo fuit conceptus iſtos proferre qui magnifici et ſublimes appellari ſolent, quam qui mera valent probitate et ſano de officiis humanis judicio efferendo. Plurimum certe in his rebus orationem noſtram verſari contigit, quoniam ita fit, ut ſententiarum omnium quæ in rationem artis cadunt, maxime iis mens capitur, quibus aliquid agendum in vita aut optandum prædicatur. Quod quidem genus ut latiſſime patet, ita partem ejus non minimam ſupereſſe adhuc video, de qua poſthac dicendi locus erit; quando et ſingulas virtutes accuratius tractare et ſententias diſtinguere curæ erit, prout ex conditione aut moribus dicentis vim ſuam ducant aut pulchritudinem.

Permultum ſane intereſt, utrum ſuapte vi dictum feriat, an tempore, occaſione, perſona commendetur. Quod propoſito exemplo ſtatim patebit. Complura nempe ſunt, ineunte Heautontimorumeni fabula, quibus mite et benignum declaratur Chremetis ingenium, elegantia eadem ac venuſtate egregia;

> Tamen vel virtus tua me, vel vicinitas,
> Quod ego in propinqua parte amicitiæ puto,
> Facit, ut te audacter moneam et familiariter;
> Quod mihi videre præter ætatem tuam
> Facere, et præterquam res te adhortatur tua.
>
> *Heauton.* i. 1, 4.

Tum præcipue pulcherrimum illud,

Tibi parce: *idem abſens facere te hoc vult filius.*
Heauton. i. 1, 112.

At longe alia ſententiæ illius eſt ratio quæ ſtatim in theatro pronuntiata ſummos omnium plauſus excitaſſe fertur,

Homo ſum; humani nihil a me alienum puto. *Ib.*

De his igitur quæ nullorum temporum aut finium ſunt propria hodie tractare viſum eſt: quo in genere recentioris ævi ſcriptores palmam interdum veteribus præripuiſſe nemo mirabitur, qui modo lucem veritatis meminerit nobis divinitus patefactam: unde novum acceſſit Poeticæ rei inſtrumentum, certior nimirum futuræ vitæ ſpes, et morum diſciplina ſanctior.

Quanto autem efficacior ſit et ad poema ornandum aptior juſta divinarum rerum ſcientia facile intelligitur, ſi quis ultionis rabiem illam, paſſim apud veteres poetas virtutis loco habitam, cum noſtrorum aliquot locis conferat, quæ clementiam hoſtibus et veniam peccatis datam potiorem eſſe vindicta ſignificant. Semel fortaſſe atque iterum antiquos ſcriptores eandem rem attingere ſubiit; quale eſt illud Senecæ,

Preces placidus pias
Patienſque recipe; quoque te celſum altius
Superi levarunt mitius lapſos preme[a]. *Troad.* 694.

Neque Homero prorſus deeſt melior hic officii humani ſenſus.

Ἀλλ' Ἀχιλεῦ, δάμασον θυμὸν μέγαν· οὐδέ τί σε χρὴ
Νηλεὲς ἦτορ ἔχειν· ϛρεπτοὶ δέ τε καὶ θεοὶ αὐτοὶ
Τῶν περ καὶ μείζων ἀρετὴ, τιμή τε, βίη τε. *Il.* I. 497.

Et divino ingenii flumine abreptus Cicero, eodem

[a] Vid. etiam Juvenalem, Sat. xiii. l. 180. et ſeq.

fertur, quum a Cæſare Ligarii vitam enixe orans, ‘ Nihil eſt,’ inquit, ‘ tam populare quam bonitas: ‘ nulla de virtutibus tuis plurimis nec gratior, nec ‘ admirabilior miſericordia eſt; homines enim ad deos ‘ nulla re propius accedunt, quam ſalutem hominibus ‘ dando [a].’

Has autem ſententias, raro Graia aut Romana auctoritate munitas, ſacræ ſcripturæ lectio large ſuppeditabit: quo quidem ex fonte perpetuas haurire aquas poterit, quicunque eo ſedulo ſe convertat; neque aliunde majorem conquiret rerum copiam, ſi quando aut affectus volet optimos ſuſcitare, aut mentem informare præceptis, et, quantum patitur humanæ vitæ ſors, concreta labe purgare

Ætherium ſenſum, atque aurai ſimplicis ignem.

[a] Orat. pro Ligar. in fine.

PRÆLECTIO VICESIMA QUINTA.

Sententiarum *vis augetur dicentis* moribus, i. e. *ſi ab eo dicantur, quem prius noverint lectores aut etiam diligant et admirentur. Tum, ſi commotæ mentis indicia præ ſe ferant. Sententiis rurſus optime* declarantur Mores: *præſertim ubi ſunt ſubtilius inter ſe diſtinguendi. Præcipue autem in Affectibus movendis valent, ſi* a conſuetis dicentis moribus aliquantum abhorreant.

AB excelſo illo et magnifico Sententiarum genere quæ ſummam philoſophiam ſapiunt, jam ad aliud genus deveniendum eſt, de quo in proxima prælectione brevis quædam mentio eſt facta—earum ſcilicet quæ mediis in rebus locum habent, et una cum affectibus concitatis judicium aliquod aut voluntatem dicentis exprimunt. Cujus quidem generis infinitam prope multitudinem ſigillatim perſequi hodie nec libet nec vacat. Sed videntur aliqua breviter dicenda, unde ſententiis major quædam comparari poſſit gratia, quam ſi nulla arte adhibita ſola vi propria ac pulchritudine niterentur.

Quanto ſatius ſit fabulæ perſonas ea quæ ſententiarum nomine dignamur quam poetam ipſum loqui, jam pluribus monſtratum eſt: tum id præſtantiſſimum quemque ſcriptorem ſedulo curare, ut ſententiæ *vis* mentem feriat, *forma* lateat. Quod ſane a Virgilio pluribus factum eſt modis: ne quaſi partium ſua-

rum oblitus *docere* potius videatur quam *delectare*, et philoſophum agere quam poetam. Hoc autem præſertim cernitur ubi dictum aliquod grave aut ſapiens promendum erat; quod plerumque ita orationi intexit, ut naſci id ſua ſponte diceres, neque abeſſe ſine diſpendio totius orationis poſſe.

Quod vero ad ſingulas virtutes et communis vitæ officia attinet, nemo eſt qui non videt hæc viventium moribus optime illuſtrari: adeo ut de clementia, fide, fortitudine, filii aut parentis pietate et ſimilibus ſeorſim diſputare, quæ perſonis aut loquentibus aut agentibus permitti debeant, ſummæ eſſet imperitiæ. At plurima Lucani iſto non carere vitio ab exemplis antehac propoſitis ſatis conſtat: neque in his vitiis notandis diutius immorari velim, quoniam rem ſemel monſtratam pravis carminibus fuſius explicare, cum nemini proſit, tum etiam vacuis vix auribus jucundum eſſet.

Interea non levis eſt momenti res, has de quibus loquimur ſententias ita diſponere ut quam plurimum valeant. Primum igitur eſt ut moribus dicentis non modo conveniant, ſed ita conveniant ut novam inde vim comparent. Nam ſicuti in vita magis certe ejus movet oratio, quem diu ac probe noveris, ita in poemate legendo perſonas quamlibet fictas et favore ſolemus proſequi, et odio, et admiratione et invidia; ut dicta etiam pro ſtudio ac voluntate noſtra excipiamus. Quicquid autem laude dignum fuerit eo admirabilius videbitur, ſi ex ore alicujus provenerit, quem prius noſſe et aliquam ob cauſam amare aut mirari contigerit.

'Gratior et pulchro veniens a corpore virtus.'

Quem adeo non movent mite illud Priami ingenium, et Andromaches ſpectata pietas et generoſa Hectoris virtus, ut eorum verbis etiam benigniorem mentem præbeat, quam pro mera rerum quæ dicuntur dignitate? Quid vero? Num filii in patrem aut patris in filium pietatem tam diſerte exprimi potuiſſe credendum eſt, quam ex Æneæ aut Evandri ore?

Et me, quem dudum non ulla injecta movebant
Tela, neque adverſo glomerati ex agmine Graii;
Nunc omnes terrent auræ, ſonus excitat omnis
Suſpenſum, et pariter comitique onerique timentem.
Æn. ii. 726.

Tum poſtea de ludorum inſtauratione ob Anchiſæ funus,

Jamque dies ni fallor adeſt, quem ſemper acerbum,
Semper honoratum, ſic Dî voluiſtis, habebo.
Æn. v. 49.

Evandri autem preces quantam ex moribus dicentis jam ante cognitis venuſtatem trahunt!

At vos, O Superi, et Divûm tu maxime rector
Juppiter, Arcadii quæſo miſereſcite regis,
Et patrias audite preces. Si numina veſtra
Incolumem Pallanta mihi, ſi fata reſervant;
Si viſurus eum vivo, et venturus in unum:
Vitam oro: patiar quemvis durare laborem.
Sin aliquem infandum caſum, Fortuna, minaris;
Nunc O nunc liceat crudelem abrumpere vitam:
Dum curæ ambiguæ, dum ſpes incerta futuri;
Dum te, care puer, mea ſera ac ſola voluptas,
Complexu teneo. *Æn.* viii. 572.

Multum haud dubie confert ad Sententiarum vim, ſi cum affectu quodam vehementi et motu animi efferantur; quod profecto, niſi loquentem aliquem inducas jampridem ex fabula notum, commode fieri vix

poteſt. Etiam Lucanus ſolitos deſerit Catonis mores, quum ardentem eum patriæ amore depingit. Naturæ enim non Stoicorum vox in hæc verba erumpit.

Ceu morte parentem
Natorum orbatum, longum producere funus
Ad tumulum jubet ipſe dolor: juvat ignibus atris
Inſeruiſſe manus, conſtructoque aggere buſti
Ipſum atras tenuiſſe faces: non ante revellar,
Exanimem quam te complectar Roma, tuumque
Nomen Libertas, et inanem proſequar umbram.
Lucan. ii. 297.

Sed quod recte hic factum eſt, cætera prius ſcripta quantum a natura recedant, manifeſte arguit; nedum a moribus Catonis auxilium habet. Contra, Æneæ mores ante depictos quo magis intuemur, eo erectiore animo ſententiam haud abſimilem proſequimur.

Me ſi fata meis paterentur ducere vitam
Auſpiciis, et ſponte mea componere curas;
Urbem Trojanam primum, dulceſque meorum
Relliquias colerem; Priami tecta alta manerent,
Et recidiva manu poſuiſſem Pergama victis.
Æn. iv. 340.

Non aliam fortaſſe ob cauſam in Trojæ expugnatione, Æneas, utpote præteritam rem narrans, nobilem illam ſententiam *brevi* complectitur:

Pulchrumque mori ſuccurrit in armis. *Æn.* ii. 317.

At Turnum, ira, amore, gloriæ cupidine flagrantem, omnino decuit eodem in argumento copioſius multo et non ſine graviter commotæ mentis indicio verſari.

Si nullam noſtris ultra ſpem ponis in armis;
Si tam deſerti ſumus, et ſemel agmine verſo
Funditus occidimus, neque habet Fortuna regreſſum;
Oremus pacem, et dextras tendamus inermes.
Quanquam O! ſi ſolitæ quicquam virtutis adeſſet;

Ille mihi ante alios fortunatuſque laborum,
Egregiuſque animi; qui, ne quid tale videret,
Procubuit moriens, et humum ſemel ore momordit.
Æn. xi. 411.

Hos autem ſinceri pectoris ſenſus conferat aliquis cum Lucani verſibus, ubi rem ferme eandem, vitam nempe ignominioſe emptam morti poſthabendam, prædicat:

Mille licet gladii mortis nova ſigna ſequantur,
Degener O populus, vix ſecula longa decorum
Sic meruiſſe viris, nedum breve dedecus ævi,
Et vitam dum Sylla redit. *Pharſ.* ii. 115.

Quibus ſtatim perlectis facile patebit, quantum a dicentis moribus ad ſententias confirmandas efficiatur.

Jam vero, ut rem pauliſper quaſi converſam intueamur, plurimum rurſus ſententiæ conferre poterunt ad mores perſonarum declarandos. Quod cum in ſcena fieri aliter vix poteſt, tum in Epico carmine non raro attingendum videtur. Quam juſta mentis imagine proponitur Alcmena illa in Amphitryone Plauti, proba, caſta, verecunda, pia, verſiculis aliquot quos de ſe ipſa pronuntiat!

Non ego illam mihi dotem duco eſſe, quæ vulgo dos dicitur,
Sed pudicitiam, et pudorem, et ſedatum cupidinem,
Deum metum, parentum amorem, et cognatum concordiam:
Tibi morigera, atque ut munifica ſim bonis, proſim probis. *Amphit.* ii. 2, 209.

Quibus ſemel auditis ingenium et mores ejus penitus perſpicere, et quid poſthac eam aut agere aut loqui deceat, animo quaſi occupare licet. Quivis enim una cum Soſia admiratione captus exclamabit;

Næ iſta, ædepol, ſi hæc vera loquitur, ex amuſſim eſt optuma. *Ibid.*

Pariterque Pamphili in Andria candidam ac liberalem indolem ſtatim edocet non ex longinquo ſane petita ſententia, neque arte elaborata, ſed qualem ex bene informato animo res ipſa quæ agitur ſponte eliceret.

Ego, Charine, neutiquam officium liberi eſſe hominis puto,
Cum is nihil promereat, poſtulare id gratiæ apponi ſibi.
Nuptias effugere ego iſtas malo, quam tu adipiſcier.
And. ii. 1, 30.

Sunt hæc quidem in univerſo genere virtutis; lociſque illis continentur communibus, unde omne ſumendum eſt et Rhetoricæ et Poeticæ inſtrumentum. Summi vero artificis eſt ex hoc fonte ita haurire, ut *proprium* illico quod haurias et *ſingulare* fiat. Quanquam enim perpaucis conſtet elementis natura hominum, tamen ex hac tam infinita multitudine nemo eſt cui non ſuum quoddam unius ſit, unde a cæteris diſtingui poſſit. Et quoniam affectuum ferme omnium vis in *ſingularibus* cernitur, nihil elaborandum magis, quam ut fictæ fabularum perſonæ non *genus* modo humanum referant, ſed ſicuti eſt in vitæ conſuetudine, ſuo quæque habitu mentis et morum proprietate gaudeat. Quam quidem facultatem Homero ex Græcis, inter Latinos Virgilio et Terentio potiſſimum tribuerim.

Sic patriæ amorem egregie quidem ſed ſuo more præ ſe fert Ulyſſes, quum Ithacæ illius aſperrimæ deſcriptioni interponit iſta,

Τρηχεῖ', ἀλλ' ἀγαθὴ κεῤῥοτρόφος· ὅτι ἔγωγε
Ἧς γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι. *Odyſſ.* I. 27.

Eumæi autem garrulam ſimplicitatem et perſpectam fidem tantopere exprimit colloquium illud cum hero nondum cognito habitum, ut hominem ipſum coram loqui putares. Ulyſſem igitur ipſum tanquam mortuum hunc in modum luget.

Ὣς ὁ μὲν ἔνθ' ἀπόλωλε· φίλοισι δὲ κήδε' ὀπίσσω
Πᾶσιν, ΕΜΟΙ ΔΕ ΜΑΛΙΣΤΑ ΤΕΤΕΥΧΑΤΑΙ· ἐ γὰρ ἔτ' ἄλλον
Ἤπιον ὧδε ἄνακτα κιχήσομαι, ὁππόσ' ἐπέλθω·
Οὐδ' εἴ κεν πατρὸς καὶ μητέρος αὖτις ἵκωμαι
Οἶκον, ὅθι πρῶτον γενόμην, καί μ' ἔτρεφον αὐτοί.
Οὐδέ τι τῶν ἔτι τόσσον ὀδύρομαι, ἀχνύμενός περ,
Ὀφθαλμοῖσιν ἰδέσθαι, ἐὼν ἐν πατρίδι γαίῃ·
Ἀλλά μ' Ὀδυσσῆος πόθος αἴνυται οἰχομένοιο.
Τὸν μὲν ἐγὼν, ὦ ξεῖνε, ΚΑΙ ΟΥ ΠΑΡΕΟΝΤ' ΟΝΟΜΑΖΕΙΝ
ΑΙΔΕΟΜΑΙ· περί γάρ μ' ἐφίλει καὶ κήδετο θυμῷ·
Ἀλλά μιν ἠθεῖον καλέω, καὶ νόσφιν ἐόντα. *Od.* Ξ. 137.

Huc etiam referendum duco pulcherrimum illud ejuſdem de hoſpitibus benigne excipiendis.

Ξεῖν', ἦ μοι θέμις ἔστ', ἠδ' εἰ κακίων σέθεν ἔλθοι,
Ξεῖνον ἀτιμῆσαι· ΠΡΟΣ ΓΑΡ ΔΙΟΣ ΕΙΣΙΝ ΑΠΑΝΤΕΣ
ΞΕΙΝΟΙ ΤΕ, ΠΤΩΧΟΙ ΤΕ· δόσις δ' ὀλίγη τε φίλη τε,
Γίγνεται ἠμετέρη. *Od.* Ξ. 56.

Virgilio autem et Terentio hanc virtutem nequaquam defuiſſe, ut ſententiis apte collocatis ſingulorum perſonas et quaſi lineamenta oris diſtinguerent, ſingulæ fere probant orationes. Clade nimirum gravi accepta et deſperatis rebus clemens ille et placidus ſenex ita loquitur Latinus.

Cætera qua rerum jaceant perculſa ruina,
Ante oculos interque manus ſunt omnia veſtras.

Nec quenquam incuſo : potuit quæ plurima virtus
Eſſe, fuit : toto certatum eſt corpore regni.
Æn. xi. 312.

Turni autem effigiem una tanquam linea et mero jactu manus, uti aiunt pictores, ex tabula eminere fecit.

Nunquam animam talem dextra hac, abſiſte moveri,
Amittes : habitet tecum, et ſit pectore in iſto.
Æn. xi. 408.

Comœdiæ interea præcipuæ ſunt partes, in minutioribus hiſce verſari, quibus inter ſe differunt homines. Totus hac venuſtate elucet Terentius. Patrem illum miſere ſe cruciantem quantopere a cæteris patribus hac ſola ſententia ſeparavit.

Decrevi, tantiſper me minus injuriæ,
Chreme, meo gnato facere, dum fiam miſer.
Heauton. i. 1, 95.

Calidum vero et præceps ſimul ac generoſum Charini ingenium bene arguit illud,

Heu me miſerum! qui tuum animum ex animo ſpectavi meo. *And.* iv. 1, 22.

Et ne rem pene infinitam perſequar, unam tantum Soſtratæ in Hecyra ſententiam adjicere liceat, qua ſubtiliter admodum Poeta voluit, et doloris intimi ſenſum, et nurus invidiam aliquam, una cum matris amantiſſimæ pietate ſignificari.

Nihil jam mihi iſtæc res voluptatis ferunt :
Dum ætatis tempus tulit, perfuncta ſatis ſum : ſatias jam tenet
Studiorum iſtorum : hæc mihi nunc cura eſt maxuma, ut ne cui meæ
Longinquitas ætatis obſtet ; mortemve exſpectet meam.
Hic video me eſſe inviſam immerito : tempus eſt concedere.

Sic optume, ut ego opinor, omnes cauſas præcidam omnibus:
Et me hac ſuſpicione exſolvam, et illis morem geſſero.
Hec. iv. 2, 17.

Hac enimvero fabula tota, a me quidem ſemper præ cæteris in pretio habita, nullum novi privatæ domus ſpectaculum jucundius, aut magis ad vitæ exemplar effictum.

Tragœdis interea Græcis, Euripidi certe, vix id laudis dederim, quod mores diligenter ſervaverint, et ſententias huic rei inſervire fecerint. Neque tamen pulcherrima deſunt exempla, in Sophocle præſertim, quæ ad diſciplinam noſtram faciunt. Satis jam ſit ex principio Philoctetis unum modo adferre, ubi fraude et mendaciis conſilium Ulyſſis exſequi Neoptolemus indignabundus recuſat.

Ἐγὼ μὲν οὓς ἂν τῶν λόγων ἀλγῶ κλύων,
Λαερτίου παῖ, τούσδε καὶ πράσσειν στυγῶ.
Ἔφυν γὰρ οὐδὲν ἐκ τέχνης πράσσειν κακῆς,
Οὔτ' αὐτὸς, οὔθ', ὡς φασιν, ὑὸκφύσας ἐμέ.
Ἀλλ' εἶμ' ἕτοιμος πρὸς βίαν τὸν ἄνδρ' ἄγειν,
Καὶ μὴ δόλοισιν. οὐ γὰρ ἐξ ἑνὸς ποδὸς
Ἡμᾶς τοσούσδε πρὸς βίαν χειρώσεται.
Πεμφθείς γε μέντοι σοὶ ξυνεργάτης, ὀκνῶ
Προδότης καλεῖσθαι· βούλομαι δ', ἄναξ, καλῶς
Δρῶν ἐξαμαρτεῖν μᾶλλον, ἢ νικᾶν κακῶς. *Philoct.* 86.

Generoſum eſt totum, ſimplex, candidum, apertum: et quanquam aſtutiæ Ulyſſis eo tandem pervicerunt ut munus parum honeſtum obeat, nihil naturæ eſt accommodatius, quam ut mox propoſiti eum ſui pœniteat, utque precibus Philoctetis victus, pro fraude ac furto quæ cogitaverat, ſalutem ultro ferat.

Atque hæc quidem *de Sententiarum uſu in moribus diſtinguendis*. Trita ſane eſt illa et pervulgata doctrina qua cautum eſt modo, ut ſibi conſtent et in factis et in Sententiis perſonæ ; neque in re adeo decantata tempus veſtrum abſumi velim. Supereſt tamen aliquid hac ex parte dicendum, quod mediocrium ſcriptorum aciem plerumque fugit, licet optimorum exemplo, ſæpiſſime comprobetur : majorem ſcilicet ſententiarum vim eſſe, modo occaſio ferat, ſi *ab uſitato more dicentis paullum abeant* ; ſi quando virum ſtrenuum et bellicoſum contingat leniter loqui, iracundum temperate, mollem atque imbellem animoſe ; ſi fervidus juvenis officii ſe memorem præbeat, aut ſenex dolore fractus atque ætate fortiter tamen adverſis rebus occurrat. Certe Hectoris blandum illud cum Andromache colloquium aliqua ex parte nobis commendat virile aliter et ferox principis ingenium ; cujus intimum cor in hæc verba effunditur.

Εὖ μὲν γὰρ τόδε οἶδα κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμὸν,
Ἔσσεται ἦμαρ, ὅτ' ἄν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἰρὴ,
Καὶ Πρίαμος, καὶ λαὸς ἐϋμμελίω Πριάμοιο.
Ἀλλ' οὔ μοι Τρώων τόσσον μέλει ἄλγος ὀπίσσω,
Οὔτ' αὐτῆς Ἑκάβης, οὔτε Πριάμοιο ἄνακτος,
Οὔτε κασιγνήτων, οἵ κεν πολέες τε καὶ ἐσθλοὶ
Ἐν κονίῃσι πέσοιεν ὑπ' ἀνδράσι δυσμενέεσσιν,
Ὅσσον σεῖ', ὅτε κέν τις Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων
Δακρυόεσσαν ἄγηται, ἐλεύθερον ἦμαρ ἀπούρας. *Il.* Z. 447.

Pari in laude eſt Euryali pro matre ſupplicatio, utpote quæ a juvene prodiit bellici atque ardentis ingenii, et gloriæ cupidiſſimo.

Sed te ſuper omnia dona
Unum oro : Genetrix Priami de gente vetuſta

Eſt mihi: quam miſeram tenuit non Ilia tellus
Mecum excedentem, non mœnia regis Aceſtæ.
Hanc ego nunc ignaram hujus quodcunque pericli eſt,
Inque ſalutatam linquo: nox et tua teſtis
Dextera, *quod nequeam lacrymas perferre parentis.*
At tu, oro, ſolare inopem, et ſuccurre relictæ.
Hanc ſine me ſpem ferre tui: *audentior ibo*
In caſus omnes. *Æn.* ix. 283.

Quinetiam Ajacis illius Sophoclei ferreum cor miteſcere omnino placet, quum infanti filio et uxori verba facit ſuprema: et Mezentium ipſum, Lauſo interempto, ad meliorem quodammodo frugem reverti. Quapropter etiam Euripidem a criticis quibuſdam carpi vix patior, quia ſcilicet Iphigeniam nunc timidam et ſupplicem fingit ad patris pedes provolutam, nunc fortem et impavidam ſumma animi conſtantia et corporis dignitate fato cedere. Atqui id conſilio egiſſe maximum poetam credibile eſt, quo affectus audientium vehementius irritaret tam inuſitata re, neque tamen, meo quidem judicio, ſupra fidem mirabili. Egregia eſt omnium pulchritudo, quæ ad Matrem, ad Achillem, ad Patrem denique ipſum virgo moritura loquitur, ex quo firmato jam animo fatis obſequi decrevit. Nos ex paucis modo exemplum ſumamus.

Κατθανεῖν μέν μοι δέδοκται· τῦτὸ δ' αὐτὸ βέλομαι
Εὐκλεῶς πρᾶξαι, παρεῖσα γ' ἐκποδὼν τὸ δυσμενές.
. . . . . .
Καὶ γὰρ ὐδέ τοι λίαν γ' ἐμοὶ φιλοψυχεῖν χρεὼν,
Πᾶσι γάρ μ' Ἕλλησι κοινὸν ἔτεκες, ὐχὶ σοὶ μόνῃ.
Ἀλλὰ μυρίοι μὲν ἄνδρες ἀσπίσιν πεφραγμένοι,
Μυρίοι δ' ἐρέτμ' ἔχοντες, πατρίδος ἠδικημένης,
Δρᾶν τι τολμήσουσιν ἐχθρές τε, χ' ὑπὲρ Ἑλλάδος θανεῖν.
Ἡ δ' ἐμὴ ψυχὴ, μί' ὄσα, πάντα κωλύσει τάδε;
Iph. Aul. 1375.

Deinde ad Achillem, qui indole tam generoſa captus ſe ſponſum illico ac vindicem adverſus Græcos obtulerat, reſponſum dat regia ſane virgine dignum.

Λέγω τάδ' οὐδὲν οὐδέν' εὐλαβεμένη.
Ἡ Τυνδαρὶς παῖς διὰ τὸ σῶμ' ἄρχει, μάχας
Ἀνδρῶν τιθεῖσα, καὶ φόνους. ΣΥ Δ', Ω ΞΕΝΕ,
ΜΗ ΘΝΗΣΚΕ ΔΙ' ΕΜΕ, ΜΗΔ' ΑΠΟΚΤΕΙΝΗΣ ΤΙΝΑ.
Ἕα δὲ σῶσαί μ' Ἑλλάδ', ἣν δυνώμεθα. *Iph. Aul.* 1417.

Quas porro partes eam uſque ad finem ſuſtinuiſſe nuncius narrat.

Ἡ δὲ σταθεῖσα τῷ τεκόντι πλησίον
Ἔλεξε τοιάδ'. ὦ πάτερ, πάρειμί σοι,
Τὸμὸν δὲ σῶμα τῆς ἐμῆς ὑπὲρ πάτρας
Καὶ τῆς ἁπάσης Ἑλλάδος γαίας ὕπερ,
Θῦσαι δίδωμ' ἑκοῦσα πρὸς βωμὸν θεᾶς.
Καὶ τὰπ' ἐμ' εὐτυχοῖτε, καὶ νικηφόρα
Δόρα τύχοιτε, πατρίδα τ' ἐξίκοισθε γῆν.
Πρὸς ταῦτα μὴ ψαύσῃ τις Ἀργείων ἐμοῦ
Σιγῇ· παρέξω γὰρ δέρην εὐκαρδίως. *Ibid.* 1551.

Talis nimirum ſpectaculi admiratione defixam pingit multitudinem:

Τοσαῦτ' ἔλεξε· ΠΑΣ Δ' ΕΘΑΜΒΗΣΕ, ΚΑΥΩΝ
ΕΥΨΥΧΙΑΝ ΤΕ ΚΑΡΕΤΗΝ ΤΗΣ ΠΑΡΘΕΝΟΥ.
Ibid. 1561.

Evandrus pariter, quem, miſſo modo ad bellum filio, ‘famuli collapſum in tecta ferebant,’ jam filii cadavere accepto fortitudine quadam nova et robore animi imbuitur.

Quod ſi immatura manebat
Mors natum: cæſis Volſcorum millibus ante,
Ducentem in Latium Teucros, cecidiſſe juvabit.
Quin ego non alio digner te funere, Palla,
Quam pius Æneas, et quam magni Phryges, et quam
Tyrrhenique duces, Tyrrhenûm exercitus omnis.

Magna tropæa ferunt, quos dat tua dextera leto.
Tu quoque nunc ſtares immanis truncus in armis,
Eſſet par ætas, et idem ſi robur ab annis,
Turne. Sed infelix Teucros quid demoror armis?
Æn. xi. 166.

Tum ſevera quædam dat nuntiis mandata, et ingenti dolore animum exacerbari non molliri plane ſignificat. Sed de his jam nimis multa profudimus. Quare, abſolutis iis quæ ad Sententiarum vim augendam pertinebant, mox de vitiis, quibus aut minui earum vis aut penitus deleri poſſit, agendum erit.

PRÆLECTIO VICESIMA SEXTA.

Vitandæ ſunt Sententiæ *pravæ et odioſæ—aut ſi quæ ſint ejus generis a* Perſonis *dictæ, extenuentur quantum poteſt, et colorem quendam virtutis induant. Quas vero* ex ſe *loquitur poeta, ſemper ſint eæ probæ et honeſtæ. Cavendum tamen eſt, ne modum exſuperent—neve ſint obſcuræ—aut acutæ nimis. Hinc de* proverbii *et* parabolæ *forma pauca dicendi occaſio datur.*

DE vitiis quibuſdam hodie dicturus quæ in Sententiarum uſu ſolent incautos fallere, imprimis genus illud omne improbatum velim, cui pravi aliquid aut odioſi ſubeſt, quod ſcilicet ſtatim auditum aures quaſi refugiunt, et mens inſito magis quam quæſito judicio reſpuit. Non enim ita ad ſcelus ſponte ſua ferri cujuſquam animum credibile eſt, ut cogitato facinori non ſpeciem aliquam prætexat virtutis, aut certe neceſſitatis. Quare iſta melius quam pro more ſuo Curioni Lucanus tribuit, Cæſarem ad arma civilia capienda adhortanti.

> Sed poſtquam leges bello ſiluere coactæ,
> Pellimur e patriis laribus, patimurque volentes
> Exilium: tua nos faciat victoria cives. *Luc.* i. 277.

At Cæſaris ipſius apud milites orationi eadem vix debetur laus.

Sed dum tela micant, non vos pietatis imago
Ulla, nec adverſa conſpecti fronte parentes
Commoveant: vultus gladio turbate verendos.
Luc. vii. 320.

Quippe extenuari hæc præſtaret, et in umbram potius rejici, quam luce palam aperta proferri.

Simili non caret vitio Polynicis apud Senecam capitalis oratio, in qua præter conſuetudinem ac naturam hominum hæc matri obteſtanti reſpondet.

Pro regno velim
Patriam, penates, conjugem flammis dare:
Imperia pretio quolibet, conſtant bene.
Sen. Phœn. 662.

Quod ſi Euripidem hanc ipſam rem agentem adeamus, melius multo eum quid deceat vidiſſe intelligetur, et curaſſe ſedulo, ne juſtos fines tranſeat improbitas. His etenim verbis matrem allocutus Eteocles ſe inſatiabili quidem regni cupidine ad injuſtum facinus accendi profitetur, at pudore inſuper impediri, quo minus fratris conditionibus aurem præbeat.

Ἐγὼ γὰρ ᾔδειν, μᾶτερ, ἀποκρύψας ἐρῶ.
ΑΣΤΡΩΝ ΑΝΕΛΘΟΙΜ' ΗΛΙΟΥ ΠΡΟΣ ΑΝΑΤΟΛΑΣ,
ΚΑΙ ΓΗΣ ΕΝΕΡΘΕΝ, δυνατὸς ὢν δράσαι τάδε,
Τὴν θεῶν μεγίστην ὥστ' ἔχειν Τυραννίδα.
Τῦτ' ἦν τὸ χρηστὸν, μᾶτερ, οὐχὶ βέλομαι
Ἄλλῳ παρεῖναι μᾶλλον, ἢ σώζειν ἐμοί·
ΑΝΑΝΔΡΙΑ ΓΑΡ, τὸ πλέον ὅστις ἀπολέσας
Τἔλασσον ἔλαβε. πρὸς δὲ τοῖσδ' αἰσχύνομαι,
Ἐλθόντα σὺν ὅπλοις τόνδε, καὶ πορθοῦντα γῆν,
Τυχεῖν ἃ χρῄζει· ταῖς γὰρ ἂν Θήβαις τοδε
Γένοιτ' ΟΝΕΙΔΟΣ, εἰ Μυκηναίᾳ δορὸς
Φόβῳ, παρεῖην σκῆπτρα τἀμὰ τῷδ' ἔχειν.
Eur. Phœn. 506.

Tum noviſſimis hiſce orationem abrumpit.

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν· τἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών. *Eur. Phœn.* 527.

Utinam ſane id laudis Euripidi merito concederetur, ut nuſquam hujus culpæ reus arguatur: ſed plurima ſunt in Alceſtide ab Admeto in Pherem patrem ſuum convicia edita, adeo atroci et fœda impietate inquinata, ut ſcena prorſus indigna habeantur, et fere ad μιαρὸν illud accedant, quod a poeſi omnium criticorum judicio exulat.

Eſt certe aliquid dandum dicentis moribus, quem ſæpiſſime uſu venit et pravis affectibus commoveri, et quid velit magis quam quid oporteat agere. Sed quoniam ſcelus omnes inviti intuemur, id modo cavendum duxi, ut ne ſcelera ex mero ſceleris amore videantur naſci, neque adeo deformi mente quis fingatur, ut improba quæ ſint ultro amet probetque.

Quod ſi tantopere improbitatis odio tenemur, ut perſonas quibus iſti mores ſatis conveniunt in poemate ægre patiamur, quantum a vero poeſeos propoſito abſit facile quis intelliget, ſententias efferre a virtute alienas, non commotis affectibus aut præ nimia inter agendum cupiditate, ſed quaſi ortas ex judicio ac voluntate ſcriptoris. Hoc autem tametſi ne in peſſimis exemplis fiat vel communis vetaret hominum ſenſus, tamen ab iis, quos poetarum dignamur nomine, excidunt nonnunquam ſententiæ, quas nemo frugi aut ſobrius comprobaret. Ecquem enim querula iſta Poſidippi delectant?

Ἦν ἄρα τοῖνδε δυοῖν ἑνὸς αἵρεσις, ἢ τὸ γενέσθαι
Μηδέποτ', ἢ τὸ θανεῖν αὐτίκα τικτόμενον.
Brunck. Gnom. Poet. p. 135.

Aut hæc Theognidis ad opes augendas ſpectantia.

Φείδεσθαι μὲν ἄμεινον, ἐπεὶ οὐδὲ θανόντ' ἀποκλαίει
Οὐδείς, ἢν μὴ ὁρᾷ χρήματα λειπόμενα. *Ibid.* p. 38.

Ejuſdem eſt ſententia his certe temporibus pro impia et crudeli habita, licet aliter veteribus pleriſque eſt viſum, de vindicta ex hoſtibus ſumenda.

Ἔν μοι ἔπειτα πέσοι μέγας οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθε
Χάλκεος, ἀνθρώπων δεῖμα παλαιγενέων,
Εἰ μὴ ἐγὼ τοῖσιν μὲν ἐπαρκέσω, οἵ με φιλεῦσι,
Τοῖς δ' ἐχθροῖς ἀνίη καὶ μέγα πῆμ' ἔσομαι.
Ibid. p. 35.

Ajacem quidem Sophocleum hæc vota pro filio feciſſe nemo miratur—et pro cujuſque moribus ea poetæ ingenio ornari æquum ducimus. At ſobrium quenquam et ſiccum, ut aiunt, hæc velle ac probare faſtidium parit.

Quinetiam inhumanam Æneæ feritatem, quum in hoſtes interfectos, ipſo in mortis articulo, dictis mordacibus inſultat, nunquam eo nomine ſatis excuſatam habui, quod temporum illorum ingenio ſit conſentanea. Rem enim non ita omnino ſe habuiſſe, ipſæ infortunatorum ſpes et miſerrimæ *preces* ſatis docent. Atqui ubi inſignem virtute virum his non modo videmus immotum ſe gerere, verum et morientes ultro irridere, magis fortaſſe idcirco angitur pectus; ſicuti in vita plus dolemus probi et amici hominis ſi qua fuerint delicta, quam vulgaris alicujus aut plane perditi. Hujuſmodi exemplum eſt illud in Decimo Æneidos,

Per te, per qui te talem genuere parentes,
Vir Trojane, ſine hanc animam, et miſerere precantis,
Pluribus oranti Æneas: haud talia dudum
Dicta dabas. *Morere, et fratrem ne deſere frater.*

et adhuc ferociora illa,

> Tum caput orantis nequicquam, et multa parantis
> Dicere, deturbat terræ: truncumque tepentem
> Provolvens, ſuper hæc inimico pectore fatur:
> Iſtic nunc, metuende, jace: non te optima mater
> Condet humi, patriove onerabit membra ſepulcro:
> Alitibus linquere feris, aut gurgite merſum
> Unda feret, piſceſque impaſti vulnera lambent.
>
> *Æn.* x. 556.

Taceo jam iſta paſſim apud Lyricos poetas obvia, quæ in vitæ brevitate verſantur—non quo ſic a ſtudiis vanis et inutilibus revocare poſſint homines ad ſaniorem diſciplinam et vera vitæ munera obeunda—verum ut eam ſcilicet ob cauſam ſe totos voluptati dedant—ut bibere, canere, epulari, et in omnem lætitiam et libidinem effundi velint. Satis haud dubie ſuperque hominum levitati conceditur, ſi veniam his rebus et lenitatem adhibeamus; nedum eas præceptorum ritu efferri fas ſit, quaſi hoc demum ſit vita bene ac ſapienter uti.

Neque ſane, ut opinor, modo abjiceretur venuſtas illa carminis et feſtivus lepor, qui plerumque his nugis offunditur, multorum ſuffragia res ipſa ferret; quippe quæ ſenſum quem vocant moralem manifeſto lædat. Namque ubi non ſua res agitur, recte utplurimum etiam vulgus judicat; neque improbitatem ſolet *aliorum* aut nequitiam laude proſequi.

Quamobrem defenſio iſta, qua hujus generis ſcriptores interdum ſe tutos arbitrantur, omnino repudianda eſt.

> Laſciva eſt nobis pagina, vita proba eſt. *Mart.*

Quoniam id ſummæ pravitatis merito habendum eſt; ſi quod ipſe in te nolis admittere, idem cæteris te

infirmioribus ut commendes, omni artis lenocinio et verborum illecebris abutaris.

Etiam illa, quæ triſte aut moroſum nimis ingenium et inhumanum ſapiunt, quanquam improbitate careant, tamen odio aliquo proſequimur, et inviti laudamus. Quale eſt Sophocleum illud de amicitia:

Ἐγωγ' ἐπίσταμαι γὰρ ἀρτίως, ὅτι
Ὅ τ' ἐχθρὸς ἡμῖν ἐς τοσόνδ' ἐχθραντέος,
Ὡς καὶ φιλήσων αὖθις· ἔς τε τὸν φίλον
Τοσαῦθ' ὑπουργῶν ὠφελεῖν βεβήσομαι,
Ὡς αἰὲν ὢ μενοῦντα, τοῖς πολλοῖσι γὰρ
Βροτῶν ἄπιστός ἐσθ' ἑταιρίας λιμήν. *Soph. Aj.* 678.

Quod eleganter idem et quidem lenius præcepit Martialis;

Si vitare velis acerba quædam,
Et triſtes animi cavere morſus,
Nulli te facias nimis ſodalem:
Gaudebis minus, et minus dolebis. *Mart.* xii. 34.

Hujuſmodi autem qui ſtudebit ſententiis, eum neque ut præceptorem vereri, neque ut probum virum diligere ſolent homines; et ſi quando ingenii, ut fit, laudem extorſerit, laudare tamen eum malunt quam legere.

Interea optimæ frugis ſententias, quibus ſummam virtutem et ſinceros animi affectus declarari quis velit, per imperitiam ſcriptoris interdum aut in faſtidium aut riſum exire contigit.

Nam primo, ſicuti in miſericordiæ partibus tractandis id ſæpe monitum eſt ne res fidem exſuperaret, ita vel in *ſumma* virtute referenda ſervandus quidam eſt modus, quem qui exceſſerit ſuam ipſe nimium conando operam perdet. Quo quidem in

vitio cum multus ſit Lucanus, tum luculentius vix requirat aliquis exemplum, quam Corneliæ preces quibus maritum laceſſit ad bella abeuntem. Sed ne in tenebras vos improviſos adducam, rem paucis prius interpretari præſtabit, quam carmina ipſa recitem.

Uxori utique præceperat Pompeius, ut belli eventum Leſbo expectaret; quod ægre fert illa, quoniam ſcilicet ſi viro mors contingat, ſibi una mori non licebit, ſed uſque dum nuntius cladis advenerit, defuncto jam viro, ipſam ſupereſſe neceſſe erit. Tum vero et hoc ipſum metuit, ut poſtquam ſeorſim poſita viro carere didicerit, ſatis fortis fuerit ad mortem capeſſendam!

> Te ſequar ad manes: feriat dum mæſta remotas
> Fama procul terras, vivam tibi nempe ſuperſtes.
> Adde quod aſſueſcis fatis, tantumque dolorem
> Crudelis me ferre doces: ignoſce fatenti:
> Poſſe pati, timeo. *Luc.* v. 774.

Iterum vero Pompeio interfecto, hiſce tragœdiis ſingularem conjugis amorem ſignificari voluit.

> Jam nunc te per inane chaos, per Tartara, conjux,
> Si ſunt ulla, ſequar: quam longo tradita leto
> Incertum eſt: *pœnas animæ vivacis* ab ipſa
> Ante feram: potuit cernens tua vulnera, Magne,
> Non fugere in mortem: planctu contuſa peribit:
> Effluet in lacrymas: nunquam veniemus ad enſes,
> Aut laqueos, aut præcipites per inania jactus.
> *Turpe mori poſt te ſolo non poſſe dolore.*
> *Luc.* ix. 102.

Sententiis interea nonnunquam obeſſe ſolent vitia quæ lingua magis quam re peccant; quum aut Obſcuræ fuerint, aut Acutæ nimis et argutiis inſtructæ,

aut faſtu denique verborum tumeant, et imaginum plus juſta multitudine luxurient.

Hæc autem omnia ex eodem fonte repetenda duco, imperita ſcilicet *Pulchri Rectique* imitatione, nulla rerum ac temporum aut modi ratione habita. Nam ſi ad vetuſtiora in hoc genere exempla revertamur, præcipue in pretio fuiſſe conſtat, ut ſubobſcuræ fierent ſententiæ, quo mentem auditoris accenderent quaſi et erigerent—tum ut breves et acutæ, aculeorum inſtar, aures ferirent—poſtremo, ut nova aliqua comparatione, aut imaginum varietate ac pulchritudine ſenſus reficere, et memoriæ poſſent eſſe auxilio. Hinc illa ab Aſiaticis ferme omnibus uſurpata, et præſertim apud Hebræos ſolennis *parabolæ* forma; cujus vim ac naturam accurate expoſuit vir et Hebraicæ poeſeos et literarum omnium humaniorum peritiſſimus, quem hac ipſa ex ſede quondam loquentem mirata eſt juventus Academica, nunc omnes tanquam ducem in his ſtudiis ſequimur et præceptorem unicum.

Hoc nimirum auctore facile intelligitur, non dicenti in animo eſſe ingenium ſuum his artibus prædicare, ſed hominum utilitati inſervire; quos ſæpe monitum grave ac ſerium præterire uſu venit, tanquam communem cantilenam, niſi veſtitu quodam ornetur non vulgari, et leporis aut venuſtatis ſpeciem præ ſe ferat. Quinetiam id pleriſque contigit, ut quæ paullum a conſpectu recedant, aut quæ velo quaſi prius amoto intueri oporteat, ea mirentur magis, magiſque in deliciis habeant. Quare totum hoc præceptorum genus pulcherrime a Salomone ipſo appellantur ‘ Aurea poma in opere reticulato argenti.’

Eandem ferme ad normam plurima ſunt Solonis,

Theognidis, aliorumque antiquiorum dicta, quippe quibus eadem agenda res erat—ut mentem erigerent, dimitterentque præcepti memorem. Quæ res adeo quibuſdam fraudi fuit, ut poemati Epico aut Dramatico pariter putarent has artes et decori et ſubſidio fore: quum id Fabula ipſa et dicentium fortuna, mores, et affectus ſatis præſtent, quod in Satira et Didactico carmine *aliunde* efficiendum eſt. Quinimo inter agendum parum loquentem decent iſta, umbra et otio ſcholarum enutrita—nempe ut acuminatæ ſint et vibrantes ſententiolæ—ut verba verbis reſpondeant —ut vox eadem inopinato redeat:

Me non oracula certum
Sed mors certa fecit. *Luc. Pharſ.*

Nimium placet ipſe Catoni
Si bellum civile placet. *Ib.* ii. 276.

Quis non hujuſmodi ineptiis offenditur, tanquam a carminis Epici gravitate omnino alienis? Atqui ſexcentos hic poſſem Pharſaliæ verſus adferre, ſi per tempus liceret, in quibus pariter aut curioſa hac ambitione, aut obſcuritate nimia, aut tumido denique verborum et imaginum faſtu penitus obruitur ſententia. Verum hæc jam miſſa facio, ut pauca quædam huic doctrinæ prætexere poſſim, ne videantur quæ modo dicta ſint latius patere, quam aut veritas ferat aut voluntas mea.

Namque in compluribus carminum formis, brevioribus præſertim, maxima haud dubie ſententiis accedit gratia, ſi tereti quodam incluſæ fuerint et rotundo verborum ambitu—ſi res ſatis ante cognita preſſe ac nitide efferatur—ſi intorqueatur paullulum ſolitus verborum ſenſus—ſi, exigua immutatione facta, verba in

ſe redeant—ſi lepido nec opinato ſaltu claudatur ſententiæ curſus. Cujuſmodi ſunt illa Martialis:

Extra fortunam eſt quicquid donatur amicis:
Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes.
Mart. v. 43.

Hominem malignum forſan eſſe tu credas:
Ego eſſe miſerum credo, cui placet nemo.
Mart. v. 29.

Ampliat ætatis ſpatium ſibi vir bonus: hoc eſt
Vivere bis, vita poſſe priore frui. *Mart.* x. 23.

Neque ſane aut ab hiſce argutiis omnino abhorret Scena, aut parabolarum more in ſententiis ornandis imaginum ope neſcit uti.

Nam ego illum *periiſſe* duco, cui quidem *periit* pudor,

exclamat Lydus ille Plautinus in Bacchidibus. Rurſus in Aſinaria:

Lupus eſt homo homini, non homo, quom qualis ſit non novit. *Aſin.* ii. 3.

Is eſt amicus qui in re dubia re juvat, ubi re opus eſt.
Epid. i. 2.

Nullus unquam amator adeo 'ſt callide
Facundus, quæ in rem ſint ſuam, ut poſſit loqui.
Merc. i. 1.

Ejuſdem poetæ ſunt in Curculione iſta Palinuri, quæ virtutis aditus diligenter ſervandos admonent.

Flamma fumo eſt proxima:
Fumo comburi nihil poteſt; flamma poteſt.
Qui e nuce nucleum eſſe vult, frangit nucem.
Plaut. Curcul. i. 1, 53.

Aſiaticis autem omnibus ſolenne id fuiſſe conſtat, ut præceptum aut ſententiam aliquam non nudam proferant, ſed, ſive id delectationis gratia ſeu memoriæ factum eſſet, cum imagine quadam copulent. Certe

efficacius multo eſt, et menti fortius inhæret proverbium illud Arabicum, *Verbum lacti ſimile eſt, reverti nequit*, quam exile Horatii in ſimili re monitum, *Neſcit vox miſſa reverti.*

Quinetiam in Tragœdiis dicto ſæpe affert lucem et quidem dignitatem, peregrini aliquid cum propria re conjungere, modo ne in vulgare quiddam aut vile deſcendas. Sic fidelis amicus quanti ſit pulcherrime exprimit Oreſtes,

Πιστὸς ἐν κακοῖς ἀνὴρ
Κρείσσων γαλήνης ναυτίλοισιν εἰσορᾶν. *Oreſt.* 717.

Et Polynicis aureum eſt dictum de veritate ſimili artificio inſtructum.

Ἁπλῆς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ,
Κοὐ ποικίλων δεῖ τὰ 'νδιχ' ἑρμηνευμάτων·
Ἔχει γὰρ αὐτὰ καιρόν. ὁ δ' ἄδικος λόγος,
ΝΟΣΩΝ ΕΝ ΑΥΤΩ, ΦΑΡΜΑΚΩΝ δεῖται σοφῶν.
Eur. Phœn. 472.

At Satiræ præſertim et Didactici carminis id omne eſt de quo jam loquimur inſtrumentum. Et profecto ſi quis cauſas interiores expendat, cur ſententiis percellatur animus, non tantum *Eſſentia* rei, ut Dialectici loquuntur, id effici fatebitur, quantum *Accidentibus* et *Adjunctis*. Sunt enim aut antitheſi fortiter communitæ, ſicut illud Juvenalis,

Et propter vitam vivendi perdere cauſas,
Juv. viii. 84.

aut metaphoris et verbis ardentioribus conceptæ, ut in his,

Hic nigri ſuccus loliginis, hæc eſt
Ærugo mera. *Hor. Sat.* i. 4, 100.

Tanti tibi non ſit opaci
Omnis arena Tagi, quodque in mare volvitur aurum.
Juv. iii. 54.

Qua quidem virtute Perſium ferme Juvenali præſtantiorem dixerim; adeo apta plerumque et illuſtri imagine quod præcipere vult commendat, quantumvis per ſe exile ac jejunum ſit, aut uſu pervulgatum.

Ut nemo in ſeſe tentat deſcendere, nemo!
Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo.

Perſ. iv. 23.

Jam cras heſternum conſumpſimus: ecce aliud cras
Egerit hos annos, et ſemper paullum erit ultra.
Nam quamvis prope te, quamvis temone ſub uno,
Vertentem ſeſe, fruſtra ſectabere canthum,
Cum rota poſterior curras, et in axe ſecundo.

Perſ. v. 68.

Tum licet ſalſo et amarulento minus flumine decurrat Perſius, tamen ardens uſque propoſito inſtat, et cominus rem gerens, vitium pariter et ſtultitiam et deſidiam loco deturbat. Quid enim his verſibus, quibus Epicureos ſtringit, gravius unquam ex ſanctiſſimorum vatum ore excidit, quos equidem, ut toti huic de Sententiis diſciplinæ coronam quaſi imponant, deligendos duxi.

Vive memor leti: fugit hora: hoc, quod loquor, inde eſt,
En quid agis? duplici in diverſum ſcinderis hamo:
Huncccine, an hunc ſequeris? ſubeas alternus oportet
Ancipiti obſequio dominos: alternus oberres.
Nec tu, cum obſtiteris ſemel, inſtantique negaris
Parere imperio, *Rupi jam vincula*, dicas.
Nam et luctata canis nodum arripit: attamen illi
Cum fugit, a collo trahitur pars longa catenæ.

Perſ. v. 153.

PRÆLECTIO VICESIMA SEPTIMA.

De Epitaphiis. *Cavendum ne in rebus narrandis longiora ſint. Ad tria plerumque capita referuntur.* 1. *Mortuorum mores referuntur.* 2. *Viventium exprimuntur Affectus.* 3. *Sententia aliqua pulchra aut gravis proponitur.*

QUANQUAM ea uſque a principio fuerit diſciplinæ noſtræ ratio, ut univerſæ artis inſtrumentum magis exponerem, quam in genere aliquo poematum expendendo ſeorſim verſarer, ſubiit tamen in mentem non alienum fore ab hac operis noſtri parte, ſi in EPITAPHIORUM ratione expedienda paullum operæ ponatur; quæ quidem ſcripturæ forma nulla certa lege hactenus definiri videtur, nec ferme ullis criticorum præceptis inniti.

Neque hic profecto juſtam ingredior de re tam diffita doctrinam: ſatis id fuiſſe ducam, ſi quæ temere olim vagari ſolita eſt intra aliquos poſſit fines compelli, et in ſua potius regione ſe continere addiſcat. At ne quis forte objiciat, quicquid metro non fuerit adſtrictum, id nihil ad nos pertinere, meminerit velim Epitaphia, licet metro careant, rhythmum tamen quendam ferme omnia affectare; atque ita, et re et verbis, ab uſitata oratione diſcedere, ut jure aliquis ea Poeſeos nomine complecti poſſit.

Solenne quidem id fuiſſe exiſtimo apud ultimæ antiquitatis gentes, ut illuſtrium virorum manes honore et titulo ſepulchrali proſequerentur: neque enim uſquam magis decuit mortuorum memoriam commendare poſteris, quam illo ipſo in loco ubi jaceret adhuc quicquid reliquum ex vivis eſſet. Sed in hoc munere exſequendo, gravius veterum plerumque et ſanius quam recentiorum judicium fuiſſe arbitror; nempe a quibus ſatis eſſet habitum ſepulti nomen, patriam, opus aliquod aut meritum inſigne, ſimplici et parco ſermone efferre. Quod quidem apud Romanos in ſummis Principibus ita ſe habuiſſe ſatis conſtat. Neque injuria. Niſi enim rerum geſtarum memoria aliis quoque ſervetur monumentis, parum hujuſcemodi titulo apud poſteros habebitur fidei; tum niſi præconem *alium* hæ res nactæ fuerint, vix tanti eas fuiſſe credibile eſt, ut poſt mortem vigere debeant.

Quare illud omne Epitaphiorum genus longe a recto abeſſe judico, quæ res geſtas ſingulatim exponere amant, munera, dignitates, beneficia publica et privata recenſere, quinam fuerint conſiliorum exitus, quantus regum aut populi favor. Quippe hæc omnia ad Oratoris partes magis pertinere, aut ad vitæ rerumque hiſtoriam nemo non videt. Quod autem ſepulchro imprimis convenit, ut tacito mentis motu ad mortuorum contemplationem trahamur, id tum maxime fiet, ſi unum aliquod, aut certe pauciſſima ſcite proferantur quæ lectorem arripiant, et in ſe vagos animi ſenſus ſubito defigant.

Simplici nimirum illo Condæi magis percellimur, *Sta Viator heroem calcas*, quam ſi prælia, itinera, capta ac direpta oppida juſto ordine evolverentur. Facile enim iſta rerum ſcriptoribus permitti patimur

—id ſane nos eo fidentius quam veteres facturi, ut quibus multiplex librorum copia illuſtrium virorum facta ab interitu ſatis vindicabit. Quare et memorabile illud Thermopylis, ſuper Lacedæmoniis inſcriptum, mihi ſemper egregium in hoc genere viſum eſt. Miſſa enim mentione omni de numero hoſtium, de pugnæ ac loci natura, quicquid ad fortitudinem ac pietatem mortuorum ſpectabat, quicquid ad decus ac ſolamen viventium, id omne complexum eſt carmen, gravi imprimis et ſevero ſermone conditum.

Ὦ ξεῖν', ἀγγέλλειν Λακεδαιμονίοις ὅτι τῇδε
Κείμεθα, τοῖς κείνων ῥήμασι πειθόμενοι.

Herod. vii. 228.

Neque illud affectu caret quod in voce ἀγγέλλειν continetur; unde facti ipſius recens adeo ſubit imago, ut ad temporis illud momentum animis abripiamur, quo tam præclari facinoris nuntius Spartam pervenerit.

Hoc profecto ſibi præcipuum munus exiſtiment velim Epitaphiorum ſcriptores, ut luxuriam ingenii compeſcant, et unum quoddam pulchre dicere malint quam multa diſerte. Quod cum in univerſo genere obſervandum cenſeo, tum ſingularum propria quædam ſunt partium præcepta, quæ jam ſtrictim percurriſſe ſatis eſto.

Res igitur tota videtur ad tria ferme capita referri poſſe. Namque aut *vita defuncti mores exponere* vult ſcriptor, aut *ſuo dolori et deſiderio indulgere*, aut *ſententiam* denique aliquam a tempore et loco non alienam efferre, quæ in communem fortaſſe utilitatem cedat.

Quod vero ad *Mores* attinet, cavendum imprimis eſt, ne laxa omnino et communis ſit deſcriptio, qualis multorum millium eſſe poſſit; quoniam affectus

ſingulare aliquod ſemper et definitum poſcunt: tum, quod gravius multo eſt peccatum, ne tumida et ambitioſa modum omnem et fidem ſuperet. Invita ſane Minerva in tragœdias haſce excurrunt recentiores quidam—*Vir omnibus numeris abſolutus—Omni laude major—Eloquentiæ flumen, torrens, fulmen—Suadæ ſacerdos unicus.* Quæ in pectus legentis illabi prorſus nequeunt, et ſcriptorum modo vanitatem olent. Hoc autem in vitio eſt antiquum illud de Auguſto, quod tumulo ejus inſcriptum fuiſſe vix crediderim, adeo ab ætatis illius vena penitus abhorret.

Quantum ingens orbis, quantum Jovis alta poteſtas,
Tantus in orbe fui, mare trans pontumque ſubegi:
Vix cœlum Superis et ſidera ſumma reliqui.
Epig. et Poem. vet. p. 89. 12mo. *Paris.* 1590.

Et iſta Catonis,

Ne mirere ſacri deformia buſta Catonis:
Viſuntur magni parva ſepulcra Jovis. *Ib.* 87.

Audacius fortaſſe eſt Epigramma Nævii poetæ a Gellio traditum: verum hoc certe boni habet, quod non in vagos et inanes ſtrepitus laus abeat, ſed in certo quodam et definito genere ſe contineat.

Mortalis immortalis flere ſi foret fas;
Flerent divæ Camœnæ Nævium Poetam.
Itaque poſtquam eſt Orcino traditus theſauro;
Obliti ſunt Romæ loquier Latina lingua.
Gell. lib. i. c. 24.

Contra Pacuvii Epigramma, nimis in alteram partem proclive, per quatuor exangues ſenarios nihil aliud narrat præter ſepulti nomen. 'Verecundiſſimum quidem eſt,' ut Gellii ipſius verbis utar, 'et puriſſimum, dignumque ejus elegantiſſima gravitate'—at mihi certe videtur ſola linguæ puritate pollere, quæ

tamen, Iambicorum more non inſolito, diem terit otioſe nihil dicendo.

Adoleſcens, tamen etſi properas, hoc te ſaxum rogat,
Uti ad ſe aſpicias: deinde quod ſcriptu'ſt legas.
Hic ſunt poetæ Marcei Pacuviei ſita
Oſſa: hoc volebam neſcius ne eſſes. Vale.
Gell. lib. i. c. 24.

Neque enim ita attenuatum et exile volo ſit carmen ut acumine omni careat, tractu modo verborum ſine colore et anima notandum. Quin verba ſint apte inter ſe collocata, et oppoſita aut repetita interdum, verſu pene in orbem redeunte, aut pro re nata, in fine aurem feriant. Sicuti illud Pompeiani de Cicerone,

Qui tenet eloquii faſtigia ſumma Latini,
Qui Conſul patriam cædibus eripuit,
Quique trium ſævo vitam dedit enſe virorum,
Tullius en hac eſt ipſe ſepultus humo:
Sed vitæ brevitas penſatur laude perenni:
Quod mors eripuit, gloria reſtituit.
Epig. et Poem. p. 91.

Et Euripidis Epitaphium:

Non hæc urna tua Euripides, ſed tu magis hujus;
Namque tua hanc urnam gloria condecorat.
Ferret. p. 326. *not.*

Et præ cæteris ferme omnibus Zoſimæ elogium, cui ſervæ licet, ſumma erat ingenii et virtutis laus.

Ζώσιμη, ἡ πρὶν ἐοῦσα μόνῳ τῷ σώματι δούλη,
Καὶ τῷ σώματι νῦν εὗρεν ἐλευθερίην.
Brod. Epig. Baſ. 1549. p. 322.

Quod ſi in animo ſit juſtam magis et accuratam mortuorum imaginem effingere, profecto id pluribus faciendum: ſed curandum eſt ſedulo tamen, ne ita in

ſingula excurratur, ut Epitaphii naturæ ac rationis interea fiamus immemores; cujus præſertim eſt, quicquid habeat, preſſe, concinne, enucleate loqui.

Præclarum eſt in hoc genere Martialis Glauciæ epigramma; quia ſcilicet pueri mores, fortunam, ætatem, locum, ſuaviter et venuſte neque tamen effuſa iſta garrulitate enarrat, qua non pauca hujuſmodi corrumpi contigit.

Libertus Melioris ille notus,
Tota qui cecidit dolente Roma,
Cari deliciæ breves patroni,
Hoc ſub marmore Glaucias humatus,
Junćto Flaminiæ jacet ſepulcro:
Caſtus moribus, integer pudore,
Velox ingenio, decore felix.
Bis ſenis modo meſſibus peraćtis
Vix unum puer applicabat annum.
Qui fles talia; nil fleas viator.

Mart. Epig. vi. 28.

Eodem in genere pulcherrimum eſt Archedices illius Epitaphium, quod a Lampſaceno lapide in monumentum longe perennius transferre non dedignatus eſt Thucydides;

Ἀνδρὸς ἀριστεύσαντος ἐν Ἑλλάδι τῶν ἐφ' ἑαυτῦ,
Ἱππίᾳ Ἀρχεδίκην ἥδε κέκευθε κόνις,
Ἣ πατρός τε καὶ ἀνδρὸς, ἀδελφῶν τ' ἧσα τυράννων,
Παίδων τ', ἐκ ἧρθη νῶν ἐς ἀτασθαλίην.

Thuc. vi. 59.

His ſtatim propoſitis exemplis ſatis patere arbitror non tumidum præconium, non morum deſcriptionem largam et loquacem, ſed unius potius aut paucorum delećtum, quæ mortuum ex grege poterunt ſecernere, ſepulcro convenire. Cautum modo id inſuper ſit,

ne laus cujuſquam *ex ipſius ore* proveniat: quod inepte nonnunquam eſt factum: ut in his:

Vixi, quod volui, ſemper bene, pauper honeſte:
Fraudavi nullum, quod juvat oſſa mea.
Epig. et Poem. Par. p. 99.

Qua quidem culpa non vacant elegantia ſatis carmina in Homonœæ tumulo, Tiberii Imperatoris ævo ut fertur, inſcripta.

Tu qui ſecura procedis mente, parumper
Siſte gradum, quæſo, verbaque pauca lege.
Illa ego quæ claris fueram prælata puellis
Hoc Homonœa brevi condita ſum tumulo.
Cui formam Paphiæ Charites tribuere decoram,
Quam Pallas cunctis artibus erudiit.
Nondum bis denos ætas mea viderat annos:
Injecere manus invida fata mihi.
Nec pro me queror hoc, morte eſt mihi triſtior ipſa
Mæror Atimeti conjugis ille mei.
Ferrett. Muſ. Lapid. p. 84.

Verum ad alterum genus tranſeundum jam eſt, eorum ſcilicet quæ *ſuperſtitum affectus* referunt; quibus idcirco largior debetur venia: neque enim ſi veros ſpirent dolores, in ſyllabis aucupandis æquus quis judex abſumet operam, aut mortuorum laudes ad ipſam veritatis normam exiget. Simplicitatis haud dubie palmam fert formula illa, qua veterum complures ſolent uti,

Χρῆστε Χαῖρε.

Hæc autem, utcunque naturæ fuerit conſentanea, uſu tamen contrita tandem fiat neceſſe eſt atque exoleta. At ſententia aliqua interjecta, quales abunde ſuppeditabit ſors illa hominum communis atque ultima, gratiam, quantumvis iterata, uſque novam inibit. Quem

igitur non movet pietas illa Romanorum (patris, ut videtur, et filii) in matronæ tumulo inſculpta, quæ alteri erat avia, mater alteri!

Vale. et. Salve. Anima. C. Oppiæ. Felicis. Nos. eo. ord.
quo. natura. permiſerit. te. ſequemur. Vale.
Mater. Dulciſſima.
Aul. Niconius et Sex. Nibon. Aul. F.
Fleetw. p. 271.

Quippe eadem ferme eſt eorum ratio quæ in Pallantis funere Æneas jam diſceſſurus loquitur,

Nos alias hinc ad lacrimas, eadem horrida bella,
Fata vocant. Salve æternum mihi, maxume Palla,
Æternumque Vale! *Æn.* xi. 96.

Decantatæ nimirum formulæ vim addit querela, novas manere curas ſibi obeundas, altero jam placida quiete compoſito. Quod quidem haud ſcio an pulchrius nobiliuſque ſit ab Italico expreſſum, ubi Hannibalem facit poſt Cannenſem cladem Romani Conſulis funus procurare, et rogo adſtantem ſententiam his verbis conceptam efferre.

I, decus Auſoniæ, quo fas eſt ire ſuperbas
Virtute et factis animas: tibi gloria leto
Jam parta inſigni: noſtros Fortuna labores
Verſat adhuc, caſuſque jubet neſcire futuros.
Pun. x. 572.

Plurima ſunt monumenta, neque ea quidem ſpernenda, in quibus viventium pietas et merus dolor declaratur. Hoc autem in genere præcipue videndum eſt, ne in Elegiæ formam ſenſim abeamus, dum intimos animi ſenſus accurate perſequi juvat. Eſt enim triſtitiæ proprium rem dicendo trahere, et propoſito hærere, et fuſe nimis quid intus ſentiat aperire. Unde

etiam illud efficitur quod in vitio ſemper ponendum eſt, ut noſmet ipſi magis lectoribus quam mortui occurramus, totaque res noſtri potius quam illorum cauſa fieri videatur.

Liceat igitur parenti aut conjugi proprios dolores effundere, modo id caſte fiat et ſobrie, omni ingenii laſcivia ſepoſita: cujuſmodi ſunt aliqua ex vetuſtatis reliquiis jampridem eruta.

Vixiſſes utinam, et potius mea Muſa taceret,
Quam mihi ſcribendi cauſa, Latina, fores.
Vixiſſes: neu te ſurgentem in vota tuorum
Adſpicerem, addictus manibus ipſe ſacris.
Sed quoniam Parcis vetitum eſt nihil, accipe noſtri
Æternas eheu! carminis exſequias. *Fleetw.* p. 293

Aliter ac preſſius paullo eandem vicem dolet Lellæ cujuſdam fatis abreptæ conjux.

Functa jaces hic: ſed vivis viveſque Secundo
Lella tuo: debent nec benefacta mori.
Ferretti, p. 92.

Mirari tamen jure aliquis poſſit huic epigrammati, tam venuſto et vero affectuum interpreti, fatuum illud et putidum millies repetitum in fine ſubjungi votum, *terram leviter oſſa tecturam.*

Tu tellus ſanctoſque precor pro conjuge manes,
Vos ite placidi; tu levis oſſa tegas. *Ibid.*

Hic etiam non prætereunda duco Ovidii carmina de parentibus ſuis jam mortuis, quæ ex Elegia in marmor ſepulcrale optime transferri poſſint, ſi quando fortuna, viventis una cum affectibus ſit exprimenda.

Felices ambo, tempeſtiveque ſepulti,
Ante diem pœnæ quod periere meæ!
Me quoque felicem, quod non viventibus illis
Sum miſer; et de me quod doluere nihil.
Ovid. Triſt. iv. 10, 81.

Dulciſſima item ſunt illa Patris ſuam ſolitudinem plorantis, duobus filiis amiſſis infantibus.

Vos equidem nati cœleſtia regna videtis,
Quos rapuit parvos præcipitata dies.
Sed mihi quæ requies oneroſa in luce moranti,
Cui ſoli ſupereſt et ſine fine dolor?
Quam male de vobis fallacia gaudia vidi,
Et decepturus me jugulavit amor!
Reddebar teneris in vultibus, ipſaque per vos
Tempora credebam lapſa rediſſe mihi.
Sentio quid faciat ſpes irrita: peſſima ſors eſt
Supplicii afflicto, quem ſua fata premunt.
Epig. et Poem. 132.

Sic materiam doloris quamvis effœtam, novi modo aliquod ſcriptor ex ſuo pectore expromat, vigere denuo et renaſci faciet. Hinc etenim matris illius querelis propter amiſſam filiam ſua non deeſt gratia.

Quot lacrymas moriens liquiſti filia matri,
Tot tibi dent Superi gaudia perpetuo.
Te conata ſequi, ter ſpiritus hæſerat ori:
Quod volui, haud potui, te pereunte mori.
Solamen, ſi quod miſeræ eſt, inſomnia præſtant;
Quum triſtem in ſomnis ludit imago animam.
Epig. et Poem. 134.

Hinc illa Liberti, in domini ſui ſepulcro, mentem tangunt lectoris.

O utinam vivo potuiſſem præmia morum
Reddere: nunc lacrymas accipe pro meritis.
Nam ſemper fateor *tacita te mente* probavi.
Detexit ſenſus ultima flamma meos. *Fleetw.* 312.

Sunt quæ mortis genus non illepide narrant, ut Martialis illud de Canace, quod tamen argutius paullo exit.

Æolidon Canace jacet hoc tumulata ſepulcro
Ultima cui parvæ ſeptima venit hyems.

Ah ſcelus, ah facinus! properas quid flere viator?
Non licet hic vitæ de brevitate queri.
Triſtius eſt leto leti genus: horrida vultus
Abſtulit, et tenero ſedit in ore lues:
Ipſaque crudeles ederunt oſcula morbi,
Nec data ſunt nigris tota labella rogis.
Si tam præcipiti fuerant ventura volatu,
Debuerant alia fata venire via.
Sed mors vocis iter properavit cludere blandæ,
Ne poſſet duras flectere lingua deas.

Epig. i. 91.

Nam ſi breviter id ſignificari poterit, rem nimis communem aliqua varietatis nota diſtingui juvabit. Ut in nautæ tumulo:

Nauta quis hoc jaceat ne percontere ſepulchro;
Eveniat tantum mitior unda tibi.

Brodæi Epig. p. 241.

Nefas fortaſſe videretur Epigramma illud præterire a Jortino noſtro olim editum, tanquam ex antiquo lapide exſcriptum, ut de criticorum viribus periculum faceret.

Quæ te ſub tenera rapuerunt, Pœta, juventa,
O utinam me crudelia fata vocent.
Ut linquam terras, inviſaque lumina Solis,
Utque tuus rurſum corpore ſim poſito.
Tu cave Lethæo continguas ora liquore,
Et cito venturi ſis memor, oro, viri.
Te ſequar obſcurum per iter: dux ibit eunti
Fidus amor, tenebras lampade diſcutiens.

Jortin. Tract. vol. i. p. 47.

Profecto elegantiæ laudem huic carmini neminem denegaturum arbitror. Atqui, ut verum loquar, commenta iſta de Lethæo liquore, de Cupidine lampada præferente, mihi hoc loco minus placent, ut quæ felicis magis ingenii quam veri luctus ſpeciem præ

ſe ferant: et dulciora, me quidem judice, ſunt illa de Atimeto et Homonœa, quanquam ad aurea Latinitatis tempora vix videntur referenda.

A. Si penſare animas ſinerent crudelia fata,
Et poſſet redimi morte aliena ſalus,
Quantulacunque meæ debentur tempora vitæ,
Penſaſſem pro te cara Homonœa libens.
At nunc, quod poſſum, fugiam lucemque, Deoſque,
Ut te matura per Styga morte ſequar.
H. Parce tuam conjux fletu quaſſare juventam,
Fataque mærendo ſollicitare mea.
Nil proſunt lacrymæ, nec poſſunt fata moveri.
Viximus: hic omnis exitus unus habet.
Parce; ita non unquam ſimilem experiare dolorem,
Et faveant votis numina cuncta tuis!
Quodque mihi eripuit mors immatura juventæ,
Id tibi victuro proroget ulterius. *Ferrett.* p. 83.

Tantum jam in hac parte tractanda abſumptum eſt temporis, ut breviores quam pro rei dignitate in reliquis expediendis nos eſſe oporteat. Namque id maxime fortaſſe et venuſtati et laudi tribuendum eſt Epitaphiis, ſi quando *gravem aliquam ſententiam* de vita ac ſtudiis hominum, de leto, de natura animæ et mortuorum conditione proferant. Etiam decantata illa jam uſque ad nauſeam de vitæ vanitate ſepulcrum decere poſſe arbitror, tereti modo abſolvantur et nitido ſermone.

Decipimur votis et tempore fallimur, et mors
Deridet curas: anxia vita nihil.
Ferrett. p. 52. *Fleetw.* 236.

Naſcentes morimur, finiſque ab origine pendet.
Fleetw. 210.

Et Scipionis illud Africani ut fertur, quanquam fa-

cile id, ex metro parum ſervato, ſequioris ævi eſſe judicaveris.

Devicto Hannibale, et capta Carthagine, et aucto
Imperio, hoc cineres marmore Tagus habes.
Cui non Europe, non obſtitit Africa quondam;
Reſpice res hominum quam brevis urna tegat.
Epig. et Poem. p. 87.

His enim et ſimilibus ſententiis ad ſerias res ſubinde retorquetur animus, quarum inter vitæ negotia nimis obliviſci ſolet. Neque eas orationis flexu quodam aut acumine ſubtili commendari, prout occaſio ferat, dedecebit. Quale eſt illud infantis tumulo inſcriptum,

Ἀπλήρωτ' Ἀΐδη, τί με νήπιον ἥρπασες ἀφνώ;
Τί σπεύδεις; οὐ σοὶ πάντες ὀφειλόμεθα; *Fleetw.* 232.

Luciani non inelegans eſt in ſimili argumento:

Παῖδά με πενταέτηρον ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντα
Νηλειὴς ἀΐδης ἥρπασε Καλλίμαχον·
Ἀλλά με μὴ κλαίοις· καὶ γὰρ βιότοιο μετέσχον
Παύρου, καὶ παύρων τῶν βιότοιο κακῶν.
Lucian. Epig. 28.

Mercatoris autem ſepulcrum illud Romæ ſententiam, pro captu illius ætatis, non injucundam effert, neque ab occaſione abhorrentem.

Monumentum abſolvi . . . et impenſa mea
Amica tellus ut det hoſpitium oſſibus,
Quod omnes rogant, ſed felices impetrant.
Nam quid egregium, quidve cupiendum eſt magis
Quam ubei lucem libertatis acceperis
Laſſæ ſenectæ ſpiritum ibi deponere?
Quod innocentiæ ſignum eſt maximum.
Ferrett. p. 259.

Rarior eſt apud antiquos ex ſpe futuri capta ſolatio, quanquam et hoc argumento nonnulla eleganter uti ſatis conſtet.

Οὐκ ἐθάνες, Πρώτη, μετέβης δ' ἐς ἀμείνονα χωρόν·
Καὶ ναίεις Μακάρων νήσους θαλίῃ ἐνὶ πολλῇ,
Ἔνθα κατ' ἠλύσιον πεδίον σκιρτῶσα γέγηθας
Ἀνθεσιν ἐν μαλακοῖσι, κακῶν ἔκτοσθεν ἁπάντων.
Οὐ χειμὼν λυπεῖ σ', οὐ καύμ'· οὐ νῶτος ἐνοχλεῖ·
Οὐ πείνην, οὐ δίψος ἔχεις· ἀλλ' ὅδε ποθεινὸς
Ἀνθρώπων ἔτι σοὶ βίοτος· ζώεις γὰρ ἀμέμπτως
Αὐγαῖς ἐν καθαραῖς ἐν Ὀλύμπου, πλήσιον Ὄντος.

Fleetw. 251.

Neque ſane inſolita eſt dicendi forma, vita defunctos ad cœlum migraſſe, ut in hoc Probi cujuſdam Romæ monumento.

Sed periiſſe Probum meritis pro talibus abſit
Credas, Roma, tuum: vivit, et aſtra tenet.

Fleetw. 154.

Et diſertius adhuc de Feſto cive Romano:

Ibis in optatas ſedes, nam Juppiter æthram
Pandit Feſte tibi, candidus ut venias.
Jamque venis: tendit dextras chorus inde Deorum,
Et toto tibi jam plauditur ecce Polo.

Fleetw. 153.

Sunt hæc quidem ex mediis Ethnicorum tenebris profecta; et cum uſitatis haud dubie præſtent formis —*Vivite felices moneo: mors omnibus inſtat—Ludite felices patitur dum vita*—tum etiam ſeveriori illi titulo qui in nonnullis legitur, omnino ſunt anteponenda, *Somno æternali ſacrum.* Optimum forſan in hoc genere eſt, quod Senecæ Philoſopho tribuitur Epitaphium:

Cura, labor, meritum, ſumpti pro funere honores,
Ite alias poſthac ſollicitate animas.
Me procul a vobis Deus evocat: ilicet actis
Rebus terrenis Hoſpita terra, vale.

Corpus avara tamen ſolennibus accipe ſaxis;
Namque animam cœlo reddimus, oſſa tibi.
Fleetw. p. 324.

Diſciplinæ autem ſanctioris erat, et veritatis manifeſtius patefactæ, juſtam his rebus lucem dare et colorem proprium. His igitur verbis olim affatus eſt vir ſepultam conjugem:

Me nunc torquet amor: tibi triſtis cura receſſit,
Lethæoque jaces condita Sarcophago.
Fleetw. 293.

Eadem vero in ſententia Chriſtianum audiamus.

Tu ſecura jaces: liquiſti morte querelas.
Præcêſti, hoſpitium dulce parare tuis.
Ferret. 179. *Epig. et Poem.* p. 124.

Parcite vos lacrimis, dulces cum conjuge natæ,
Viventemque Deo credite flere nefas.
Ferrett. 110.

Non invenuſti itidem ſunt verſus, quibus filiolam vix quatuor annos natam alloquitur mater, uti ex noviſſimis facile intelligitur, Chriſtiana.

Virginis hic teneræ Lector miſerere ſepulcro;
Unius huic luſtri vix fuit arta dies.
O quam longinquæ fuerat digniſſima vitæ!
Heu cujus vivit nunc ſine fine dolor!
Addamus meritis lacrimas tam mortis acerbæ,
Nam quæ grata forent, ſunt modo flenda diu.
Hæc Theodoræ habuit nomen, quæ gaudia matris
Perculit æterno vulnere rapta cito.
Sola tamen tanti reſtant ſolamina luctus,
Quod tales animæ protinus aſtra petunt.
Fleetw. 496.

Infantes autem propter vitæ innocentiam ad cœlum ſtatim migrare, humanam minime philoſophiam ſapit.

Quo etiam in genere eſt matronæ cujuſdam ſepulcrale marmor, Mediolani erutum.

Ruſtica, perpetuæ non te ſors pallida vitæ
Suſtulit, interitum nec tibi morte dedit.
Purior ætherias graderis ſine carne per arces:
Nam vitam caſtæ funera nobilitant.

Ferrett. p. 46.

Audaciores ſane ſunt interdum homines quam aut decet aut per religionem licet, dum cœli gaudia haud dubia mortuis tribuunt, et, pro ſpe humili ac ſolatio, triumphum canunt. Quod ſi ab hac nimia fiducia temperatum fuerit, magno huic rei ſubſidio Sacram Scripturam eſſe nemo ſanus negabit. Hinc etenim nova virtutum naſcitur et officiorum ſeges: hinc ſententiarum copia cum vitæ exitu conjuncta, lauta ſane ac varia ſupellex, unde ad diverſos hominum caſus delectus fiat. Neque antiquam hæ veſtem, voceſque ex Latino fonte unice deductas, modo ne ſint falſis religionum commentis inquinatæ, refugient. Varientur etiam mortis genere, loco, tempore referendo, (ſi quid forte hujuſmodi ad affectus pertineat,) aut artium et ſtudiorum, ſi quæ fuerint ingenua, brevi commemoratione. Quanquam leviora illa ſileri mallem, ne ſanctæ locorum religioni obſint.

Verum hic tandem ſe ſiſtat diſputatio noſtra: quoniam et juſtos videtur jam egreſſa eſſe fines, neque ita a me ſuſcepta eſt quæſtio, ut non plura taceam quæ in ſe res ipſa poſſit capere. Illud tantum vos admonere liceat, *ſecundam* totius operis inſtituti *partem* abſolutam jam eſſe, et quicquid noſtræ poſthac vires præſtare poterunt, id omne in Phantaſiæ vi ac natura exſequenda poſitum iri.

PARS TERTIA

SIVE

DE PHANTASIA.

PRÆLECTIO VICESIMA OCTAVA.

Repetitur ex ſecunda prælectione rudis quædam Phantaſiæ *deſcriptio. Nova ſcilicet, longinqua, inſolita, mirabilia, et veris præſtantiora affectat. Ex hac materia, primo ſumitur quicquid ad* Cœleſtium *naturam pertinet. In hiſce referendis fugienda eſt* nimia partium diſtinctio, *niſi inter* minorum gentium Deos *verſetur ſcriptor. Admirabilis in hac re Virgilii prudentia. Eadem fere Homero laus debetur. Plurimum ſæpe valet* unum *quoddam rei* adjunctum *aperte monſtrare. Sed formis potiſſimum obſcurioribus commovetur lectoris mens.*

TERTIAM jam tandem operis partem ingreſſurus, quæ ad Imaginationem ſive PHANTASIAM ſpectabit, ſumma rerum capita jampridem abſoluta breviter prius perſtringere haud ineptum fore judicavi; quo facilius auditores cum prioribus ſequentia poſſint conjungere; et quid huic parti proprium, quid cum cæteris ſit commune videant.

MATERIAM igitur POETICAM ex quatuor omnino fontibus deductam volui, IMITATIONE, AFFEC-

TIBUS, PHANTASIA, et JUDICIO. Quibus ſingulis ſuam ineſſe voluptatem poſitum eſt, quanquam ita ſunt interdum partes inter ſe colligatæ ac prope implicitæ, ut ſeparari prorſus, aut certis diſtingui finibus vix poſſint. Namque ita ſe res habet plerumque, ut pulcherrimus quiſque Poetarum locus variis ornetur virtutibus, quarum vim integram uni fortaſſe cauſæ imperiti tribuunt; aut ſi peritior quis rem excutiat, fallit eum nonnunquam iſta colorum quaſi confuſio, quum mutuo ex contactu alter in alterius naturam ſenſim abeat, aut ex diverſis coloribus unus quidam communis efficiatur.

Huic autem difficultati ut quantum in me fuit occurrerem, præfari ſoleo exemplis me uſurum, quibus id de quo quæreretur non ſolum ſed præcipuum eluceret: neque me illud unquam fugit, unius virtutis vim alterius auxilio perfici ſæpe atque augeri, qua divulſa, manca ac debilis maneret reliqua, aut etiam funditus periret.

Sic IMITATIONIS partes cum Affectibus et Phantaſia eſſe conjunctas diſerte ſtatuimus: quippe mera imitatione parum delectari homines, niſi aut res viſu admirabiles imitetur poeta, aut cogitatione jucundas, aut ad affectum aliquem concitandum idoneas: tum, niſi ita porro comparetur, ut mens *a dictis ad non dicta tranſeat*, et ſuo motu atque exercitatione concaleſcat.

De AFFECTIBUS rurſus non ſemel eſt dictum, tunc eos potiſſimum moveri, ſi res ad veritatem naturæ fuerit expreſſa, ſi coram adeſſe videantur perſonæ, ſi denique eo uſque proceſſerit imitatio, donec lectores multa ſecum taciti fingant et cogitent, quæ in poemate locum non habent. Tum, *Sententiis* iis maxime nos teneri quæ grande aliquod aut magni-

ficum ſpirent, et ſacro quodam impetu ſenſus poſſint extra uſum et vitam hominum quotidianam rapere. Quare in utroque genere tractando, ultra proprios fines libere pabulandum erat; quod ſine temeritate aut ignorantia artis fieri putandum eſt, quoties ad caſtra communita, invecto commeatu et firmato ex itinere exercitu, pedem referas.

Neque id ſane veniæ, ſi omnino opus eſt venia, minus rogandum in PHANTASIÆ partibus exſequendis; cujus tam late in his rebus patere auctoritatem nonnullis viſum eſt, ut Poeticam omnem [a] hoc titulo non inepte deſignari poſſe exiſtimaverint. Nobis autem univerſam rem potius in partes tribuere, quam uno capite complecti placuit. Et quanquam ex hac facultate poeſim fere totam pendere conſtet, neque imitari aliquid poetice aut affectus ciere merito quis dicatur, niſi idem phantaſiam irritet aut deliniat; at ſuam tamen ſatis ab aliis ſejungi poſſe naturam atque explicari haud dubito, quibus nempe potiſſimum elementis conſtet—qua lege ac vinculo contineatur—unde ortum, incrementum, valetudinem ducat—quibus gaudeat locis—quid alat naſcentem, quid frigidam ac torpentem ſuſcitet—quid denique in uſu ejus imperitum, aut ineptum, aut nimium jure habeatur.

Ac primo quidem Phantaſiæ naturam, variam certe ac multiplicem, non incommode tamen [b] olim putavimus in duas partes dividi poſſe—alteram, quaſi per ſe inertem, ſed imagines extrinſecus invectas avide arripientem—alteram, quæ vi propria ac vigore prædita captat ſimilitudines rerum, atque his, præſertim ſi novæ aut inopinatæ occurrant, mirifice tenetur;

[a] Bacon. de Augm. Scient. lib. ii. cap. 1. [b] Prælect. II.

quæ infinitæ illi imaginum ſilvæ qua repletur mens imperium ac jus habet; quæ totas minutatim reſolvit formas, elementa rerum divellit, varie conjungit, verſat, fingit, pro arbitrio diſponit; unde inſolitæ tandem et prodigioſæ menti obverſantur ſpecies, alii terrarum ac cœli tractus, alius naturæ color. Ex his autem partibus ſuperiorem, ſi pigra a natura et hebes fuerit, nullis promoveri poſſe legibus facile intelligitur—reliquam arte ac diſciplina permultum adjuvari.

Quare, ut rem accuratius paullo inſpiciamus, Phantaſiæ vis in eo potiſſimum cernitur, quod quotidiana omnia et in communi uſu poſita reſpuat, longinqua captet atque aliena: exiguum quicquid ſit, aut tenue, aut finitum, præ grandibus et infinitis nihili habeat: veritatem aſpernetur, miracula affectet—pulchriora ſemper aut majora quam quæ præſto adſunt comminiſcatur—nova et inaudita continuo appetat, nota ac parata faſtidio averſetur. Unde efficitur, ut quo vitam homines colant civiliorem, hoc phantaſiæ ardorem magis reſtingui. Sic enim, pro ſpatiis terrarum vaſtis atque incognitis, jam regio certa et limitibus ſuis definita proponitur: pro cœlo et ſilvis, jam tecta et parietes obverſantur oculis, et ſupellex ſordidis artificiis conficta. Tanta denique in turba ævum agitur, tot circumſtant cognitæ dudum res ac perſonæ, tot officiis levioribus diſtringitur mens, ut rudioris ſtatus ſenſim obliviſcatur, et nihil in pretio habeat, niſi quod uſus vitæ commendet.

Quapropter ſeculorum omnium et gentium poetis ſolenne fuit, a ſtrepitu et negotiis hominum ad ſaxa et ſolitudines ſe recipere; ubi et menti quies datur, et libere vagandi ſpatium; tum incerta quædam opinio ſubit, non vacuas ſe omnino regiones peragrare, ſed

quas colunt numina, aut aliquod forſan viventium genus ab uſitatis et quotidianis quodammodo diverſum.

> Rura mihi, et rigui placeant in vallibus amnes,
> Flumina amem ſilvaſque inglorius. O ubi campi,
> Sperchiuſque, et virginibus bacchata Lacænis
> Täygeta! O qui me gelidis in vallibus Hæmi
> Siſtat, et ingenti ramorum protegat umbra!
>
> *Georg.* ii. 485.

Non umbram ſcilicet cupiebat Virgilius ut ſolis ardorem defenderet, non rivos ut ſitim ſedaret; ſed liberum a vitæ conſuetudine receſſum—ut ſimulacris rerum pro rebus ipſis frueretur—ut quæ vellet fingeret, non quæ oculis objiciuntur neceſſario uteretur—ut, quæ revera *ſunt* remotis, quæ *poſſint eſſe* facilius conciperet; et ſenſuum uſu pauliſper intermiſſo, imagines intus effunderet copioſius.

Prima igitur hujuſce facultatis laus eſt, ut apud omnes conſtare video, ſi miracula rerum, tanquam ingenioſus opifex, ſolerter fingat: ſi 'Deos, pueroſ-'que Deorum,' ſi Dæmonas, et quæ monſtra naturam et ſortem exſuperent humanam feliciter adumbret: unde et nos 'extra flammantia mœnia mundi' ferri videmur, et ad majorem rerum ordinem aſſurgere.

Ut vero imagines iſtas prætereamus, quibus nonnulli ſupremi numinis majeſtatem ſignificatam voluere, (quam quidem majeſtatem melius ſacri ſcriptores tenebris et ſpiſſa caligine obduci aiunt) egregia certe nobis veteres exempla edidere, quoties aliquem ex medio genere Divorum rebus quæ narrantur intereſſe contigerit, et in conſpectu coram moveri. Quæ quidem res præcipue in rationem artis cadit, quo-

niam Imitationis peritiam cum Phantaſiæ vi conjunctam poſtulat. Nam quod Deo ſummo ac præpotenti minora hæc numina vulgo feruntur, non omnino a mortalium figura et certa corporis deſcriptione abhorrent: quod vero majus quiddam et præſtantius in ſe habent, quam terreni poſſunt artus et membra moribunda efferre, fidem idcirco illam et diligentiam recuſant, quam in formis depingendis ponere ſolent ſcriptores—et effigiem lineis imperfectam poſtulant, mente et conjectura lectoris explendam.

Apollinem ergo ſuum mira arte effinxit Virgilius:

> Qualis ubi hybernam Lyciam, Xanthique fluenta
> Deſerit, ac Delum maternam inviſit Apollo,
> Inſtauratque choros; mixtique altaria circum
> Creteſque Dryopeſque fremunt, pictique Agathyrſi:
> *Ipſe jugis Cynthi graditur, mollique fluentem*
> *Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro.*
> *Tela ſonant humeris.* *Æn.* iv. 143.

Vaga ſunt hæc et communia, qualia ætheriam decent naturam, humanis non nimis ſcrutandam oculis. At ejuſdem ab Ovidio expreſſam imaginem, propterea quod partes ſingulas poeta curioſe vult exſequi, nihil aut celati aut obſcuri relinquens, ſtatuam magis referre diceres quam Deum.

> Ille caput flavum lauro Parnaſſide vinctus
> Verrit humum, Tyrio ſaturata murice palla,
> Inſtructamque fidem gemmis, et dentibus Indis,
> Suſtinet a læva: tenuit manus altera plectrum:
> Artificis ſtatus ipſe fuit. *Ov. Met.* xi. 166.

Quinetiam illud de Ovidianis ferme omnibus animadverti licet; quamvis monſtra inaudita ubique narret, Nymphas et Satyros, Deoſque omnium ordinum percurrat, et quicquid unquam prodigioſi fabu-

loſa ætas credidit, neminem tamen eo Phantaſiam dimittere frigidiorem. Quod cum aliis ex cauſis tum ex hoc non minimum evenit, quod digito ipſe omnia monſtrare malit, quam lectoris ingenio quidquam permittere.

Quod ſi in leviori numinum genere verſetur ſcriptor, quod vix aut ne vix quidem homine præſtantius perhibetur, ab accurata hac opera nequaquam res abhorrebit: quale eſt illud Silii de Pane, felici ſane ingenio elaboratum.

Pan Jove miſſus erat, ſervari tecta volente
Troia, *pendenti ſimilis Pan ſemper*, et imo
Vix ulla inſcribens terræ veſtigia cornu.
Dextera laſcivit cæſa Tegeatide capra,
Verbera læta movens feſta per compita cauda.
Cingit acuta comas et opacat tempora pinus:
At parva erumpunt rubicunda cornua fronte:
Stant aures, imoque cadit barba hiſpida mento.
Paſtorale Deo baculum, pelliſque ſiniſtrum
Velat grata latus teneræ de corpore damæ.
Nulla in præruptum tam prona et inhoſpita cautes,
In qua non, librans corpus, ſimiliſque volanti,
Cornipedem tulerit præciſa per avia plantam.
Interdum inflexus, medio naſcentia tergo
Reſpicit arridens hirtæ ludibria caudæ.
Obtendenſque manum ſolem inferveſcere fronti
Arcet, et umbrato perluſtrat paſcua viſu.

Sil. xiii. 326.

Optimum contra Virgilii et graviſſimum eſt in hac re judicium; magis ſcilicet curantis, ut quod ipſe prætereat nos ultro cogitemus, quam ut diſerte dicat ipſe quicquid cogitatum velit. Quanto efficaciora ideo ſunt illa Æneæ Deam matrem a ſe conſpectam

narrantis, quam ſi formam, et veſtitum, et lineamenta oris ſingulatim expoſuiſſet.

> Cum mihi ſe, non ante oculis tam clara, videndam
> Obtulit, et pura per noctem in luce refulſit
> Alma parens, confeſſa Deam; qualiſque videri
> Cœlicolis et quanta ſolet; dextraque prehenſum
> Continuit, roſeoque hæc inſuper addidit ore.
>
> *Æn.* ii. 589.

Qualis videri Cœlicolis et quanta ſolet! Nihil his laxius aut incertum magis. At ſi certiora fierent, periret ſtatim id quod maxime in deliciis habemus. Videamus autem in iis quæ ſequuntur, de numinibus Trojæ inimicis jam ante oculos Æneæ manifeſta luce poſitis, ut diſtinctas fugiat imagines, ut in communibus hæreat, una aut altera modo injecta linea, unde lectores pro ſuo quiſque modulo tabulam explere poterunt.

> Hic ubi disjectas moles, avulſaque ſaxis
> Saxa vides, mixtoque undantem pulvere fumum;
> Neptunus muros *magnoque emota tridenti*
> Fundamenta quatit, totamque a ſedibus urbem
> Eruit. Hic Juno Scæas ſæviſſima portas
> Prima tenet, ſociumque furens a navibus agmen
> *Ferro accincta* vocat.
> Jam ſummas arces Tritonia, reſpice, Pallas
> Inſedit, *nimbo effulgens et Gorgone ſæva.*
> Ipſe Pater Danais animos vireſque ſecundas
> Sufficit: ipſe Deos in Dardana ſuſcitat arma.
> . . . . . .
> Dixerat, et ſpiſſis noctis ſe condidit umbris.
> *Apparent diræ facies, inimicaque Trojæ*
> *Numina magna Deum.* *Æn.* ii. 608.

Pariter in communi Deorum viſu, quem in ſomnis ſibi adfuiſſe Æneas narrat, una tantum imagine ſpec-

taculum deſignat, quanquam omnes ‘ multo mani- ‘ feſtos lumine’ adſtitiſſe affirmet.

Nec ſopor illud erat, ſed coram agnoſcere vultus,
Velataſque comas, præſentiaque ora videbar.
Æn. iii. 173.

Hoc etiam in genere ſunt pulcherrimi verſus de Venere, quam in diſcedendo, cœleſti habitu proditam, agnovit filius.

Dixit, et avertens roſea cervice refulſit;
Ambroſiæque comæ divinum vertice odorem
Spiravere: pedes veſtis defluxit ad imos,
Et vera inceſſu patuit Dea. *Æn.* i. 46.

Quod ſi in ſingulas ornatus aut formæ partes deſcendatur, mille licet nymphas gratiaſque comites circumfundas, fœmina demum non Dea prodibit. Cujus rei documento ſint venuſta ſane Claudiani in eodem argumento carmina.

Cæſariem tunc forte Venus ſubnixa coruſco
Fingebat ſolio: dextra lævaque ſorores
Stabant Idaliæ: largos hæc nectaris imbres
Irrigat: hæc morſu numeroſi dentis eburno
Multifidum diſcrimen arat: ſed tertia retro
Dat varios nexus, et juſto dividit orbes
Ordine, neglectam partem ſtudioſa relinquens.
Plus error decuit: ſpeculi nec vultus egebat
Judicio: ſimilis tecto monſtratur in omni,
Et rapitur quocunque videt: dum ſingula cernit,
Seque probat, nati venientis conſpicit umbram.
Claud. Nupt. Honor. 99.

Jam vero, licet Homeri ſublimes de Numinis potentia et dignitate conceptus uno ore collaudemus, at notum illud de Jove Supremo mirari vix poſſum,

Ἦ; ᾗ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων. *Il.* A. 528.

Certe Virgiliano cedunt,

Annuit, et totum nutu tremefecit Olympum :
Æn. ix. 106.

quod cum prioribus eodem redit, miſſa ſuperciliorum imagine, quæ mortale nimis ſapit.

De Diis autem Jove minoribus facile id conceditur, ut humanam induant figuram, et membris ferme humanitus utantur, modo ne in ſingula plus æquo excurratur, quod non niſi infimo numinum generi videtur convenire. Sic Neptuno in Odyſſea præclara admodum deſcriptio tridentem ſolum aperte tribuit; cætera nos conceptu magis quam oculis ſequi voluit.

Ὣς εἰπὼν, σύναγεν νεφέλας, ἐτάραξε δὲ πόντον,
Χερσὶ τρίαιναν ἑλών· πάσας δ' ὀρόθυνεν ἀέλλας
Παντοίων ἀνέμων· σὺν δὲ νεφέεσσι κάλυψε
Γαῖαν ὁμῶ καὶ πόντον· ὀρώρει δ' ἐρανόθεν νύξ.
Od. E. 291.

Cujuſmodi etiam eſt ejuſdem numinis a Samo monte ad mare deſcenſus, a Longino non immerita laude cumulatus;

Αὐτίκα δ' ἐξ ὄρεος κατεβήσατο παιπαλόεντος,
Κραιπνὰ ποσὶ προβιβάς· τρέμε δ' ὄρεα μακρὰ ϗ ὕλη
Ποσσὶν ὑπ' ἀθανάτοισι Ποσειδάωνος ἰόντος. *Il.* N. 17.

Neque currum ejus Oceano tranſmiſſum quenquam puto immotum legiſſe;

Βῆ δ' ἐλάαν ἐπὶ κύματ'· ἄταλλε δὲ κήτε' ὑπ' αὐτῷ
Πάντοθεν ἐκ κευθμῶν, ἐδ' ἠγνοίησεν ἄνακτα·
Γηθοσύνῃ δὲ θάλασσα διΐστατο· τοὶ δ' ἐπέτοντο
Ῥίμφα μάλ', οὐδ' ὑπένερθε διαίνετο χάλκεος ἄξων.
Il. N. 27.

At ſpeluncam qua Deum ait pro ſtabulo uti ſolitum, et hordeum ante equos poſitum, et cruribus equorum compedes fixas nemo, opinor, non Græcæ loquacita-

tis incuſat, et facile abeſſe patiatur. Salſa fortaſſe nimis eſt et acerba Scaligeri vena in his Græcorum vitiis exagitandis, quibus Homerum ipſum contendit præter veniam inquinari. Nobis ſit ſatis rem eatenus digito monſtraſſe, ut diſciplinæ quam tuemur rationem reddamus illuſtriorem.

Homero interea non pauca debemus exempla quæ in alteram partem trahi poſſunt: ubi nimirum una quaſi linea ducta, et ſubito jactu manus, juſta prodire viſa eſt imago, cæteris omnibus aut in umbram rejectis, aut ſilentio prætermiſſis. Qualia ſunt plurima in Ulyſſis ad inferos deſcenſu, quem fere totum exſcriberem, ſi uberrimam phantaſmatum copiam et varietatem exponere vellem. Quæ vero ad inſtitutum noſtrum præſertim faciunt, ſunt horridum Herculis illius Idolum, et Achillis Umbra de filio quod maxime vellet audito gaviſa.

Τὸν δὲ μέτ', εἰσενόησα βίην Ἡρακληείην,
Εἴδωλον· αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι
Τέρπεται ἐν θαλίῃς, καὶ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην,
Παῖδα Διὸς μεγάλοιο καὶ Ἥρης χρυσοπεδίλου.
Ἀμφὶ δέ μιν κλαγγὴ νεκύων ἦν, οἰωνῶν ὡς,
Πάντοσ' ἀτυζομένων· ὁ δ' ἐρεμνῇ νυκτὶ ἐοικὼς,
Γυμνὸν τόξον ἔχων, καὶ ἐπὶ νευρῇφιν ὀϊστὸν,
ΔΕΙΝΟΝ ΠΑΠΤΑΙΝΩΝ, ΑΙΕΙ ΒΑΛΕΟΝΤΙ ΕΟΙΚΩΣ.
Od. Λ. 600.

Achillem autem breviore adhuc ambitu complexus, et quali figura et qua mente fuerit optime ſignificavit.

Ὣς ἐφάμην· ψυχὴ δὲ ποδώκεος Αἰακίδαο
ΦΟΙΤΑ ΜΑΚΡΑ ΒΙΒΩΣΑ, κατ' ἀσφοδελὸν λειμῶνα.
Od. Λ. 537.

Terribilis item ab Æſchylo in Oreſte deſcribitur Apollinis medias inter tenebras vultus, una hac imagine propoſita:

Ὁρῶντι ΛΑΜΠΡΟΝ ΕΝ ΣΚΟΤΩ ΝΩΜΩΝΤ' ΟΦΡΥΝ.
Choeph. 283.

Complura ex Virgilio pari artificio commendata facile adferri poſſent, ubi ad mentem lectoris referuntur omnia, ne una quidem re aperte patefacta. Qualis eſt Alecto illa in Turni ſomnio.

Diriguere oculi: tot Erinnys ſibilat hydris,
Tantaque ſe facies aperit.

Vellem etiam, tanquam artis illius qua inſolitæ adumbrentur ſpecies, egregium exemplar, proferre verſus aliquot ex Inferorum deſcriptione; quibus, ſi attentius quis advertat animum, præcipue ineſſe hanc de qua loquimur virtutem haud dubie apparebit.

Veſtibulum ante ipſum primiſque in faucibus Orci,
Luctus et ultrices poſuere cubilia curæ:
Pallenteſque habitant Morbi, triſtiſque Senectus,
Et Metus, et maleſuada Fames, et turpis Egeſtas,
Terribiles viſu formæ; Letumque, Laborque,
Tum conſanguineus Leti Sopor, et mala mentis
Gaudia, mortiferumque adverſo in limine Bellum,
Ferreique Eumenidum thalami, et Diſcordia demens,
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.
In medio ramos annoſaque brachia pandit
Ulmus opaca, ingens: quam ſedem Somnia vulgo
Vana tenere ferunt, foliiſque ſub omnibus hærent.
Centauri in foribus ſtabulant, Scyllæque biformes,
Et centum geminus Briareus, ac bellua Lernæ
Horrendum ſtridens, flammiſque armata Chimæra:
Gorgones, Harpyiæque, et forma tricorporis umbræ.
Æn. vi. 273.

Neque minores interea Poetæ, Silium dico et Statium, exemplis carent, quæ in miraculis rerum referendis ex obſcuritate eos vim aliquam petiiſſe ſatis

docent: quo in genere eſt nobiliſſima illa Fluvii imago in Nono Thebaidos,

> Turbidus imbre genas, et nube natantis arenæ.
>
> *Theb.* ix. 482.

Eſt etiam Italici non humilis Martis deſcriptio prœlium inituri;

> Atque implet curru campos. Exercitus una
> Irarum, Eumenideſque ſimul, letique cruenti
> Innumeræ facies, freniſque operata regendis
> Quadrijugos atro ſtimulat Bellona flagello.
> Fertur ab immenſo tempeſtas horrida cœlo,
> Nigranteſque globos, et turbida nubila torquens
> Involvit terras: quatitur Saturnia ſedes
> Ingreſſu tremefacta Dei, ripaſque relinquit
> Audito curru, fontique relabitur amnis.
>
> *Sil.* iv. 436.

Quæ Virgilii Martem ferme æquant in Duodecimo Æneidos, cujus curru in pugnam adacto,

> Gemit ultima pulſu
> Thraca pedum: circumque atræ Formidinis ora,
> Iræque, inſidiæque, Dei comitatus, aguntur.
>
> *Æn.* xii. 334.

Sed de primo phantaſmatum genere ſatis fortaſſe jam dictum videbitur; unde illud toties iteratum bene conſtare opinor—poetam ingenio ſuo fruſtra vela dare, niſi lectorum ingenio multa ſinat præſtanda, quæ nec verbis declarari nec cura aut ſtudio attingi poſſunt. Eſt autem Allegoricarum quæ vocantur perſonarum genus, cujus alia omnino eſt ratio et propria diſciplina, quamvis utrumque genus a quibuſdam confundi video. Quod poſtquam altera, ut ſpero, prælectione expeditum fuerit, de reliquo tandem hujus partis inſtrumento diſputandi

locus erit, de antiquitate, de vaticinio, de religione et fabulis mythologicis; tum facultatis ipſius natura accuratius ad philoſophiæ normam exigetur, quando imagines iſtas et ſimilitudines aggrediemur quibus regiones ſuas Poeſis, utcunque gente aut lingua fuerit diverſa, tanquam conſitis floribus et arbuſtis ornari voluit.

PRÆLECTIO VICESIMA NONA.

De Perſonis Allegoricis. *Quare fuſius hæ deſcribendæ ſunt quam Cæleſtium effigies, exponitur. Raro tamen ſunt adhibendæ—et niſi rem aliquam apertiorem reddant omnino reſpuendæ. Puerilis eſt error quorundam omnia ad oculos referre. Claudiani præcipue in hoc genere expenduntur merita.*

QUANQUAM in Cœleſtium perſonis referendis, aut ubicunque aliquid homine majus confictum fuerit, id præcipue cavendum cenſuerim, ut nimius ſit ſcriptor, utque rem ipſe malit ſingulatim exſequi quam lectoris ingenio multa permittere, aliam tamen eſſe eorum rationem admonendum duxi, quibus interior quidam ſubſit ſenſus, et quorum vis, quæ vocatur Allegorica, aut tota fabula aut una forſan imagine contineatur. Etenim in ſuperiore illo genere, vetuſta res agitur. Jovem ſcilicet aut Neptunum aut Minervam intuemur, quales ſæpe animis prius obverſari potuerint; atque id modo ſibi datum negotii ducit poeta, ut paucis aliquot adjunctis aut obſcura ſignificatione conceptus pariat pro re nata ſublimes, magnificos, cæleſti natura dignos. His enim proprio quaſi jure, ſua jam olim ſunt forma, ſtatus, veſtis, comitatus; quarum rerum ſi brevis admodum fiat mentio, juſta ſuccurrit ſtatim ac plena menti figura.

Contra, ſi pro veteri ac decantata prole novam edas, de qua nihil antehac aut cognitum aut cogita-

tum fuerit, pluribus ſane opus erit, ne id quod velis lectoris animus prætereat, aut capere omnino non poſſit. Tum ſi ejuſmodi ſit quod inveneris, ut ſenſus quoſdam occultos referat, et rei alterius vices ſuſtineat, quam rem veluti per cancellos inſpicere lectorem velis, profecto *in ſingulis* elaborandum erit, quo res utraſque (et proximam[a] dico illam et remotam) bene inter ſe convenire manifeſtum reddas. Quippe hæc ſola laus petitur in Allegoria, ut aliud verbis aliud ſenſu oſtendas, continuata nimirum Metaphora uſus, cujus vis nulla plane erit, niſi juſta atque inopinata ſimilitudine delectet animum. Quo autem *plura* habeat hac lege conjuncta, eo admirabilior videbitur et perfectior Allegoria. Permultum igitur intereſt, utrum Dæmonas tantum et Spectra adumbrare conemur, an rem notam ac communem nova commendemus imagine in id ipſum conficta.

Multum enimvero laudis Virgilio tribuendum dixi, quod perſonas extra naturam poſitas breviter perſtringat—quod in his copiam omnem ſermonis et curioſam ſubtilitatem fugiat—et nos magis complecti rem animo quam ipſum verbis efferre velit. At ejuſdem FAMÆ effigies uſque ad ſedecim verſuum menſuram extenditur, quorum ferme nulli ſua vis deeſt ad cæcos hominum rumores deſignandos, quale nimirum et quantum pariant malum!

> Fama, malum quo non aliud velocius ullum:
> Mobilitate viget, vireſque acquirit eundo:
> Parva metu primo; mox ſeſe attollit in auras,
> Ingrediturque ſolo, et caput inter nubila condit.

[a] His vocibus ita utuntur Critici, ut res *proxima* imaginem metaphorice ſumptam deſignet: res autem *remota* quicquid metaphora involutum ſignificatur.

Illam Terra parens, ira irritata Deorum,
Extremam, ut perhibent, Cæo Enceladoque ſororem
Progenuit, pedibus celerem et pernicibus alis:
Monſtrum horrendum, ingens: cui, quot ſunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi ſubter (mirabile dictu)
Tot linguæ, totidem ora ſonant, tot ſubrigit aures.
Nocte volat cœli medio, terræque per umbram
Stridens, nec dulci declinat lumina ſomno:
Luce ſedet cuſtos, aut ſummi culmine tecti,
Turribus aut altis, et magnas territat urbes:
Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.
Æn. iv. 174.

Criticorum ſane opprobriis hunc locum fuiſſe obnoxium ſatis conſtat; neque eum prorſus vitiis carere dixerim. Sed in hæc poſthac diligentius inquirendi facultas erit: jam id maxime animadverſum velim, parce omnino ac verecunde hoc ſcribendi genere Virgilium uti; quod quidem ex ipſa rei natura profectum arbitror. Namque ut acuminis et ſolertiæ laudem affectat, ita a ſummo poeſeos genere decedere paullum, et inter humiliora propriam ſibi videtur ſedem vindicare.

Quare id prudenter a maximis ſcriptoribus factum judico, quod Pacem, Juſtitiam, Fortitudinem, Patientiam non copioſa oratione perſequi ſolent, et quicquid in harum rerum naturam conveniat, expreſſo quaſi ſimulacro exponere. Quod itidem eodem conſilio in ſignis picturiſque evitatum videtur; neque utra ars alteri in hac re viam commonſtraverit, ſatis compertum habemus. Hujuſmodi eſt ſimplex illud Tibulli;

At nobis Pax alma veni, ſpicamque teneto,
Perfluat et pomis candidus ante ſinus. *Tib.* i. 10, 70.

Pariterque Ovidius;

Venit Apollinea longas Concordia lauro
Nexa comas. *Faſt.* vi. 92.

Quem etiam ad modum Spes eleganter in gemmis exprimitur, tanquam virgo florem adhuc germinantem manu tenens.

Eadem de cauſa accidiſſe puto, quod in variis anni partibus depingendis, quas uſque ad faſtidium emblematis onerare amant hodierni ſcriptores, plerumque modice ſe gerant veteres:

Stabat nuda æſtas, et ſpicea ſerta gerebat.
Stabat et Autumnus calcatis ſordidus uvis.
Ov. Met. ii. 28.

Neque aliter Horatius;

Decorum mitibus pomis caput
Autumnus arvis extulit. *Hor. Epod.* ii. 18.

Hyememque optime his verſibus adumbravit Ovidius.

Inde ſenilis Hyems tremulo venit horrida paſſu,
Aut ſpoliata ſuos, aut quos habet alba capillos.
Ov. Met. xv. 221.

Qua quidem virtute inſignis eſt Lucretii locus, caſto certe et ſubacto ferme ad Virgilianam modeſtiam judicio expolitus.

It Ver, et Venus, et Veneris prænuntius ante
Pinnatus graditur Zephyrus veſtigia propter:
Flora quibus mater præſpergens ante viai
Cuncta coloribus egregiis, et odoribus opplet.
Inde loci ſequitur Calor aridus, et comes una
Pulverulenta Ceres, et Eteſia flabra Aquilonum.
Inde Autumnus adit: graditur ſimul Evius Evan:
Inde aliæ tempeſtates, ventique ſequuntur,
Altitonans Vulturnus, et Auſter fulmine pollens:

Tandem Bruma nives adfert, pigrumque rigorem
Reddit, Hyems ſequitur, crepitans ac dentibus Algus.
Lucret. v. 736.

Omnium autem quotquot in hoc genere recitaverim commune illud fuit, ut rem *oculis* modo hauriendam quaſi in pictura præbeant, cum tamen multa allegorice adferri poſſint, quæ neutiquam in picturæ rationem cadunt. Neque tamen ſimplicitatem jam ea mente probo, qua ſuperius cautum eſt, ne in Deorum deſcriptionibus nimiam poeta impendat operam. Quæ enim proxima prælectione dicta ſunt eo ſpectabant, ne quis phantaſiæ vim accurata nimis diligentia et diſerta admodum deſcriptione reſtingueret. Hoc autem allegoriæ genus nequaquam lucem fugit: oculos magis quam intimos animi ſenſus arripit: his autem ſe commendat eodem quo pictores ſolent artificio: tantum id ſedulo videndum, ne vel picturæ egrediatur fines, turba rerum utens confuſa atque incondita, male in unum corpus coeuntium.

Ac neſcio unde ſit, verum apud pleroſque ſcriptores ita hodie receptum video, nobiliſſimo ſe artis munere tum demum fungi, ſi montes, fluvios, urbes, cæteraque id genus forma donent humana, et quid cuique proprium fuerit veſte, armis, aut comitatu referant. Quod equidem tantopere a ſumma artis abeſſe exiſtimo, ut vixdum ſecundas ei tertiaſve partes tribuerim. Nihil enim aut inventu facilius, aut uſu magis ad faſtidium ac ſatietatem proclive. Et quanquam hic illic, longis inſita intervallis, probari poſſint, tamen levioris ſemper animi, immo et ſterilis ingenii eſſe dicerem, juſtum poema hac ratione componere, aut crebro his figuris uti, aut eas diligenter copioſeque perſequi.

Gratiam igitur huic materiæ ineſſe ac venuſtatem negare neque auſim nec velim: contra, ſummum illum in hoc genere artificem Claudianum neminem non puto voluptate aliqua perfuſum legere; ex quo quid prius potiuſve ſeligam vix liquet. Pulcherrima ſunt de Nuptiis Honorii et Mariæ, itemque de Bello Gildonico argumenta: at ſecundus ille de laudibus Stilichonis Liber fere totus eo ſpectat quo nunc tendimus. Summa quidem rei huc redit. Maximis belli virtutibus florens, maxima etiam integritatis, fidei, clementiæ laude inſignis, ita ſe geſſerat in rebus adminiſtrandis Stilicho, ut univerſus orbis Romanus uno ore eum, detrectantem diu, in conſulatum invitaret. Id ſcilicet quum omnes unice exoptarent, Provincias fingit Poeta ſingulas, quaſi minorum gentium Deas, Romam ſuppliciter adeuntes; quarum precibus victa tandem Roma Stilichoni ſuadere, faſces ut accipiat, dignatur.

Ergo avidæ, tantoſque novi ſpe Conſulis annos
Eluſæ, dominæ pergunt ad limina Romæ:
Si minus annuerit precibus, vel cogere certæ
Cunctantem, votoque moras auferre paratæ,
Conveniunt ad tecta Deæ, quæ candida lucent
Monte Palatino. Glaucis tum prima Minervæ
Nexa comam foliis, fulvaque intexta micantem
Veſte Tagum, tales profert Hiſpania voces.

Laud. Stil. ii. 223.

Mox Hiſpaniam excipit Gallia;

Tum flava repexo
Gallia crine ferox, evinctaque torque decoro,
Binaque geſa tenens, animoſo pectore fatur.

Et mox,

Inde Caledonio velata Britannia monſtro,

Ferro picta genas, cujus veſtigia verrit
Cærulus, Oceanique æſtum mentitur amictus.

Et poſt paullo;

Tum ſpicis et dente comas illuſtris eburno,
Et calido rubicunda die, ſic Africa fatur.

Supplicum denique poſtrema prodit Italia.

Poſt has Œnotria lentis
Vitibus intorquens hederas, et palmite largo
Vina fluens.

Profecto, neque argumento deeſt venuſtas, neque imagines magis ad propoſitum accommodatas facile quis inveniet; at levicula res tota judicanda eſt, pondere omnino atque affectu expers, et qualis imberbem aliquem poetam primordia artis jam primum aggredientem deceret. Umbras nempe has et ſimulacra rerum nihil revera aut velle aut pati poſſe ſuſpicamur. Nihil aut ad nos aut ſupra nos agitur: nihil, quo vel pectus moveri vel ſenſus vehementer percelli poſſint. Ingenioſo quaſi ſpectaculo trahuntur oculi: mens non trahitur: et quum cuivis in promptu ſit his ſeſe exuviis ornare, difficultatem ideo illam, quam nonnulli docent philoſophi in laudem artis tranſire, plane non habet.

Quare ab optimo poeſeos genere longe diſtare arbitror pervulgatum illum gregem, vitia, virtutes, affectus habituſque animi, pro multiplici titulorum copia ac varietate deſignatos, non aliam ſcilicet ob cauſam niſi ut *pingi* potius res quam *narrari* videatur.

Hujuſmodi eſt illud Claudiani de triumpho:

Talis ab Iſtro
Vel Scythico victor rediens Gradivus ab axe,
Depoſito mitis clypeo, candentibus urbem
Ingreditur trabeatus equis: ſpatioſa Quirinus

Frena regit: currumque patris Bellona cruentum
Ditibus exuviis, tendens ad ſidera quercum,
Præcedit: *lictorque Metus cum fratre Pavore*
Barbara ferratis innectunt colla catenis,
Velati galeas lauro: propiuſque jugales
Formido ingentem vibrat ſuccincta ſecurim.
De Laud. Stil. ii. 367.

Pictoribus ſane ea datur indulgentia, ut ſolidam quaſi figuram addant iis quæ cogitatione ſola complecti mens poſſit. Nempe hac negata venia, plurimis omnino deeſſet rebus in picturam aditus. Quare inter *poſtulata*, ut Mathematici loquuntur, artis illius merito habetur, commentitia forma uti, non tanquam optima ſed ſola ac neceſſaria mentis interprete. Poetis pariter non licet: quoniam melius multa atque efficacius tradet lingua quam pictoris tabula. Videndumque illud eſt, quod præcipuum ac ſummum in hac quæſtione eſſe judico, artem poeticam nos pingendi arti ſubmittere, quoties rem non ad naturæ proprietatem ſed ad picturæ rationem exigimus: quærimuſque unde eam non actam ſed pictam lectores concipiant.

Quod ſi in argumento leviore verſetur ſcriptor, aut in formæ brevioris carmine, facile hæc et patimur et miramur. Læta ſunt enim quodammodo et feſtiva: vivere, ſpirare, moveri videntur omnia: et, quod a pleriſque non ingratum habetur, ſine mentis motu atque exercitatione placide ante oculos ſimulacra rerum volitant, ac veluti in ſomno ſenſus leni permulcent voluptate. Nihil autem in hoc genere hortos illos Veneris ſuperare exiſtimo, a Claudiano eleganter admodum et caſte, ut in tali re, depictos. Poſt ver perpetuum, Zephyros, concentus avium, et mu-

tuos arborum amores memoratos, picturam ſic explet.

Labuntur gemini fontes: hic dulcis, amarus
Alter, et infuſis corrumpunt mella venenis,
Unde Cupidineas armavit fama ſagittas.
Mille pharetrati ludunt in margine fratres,
Ore pares, ſimiles habitu, gens mollis Amorum.
Hos Nymphæ pariunt, illum Venus aurea ſolum
Edidit: ille Deos cœlumque et ſidera cornu
Temperat, et ſummos dignatur figere reges.
Hi plebem feriunt: nec cætera numina deſunt.
Hic habitat nullo conſtricta Licentia nodo,
Et flecti faciles Iræ, vinoque madentes
Excubiæ, Lacrimæque rudes, et gratus amantum
Pallor, et in primis titubans Audacia furtis,
Jucundique Metus, et non ſecura Voluptas:
Et laſciva volant levibus Perjuria pennis.
Hos inter petulans alta cervice Juventas
Excludit Senium luco.

Claud. de Nupt. Hon. et Mar. x. 69.

Optime in poſtremis non elegantem figuram modo expreſſit; ſed laſcivæ juventutis mores, et loci naturam a triſtitia prorſus abhorrentis, ſimplici ſatis artificio intelligi fecit. Cæteris taciti ſubeſt aliquid et occulti ſenſus, at quale formis hiſce ac perſonis minus convenit: neque enim *Excubias* illas, et *Lacrimas*, et Amantum *Pallorem*, tanquam regionum incolas, libere ſpatiari credere quis unquam vel in ſomnis potuit. Locus eſt tamen ingenio felici ac culto elaboratus; neque allegoricam proprietatem æſtimare gravius velim, quoties amœnam præ ſe ferat ſpeciem, et ſua pulchritudine delectet animum.

Quod ſi Allegoria neque per ſe egregium quiddam ſpectaculum edat, neque interiores ſenſus, iſto vela-

mine dignos, includat, ad pueros illico et male feriatos verſiculorum ſcriptores eſt ableganda. Dici vix poteſt, quoties in hunc ſcopulum offendit Claudianus: ut facetum illud Petronii non inepte in ejus poemata conveniat: *Noſtra regio tam præſentibus plena eſt numinibus, ut facilius poſſis Deum quam hominem invenire.* Nihil uſquam ſcilicet niſi Dei aut Dæmonis alicujus miniſterio vult factum. Sic Theodoſium, qui literarum ac philoſophiæ ſtudioſus ad privatam ſe vitam contulerat, Divæ Juſtitiæ monitis fingit ad Conſulatum et juris adminiſtrandi munus perductum.

Jam tibi compoſitam fundaverat anchora puppim.
Telluris jam certus eras: fecunda placebant
Otia: naſcentes ibant in ſecula libri.
Cum ſubito liquida ceſſantem vidit ab æthra
Juſtitia, et tanto viduatas judice leges:
Continuo frontem nimbo velata pudicam
Deſerit Autumni portas, qua vergit in Auſtrum
Signifer, et noctis reparant diſpendia Chelæ.
Pax avibus, quacunque volat; rabiemque frementes
Depoſuere feræ: lætatur terra reverſo
Numine, quod priſci poſt tempora perdidit auri.
Illa per occultum Ligurum ſe mœnibus infert, &c.
Claud. De Fl. Mall. Theod. Conſ. xvii. 113.

Tum Theodoſium philoſophiæ ſtudiis penitus occupatum ingreſſus Deæ pauliſper commovet.

Ut procul adſpexit fulgentia virginis ora,
Cognovitque Deam: vultus veneratus amicos
Occurrit, ſcriptæque notas confundit arenæ.
Tunc ſic Diva prior, &c.

Rem omnem hunc ferme ad modum proſequitur neque conceptu pulchram, neque ad fidem faciendam aptam, neque intellectu jucundam. Quibus omni-

bus ſi careat Allegoria ecquid tandem frigidum magis aut inanius cogitari poteſt? Nam ſi, quod interdum uſu venit, cognitu facilior aut magis in promptu eſſe videatur res, quæ pluribus aliter expediri deberet, excuſatione plane non eget. Qualis eſt ejuſdem poetæ Roma illa Jovem precibus et fletu adorans, propter intermiſſum ex Africa annonæ commeatum.

Exitii jam Roma timens, et feſſa negatis
Frugibus, ad rapidi limen tendebat Olympi;
Non ſolito viſu, nec qualis jura Britannis
Dividit, aut trepidos ſubmittit faſcibus Indos.
Vox tenuis, tardique gradus, oculique jacentes
Interius: fugere genæ, jejuna lacertos
Exedit macies: *humeris vix ſuſtinet ægris*
Squalentem clypeum; laxata caſſide prodit
Canitiem, plenamque trahit rubiginis haſtam.
Attigit ut tandem cœlum, genibuſque Tonantis
Procubuit, tales orditur mæſta querelas.
Claud. De Bell. Gild. xv. 17.

Diſerte enim hæc inſolitam exprimunt ex Africa male adminiſtrata inopiam urbis atque miſeriam, ſicuti illa, quæ Jovis reſponſum ſequuntur, robur ac ſpem civitati redditam ſignificant, ſimul ac Stilichoni commiſſa eſſet belli Africani cura.

Dixit, et afflavit Romam meliore juventa:
Continuo redit ille vigor, feniique colorem
Mutavere comæ: ſolidatam criſta reſurgens
Erexit galeam, clypeique recanduit orbis,
Et levis excuſſa micuit rubigine cornus.
Claud. De Bell. Gild. xv. 208.

Quare hic non modo capitur phantaſia, ſed, quod Ariſtotelis quidem judicio uberrimus voluptatis fons eſt habendus, *didiciſſe* aliquid videtur mens, et quaſi

parto frui. Magis autem hoc ad Allegoriam illam pertinere conſtat, quæ rem non una propoſita imagine, ſed multarum ſubtili nexu rerum expediendam ſumit, et quæ mox accuratius ſuo loco tractabitur.

PRÆLECTIO TRICESIMA.

De Allegoria *quæ non ad oculos ſolum refertur. Modica eſt ejus vis in poemate—præſertim ſi longior fiat. Ex rei ſignificatæ pondere tota pendet: quam aut perſpicuam magis aut efficaciorem debet reddere. De utriuſque generis* ſtructura *præcepta quædam dantur. Vitia notantur. Criticæ quædam diluuntur objectiones.*

QUONIAM alterum Allegoriæ genus, quod ad oculorum judicium omnino videbatur compoſitum, jam fuſius eſt tractatum, de altero illo, cujus vis latius aliquanto patere viſa eſt, pauca primum dicenda duxi: deinde aliquid de utroque genere ſtatuendum erit, ut quid merito increpari poſſit, quid venia ſit dignum, re diligentius excuſſa, videamus.

Multa ſunt enim hujuſmodi, apud ſacros præſertim ſcriptores, mente magis quam oculis haurienda: quum doctrina aliqua gravis et frugis bonæ, ficta quadam fabula aut parabola, auditoribus commendatur. Quod ſane ab ultima antiquitate apud omnes fere gentes uſu receptum conſtat, ut præcepta de moribus non graviſſima ſolum, verum et minora illa ad conſuetudinem omnem vitæ ſpectantia, fabulis involuta traderent. Neque eos quidem vana teneri opinione puto, qui mythologiæ omnis hanc eſſe vim ac

rationem volunt; et quicquid unquam de ortu, connubiis, diſcordiis ac bellis Deorum ſomniari videntur Poetæ, id olim ſapientes excogitaſſe, ut veritati naturæ integumentum quoddam obtenderent. Sic enim fore, ut vulgus magis admiratione caperetur; reliquos autem, quibus otium ac voluntas non deeſſet, aliquid ad ſcientias Phyſicam atque Ethicam pertinens ſtudio et diligentia inde expetituros: tum veritatem ipſam ſublato quaſi velo patefactam, pulchriorem elegantioremque videri, quam ſi in propatulo ſimplex et ſine ornatu exſtaret.

Utcunque autem res ſe habeat de Mythis veterum Theologicis, certe ad longinquam vetuſtatem pertinent Æſopicæ quæ vocantur fabulæ, quibus hominum vitia, errores, ineptias, quotidiana illa et domeſtica mala depingi voluit ſcriptor, et nonnunquam acriter morderi. Neque ſatis mirari poſſum quanta plerumque et gratia et lepore condita ſit fabula, et quam apte aperteque in mores hominum conveniat. Quo etiam in genere perfectius nihil fuit, quam Horatii ſermo ille feſtiviſſimus de Moribus ruſtico et urbano: quanquam ei rem uberiore filo deducere placuerit, quam in pleriſque ſcriptoribus facile quis pateretur.

De his autem omnibus pariter animadverti licet, *rem ſeriam comiter et facete agi:* quare in duobus hiſce ſcriptoris opera omnis eſt ponenda; primum, ut ſententiam aliquam iſtis ambagibus dignam intendat; deinde ut altius hæc in mentem deſcendere faciat, et parabola adhibita aut dilucidiorem reddat aut jucundiorem.

Nam ſi res ſuo pondere et auctoritate valeat, unde contrahantur imagines parum refert. Quid enim aut

natura humile magis, aut a magnificentia et pulchritudine remotius, quam ſunt parabolæ nonnullæ a ſacris ſcriptoribus ad ſanctiſſimos uſus accommodatæ. Vineam ſcilicet, aut trituram, aut ſementem, ſine fuco et pigmentis perhibent, modo hoc artificio perſpectior fiat ſcriptoris mens, et quid agere nos aut cogitare oporteat diſerte indicet. Non enim qui hæc legit in re *proxima* tanquam egregia immoratur, neque in *remota* tanquam inſolita; ſed inopinata ſimilitudine mens capitur, et rem notam ac familiarem poſthac cum ſententia interiore et minus aperta ita conjungit, ut ab hac in illam facili lapſu tranſeat.

Hinc autem intelligitur, quantum inter haſce imagines communes ac notas interſit, et idola illa formaſque ex cerebro ſcriptoris natas, de quibus nuper acerbiorem paullo opinionem profiteri viſum eſt. Nam ſi ad hæc confugere ſolemus, ne citius æquo excidat quod præceptum fuerit, quoniam ſenſuum conſuetudine firmatur admodum memoria, et tunc aliquid animo tenemus optime, ſi ei cum re nota atque externa neceſſitudo intercedat, ſequitur, illorum vim levem aut omnino nullam fore ad cætera confirmanda, quorum ne ſua quidem cerni uſquam aut facile concipi poſſit natura. Quis enim Virtutem, aut Voluptatem, aut Temperantiam, forma fœminea adumbratas, præſentiores animo habebit, quam ſi præcepta ipſa verbis modo incluſa apud ſeipſum cogitaſſet?

Ac ne id quidem nobis occurrere quis putet, quod Herculis illius Judicium, a Prodico Poeta primum hoc artificio commendatum, tantopere in deliciis hominum fuerit, ut a Socratis ævo uſque ad hæc noſtra tempora laudes omnium extorſerit, et gregem imita-

torum poſt ſe traxerit non exiguum. Namque ut meam quoque vocem communi præconio addam, tamen ex mero fabulæ contextu, et fictis fœminarum perſonis, hanc admirationem naſci vix crediderim. Neque enim eſt commentum illud ſubtilis admodum res ingenii, aut quæ phantaſiæ vim aliquam præ ſe ferat. Quod vero mentes auditorum præſertim capit, et quod ſcriptorem procul dubio non humilem aut vulgarem arguit, in ſententiarum dignitate poſitum eſt, quæ ex Virtutis ore profluunt: quibus ſane, ſimplici licet atque inornato ſermone ſint editæ, admirabile tamen ineſt et quaſi divinum pondus et auctoritas. Ecquid enim gravius iſta oratione, qua Vitium prius locutum Virtus excipit, ſine metri et poetici ornatus illecebris a Xenophonte tradita? Ὦ τλῆμον, τί δὲ σὺ ἀγαθὸν ἔχεις; ἢ τί ἡδὺ οἶσθα, μηδὲν τούτων ἕνεκα πράττειν ἐθέλουσα; ἥτις οὐδὲ τὴν τῶν ἡδέων ἐπιθυμίαν ἀναμένεις, ἀλλὰ πρὶν ἐπιθυμῆσαι, πάντων ἐμπίπλασαι· πρὶν μὲν πεινῆν ἐσθίουσα, πρὶν δὲ διψῆν πίνουσα·—et poſt paullo—Ἀθάνατος δὲ ἔσα, ἐκ θεῶν μὲν ἀπέρριψαι, ὑπὸ δὲ ἀνθρώπων ἀγαθῶν ἀτιμάζῃ· τῆ δὲ πάντων ἡδίστη ἀκούσματος, ἐπαίνου σεαυτῆς, ἀνήκοος εἶ, καὶ τῆ πάντων ἡδίστη θεάματος ἀθέατος· οὐδὲν γὰρ πώποτε σαυτῆς ἔργον καλὸν τεθέασαι. Tum vitii miſeriis copioſa oratione expoſitis, hunc in modum ſuorum felicitatem perſequitur. Καὶ οἱ μὲν νέοι τοῖς τῶν πρεσβυτέρων ἐπαίνοις χαίρουσιν, οἱ δὲ γεραίτεροι ταῖς τῶν νέων τιμαῖς ἀγάλλονται· καὶ ἡδέως μὲν τῶν παλαιῶν πράξεων μέμνηνται, εὖ δὲ τὰς παρούσας ἥδονται πράττοντες, δι' ἐμὲ φίλοι μὲν θεοῖς ὄντες, ἀγαπητοὶ δὲ φίλοις, τίμιοι δὲ πατρίσιν. Ὅταν δ' ἔλθῃ τὸ πεπρωμένον τέλος, οὐ μετὰ λήθης ἄτιμοι κεῖνται, ἀλλὰ μετὰ μνήμης τὸν ἀεὶ χρόνον ὑμνούμενοι θάλλουσι. *Memorab.* ii. 1, 30—33.

Fabulæ autem ipſius levem admodum aut plane nullam vim eſſe ex ſimili argumento in Italici car-

mine ſatis cernitur, qui Scipionem tanquam Herculem alterum in ſecretum abducit, ut pariter Virtutis Voluptatiſque præmiis propoſitis judicium faciat. Frigidula tamen tota res evadit, cum propter imitationem fabulæ jampridem decantatæ, tum quia ſententiis deeſt ſimplex illa ſeveritas ac gratia, quæ in Xenophontis narratione omnino elucent. Nam quod ad Allegoriam ipſam pertinet, abeſſe eam prorſus ſine argumenti diſpendio poſſe arbitror. Magis certe ego moveor voce illa Æneæ mediis in rebus et perturbato animo edita,

> Diſce puer virtutem ex me verumque laborem,
> Fortunam ex aliis——

quam ſi pulcherrimum Virtutis et Laboris et Fortunæ conventum, proprios habitus et colores præ ſe ferentium, quamvis ingenioſo poemati intextum viderim.

Præ cæteris autem qui hoc ſcribendi genere ad philoſophiam inſtituendam ſunt uſi, Cebetis Thebani nomen enituit: cujus Tabulæ, quanquam humanæ vitæ pericula atque errores ſubtili ſatis artificio eam referre judicem, tamen veræ poeſeos laudem invitus dederim—utpote quæ ingenium auctoris videatur magis prædicare, et rem ænigmatis ritu trahere, quam aut intimos animi ſenſus permulcere, aut commotos dimittere. Hoc utique nomine commenta ejus rejicerem de Fortuna ſaxo rotundo impoſita; cum contra Εὐδαιμονία quadrato inſiſtat. Ἐγκράτειαν autem et Καρτερίαν ſorores pari levitate fingit, ſumma in rupe ſtantes, manus benigne iis extendere qui adverſam viam ſcandunt, nonnihil etiam a præcipitio deſcendere, eoſque ſurſum ad ſe trahere.

Utcunque vero his et ſimilibus delectari mens poſſit, nequaquam tamen hoc in eo genere voluptatis

ponendum duco, quæ ad Poeticam pertinet; quam quidem rem vix adeo detrudere auſim, ut hujuſmodi nugis nectendis admirationem vulgi aucupetur. Etiam in Pictura, ubi Allegoriæ liberior eſt uſus (utpote cui non niſi oculorum miniſterio rem interpretari licet) tamen non levi auctoritate [a] inniſus dixerim, hac in parte nonnunquam erratum eſſe: quoties ſcilicet ænigmatis ferme naturam præ ſe ferat tabula; mentemque confundat magis quam aut doceat aut delectet. Quod ſi tota ex his umbris et inanibus perſonis conſtet fabula, langueat continuo lectoris animus et jaceant neceſſe eſt affectus. Cujus rei diſertiore exemplo uti vix poſſum, quam celeberrimo Spenſeri Noſtri poemate ad hanc normam unice confecto: cui, cum nihil fere deſit quod poeſim reddat honeſtam, dulcem, magnificam, nequit tamen ſummi poetæ ingenium lectoris tædio ex his ineptiis nato mederi [b].

Interea myſticis chori cantibus et vaticiniis, ubi poeta nihil manifeſta in luce ponit, obſcuris ſcilicet vera involvens, feliciter ſæpe adhibetur hoc tortuoſum ſcribendi genus. Quicunque autem Æſchyli tragœdiis, Agamemnone puta aut Choephoris, bene verſatus fuerit, hujuſmodi exempla vix requiret— nempe in quibus dira futuri facinoris ſpecies per metaphoræ involucrum ægre cernitur. Pulchrius vero haud facile quid protulerit, quam Allegoricam de Helenæ raptu cantilenam.

Ἔθρεψεν δὲ λέοντα
Σίνιν δόμοις ἀγάλακτον
Οὗτος γ' ἀνὴρ φιλόμαστον,
Ἐν βιότου προτελείοις

[a] Vid. Du Bos, Reflexions Critiques, vol. i. c. 24.
[b] Vid. Prælect. XIII. p. 184, 185.

Ἄμερον, εὐφιλόπαιδα,
Καὶ γεγαροῖς ἐπίχαρτον.
Πολέα δ' ἔσχ' ἐν ἀγκάλαις,
Νεοτρόφω τέκνω δίκαν,
Φαιδρωπὸς ποτὶ χεῖρα
Σαίνων τὲ γαστρὸς ἀνάγκαις.
Χρονισθεὶς δ' ἀπέδειξεν
Ἦθος τὸ πρὸς τοκήων.
Χάριν τροφᾶς γὰρ ἀμείβων,
Μηλοφόνοις ἄταισιν
Δαῖτ' ἀκέλευστος ἔτευξεν·
Αἵματι δ' οἶκος ἐφύρθη·
Ἄμαχον δ' ἄλγος οἰκέταις
Μέγα σίνος πολύκτονον.
Ἐκ θείω δ' ἱερεύς τις
Ἄτας δόμοις προσετράφη. *Agam.* 726.

Neque a gravibus quidem ſententiis de numine et fato et officiis humanis abhorret, hoc phantaſiæ ſubſidio uti: ſicut in nobiliſſimo Eumenidum choro egregie eſt factum, ubi ab impio ſeras dicitur ſcelerum pœnas numen iratum ſumere [c].

Hactenus de Allegoriæ *uſu* eſt diſputatum, quæ quidem et nimia et moleſta prorſus judicanda eſt, niſi rem aut perſpicuam magis reddat, aut certe altius in mentem faciat deſcendere. Reſtant jam aliqua de Allegoriæ *ſtructura* eo forſan admonitu digniora, quod ab illuſtrium quorundam criticorum judicio hac ex parte paullum mihi diſſentire contigit.

Sunt nimirum a quibus id vitio habetur, quoties a metaphora ſemel ſumpta in aliam ſe metaphoram ſcriptor conferat, aut poſtquam in propria verba a tranſlatis receſſerit, ſi in metaphoram ſemel relictam

[c] Vid. Præl. XXI. p. 274.

redeat. De utriſque breviter jam pro tempore dicetur.

Primum igitur ab eorum jure quæſtionem omnem vindicatam velim, qui verborum origines hac mente indagare ſolent, ut dicendi normam Etymologiæ, quam vocant, finibus contineant: qui literarum elementa cupide inhiantes uſum et conſuetudinem pro nihilo habent. Atqui ejuſmodi verbis plena eſt omnis ævi lingua, quæ vim novam ſenſim adepta ſint, a priſtino uſu longe alienam, et quorum recentior ſenſus veterem prorſus ſuperaverit. Quare hoc genus cavillatorum omne ad ſtemmata ſua ablegandum fidenter dixerim, et a ſenſu hominum communi litem, ſi qua orta fuerit, dirimendam eſſe: qui ſenſus, ſi metaphorarum mixtura offendatur, neque ita uſu receptæ fuerint voces ut vis earum *prima* jam lateat, ſcriptoris ſive inſcitia ſive negligentia merito culpetur.

Sunt autem qui, iſto Etymologorum vitio immunes, alio tamen capti videntur errore, cum Allegoriam ſtatim laborare, utpote ſibi parum conſtantem, aiunt, ſi quando tranſlatis propria immiſcuerit ſcriptor, nunc hac nunc illac incerto veluti greſſu vacillans. Qua quidem in quæſtione primo videndum eſt, utrum *tota operis forma* ea lege ſit compoſita, ut altera res alterius vices omnino ſuſtineat, an (quod ſæpiſſime uſu venit) obiter tantum et affectu graviore impulſus ad cognatas imagines confugiat ſcriptor, quarum ope ingenium lectoris irritet aut mulceat, et conceptus argumento pares poſſit edere. Nam ſi in ſuperiore illo genere verſetur, quod in Sacris literis Parabolæ præ ſe fert nomen, nihil jam ſui juris aut arbitrii erit: qua autem via incedere primum placuit, ea-

dem pergat neceſſe eſt; neque eum alio diverti aut pedem referre jam licebit.

Hanc itaque ob cauſam merito Drydeni noſtri non illæſa eſt fama, cum in fabula, ad Allegoriæ normam unice compoſita, Eccleſiæ loco [a] Cervam adhibet ſaltus et paſcua peragrantem—mox autem figmenti oblitus, libros, præcepta et cæremonias religionis huic feræ tribuit—tum quod peſſimum eſt, poſtquam ſic in veritatis luce patefacta res eſt, iterum ad ſylvas, quaſi verſis aulæis, lectorem remittit. Atqui in tali re aut hac aut illac ſtare omnino cogimur. Medii nihil eſt et integri ſoli. Neque enim æquo quis animo pateretur hiſtrionem, nunc heroa aliquem in ſcena agentem, nunc, depoſita pro arbitrio perſona, voces ac ſententias ad ſe ipſum pertinentes efferentem.

Quinetiam in omni poematum genere id ſedulo curandum, ne res ipſas cum ſimulacris rerum una confundamus: ne ſi cui rei, argumenti cauſa, corpus ſolidum et color ſit datus, eadem ſua mox natura, quaſi res ſenſibus abſtracta, menti occurrat. Quod ſi palam et impudenter ſit factum, inconſequentia rerum plane fœdiſſima eſt habenda. Attamen maximos ſcriptores nonnunquam hac in parte labi confitendum eſt; neque ſane cautione aliqua opus eſſe quis neget, ſi Virgilio Horatioque iſtum errorem irrepſiſſe contigerit.

Profecto in Famæ illius deſcriptione, nihil moror monſtri ſpeciem vix animo capiendam quæ, quot plumas tot *oculos ſubter plumas habeat vigiles*, totidem linguas et aures—etiam ‘ mobilitate eam vi- ‘ gere et vires eundo acquirere’ a *ſingularis* monſtri

[a] Vid. Fabulam quæ inſcribitur ‘ Hind and Panther.’

natura fortaſſe non abhorret. At quæ initio leguntur,

Parva metu primo, mox ſeſe attollit in auras,
Ingrediturque ſolo, et caput inter nubila condit,

non modo male cum ſequentibus conveniunt, quæ eam *noctu volare* referunt, et interdiu *turribus aut tecti culmine inſidere*, ſed temporis illa mutati ſignificatio, in verbis *primo* et *mox* poſita, plane ad veram rumoris rationem accommodata, cum ficta hac imagine conſtare nequit. Sic enim jam non unam ſpeciem habebimus, quam Terra parens extremam progenuit,

Cœo Enceladoque Sororem,

ſed quot hominum rumores, tot naſci monſtra et creſcere credendum erit. Tum in voce illa *Parva metu* pariter confundi videntur res utraque, proximam dico et remotiorem. Rumor enim ipſe haud dubie metu narrantium premitur primo, et exiguus dici poteſt—at quicquid figuram et corpus induit, ſilere id, tremere, quieſcere, vix autem *præ metu parvum fieri* dixeris. [e]

[d] Quoniam in hoc argumento poetæ Romani complures ingenii ſui periculum facere voluerunt, non injucundum forſan erit hic locos ex tribus nobiliſſimis ſumptos ſimul intueri. Ovidius quidem cæteris lætior eſt, et imaginibus abundantior.

Orbe locus medio eſt inter terraſque, fretumque,
Cœleſteſque plagas, triplicis confinia mundi;
Unde quod eſt uſquam, quamvis regionibus abſit,
Inſpicitur; penetratque cavas vox omnis ad aures.
FAMA tenet, ſummaque domum ſibi legit in arce:
Innumeroſque aditus, ac mille foramina tectis
Addidit, et nullis incluſit limina portis.

Eadem forſan in culpa habendum eſt illud Horatii,

Te Spes et albo *rara* Fides colit
Velata panno. *Hor. Od.* i. 35.

Quippe Fides *panno velata* oculis quoddam ſpecta-

Nocte, dieque patet: tota eſt ex ære ſonanti:
Tota fremit: voceſque refert: iteratque quod audit.
Nulla quies intus, nullaque ſilentia parte.
Nec tamen eſt clamor, ſed parvæ murmura vocis:
Qualia de pelagi (ſi quis procul audiat) undis
Eſſe ſolent: qualemve ſonum, cum Juppiter atras
Increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt.
Atria turba tenent: veniunt leve vulgus, euntque.
Miſtaque cum veris paſſim commenta vagantur
Millia rumorum: confuſaque verba volutant.
E quibus hi vacuas implent ſermonibus auras:
Hi narrata ferunt aliis: menſuraque ficti
Creſcit; et auditis aliquid novus adjicit autor.
Illic Credulitas, illic temerarius Error,
Vanaque Lætitia eſt, conſternatique Timores,
Seditioque repens, dubioque autore Suſurri.
IPSA quid in cœlo rerum, pelagoque geratur
Et tellure videt: totumque inquirit in orbem.

Met. xii. 39.

Proxime huic Statii deſcriptionem adeamus, quæ etſi FAMAM non præcipuam perſonam ſed Marti comitem adhibeat, nequeo tamen mihi temperare, quin imago egregia, etiam quatenus ad rem noſtram minus facit, proponatur integra.

Et jam noctivagas inter Deus Armiger umbras
Deſuper Arcadiæ fines, Nemeæaque rura,
Tænariumque cacumen, Apollineaſque Therapnas,
Armorum tonitru ferit, et trepidantia corda
Implet amore ſui. Comunt Furor Iraque criſtas;
Frena miniſtrat equis Pavor armiger: at vigil omni
FAMA ſono varios rerum ſuccincta tumultus
Ante volat currum, flatuque impulſa gementum
Alipedum, trepidas denſo cum murmure plumas
Excutit: urget enim ſtimulis auriga cruentis

culum præbet—eandem vero ſi *raram* appelles, virtus animi, paucis inſita, intelligitur.

Quod vero ne ab optimis prorſus evitatum eſt poetis, id in minoribus ſæpius deprehendi nemo mirabitur. Aſſiduus hoc in vitio eſt Claudianus. Sic in poemate de Laudibus Stilichonis, Virtutes partim veræ partim allegoricæ referuntur.

Omnes præterea, puro quæ crimina pellunt
Ore Deæ, *junxere choros*, unoque receptæ
Pectore diverſos tecum cinguntur in uſus.
Laud. Stil. ii. 100.

At inſignius nullum novi exemplum quam Luxuriæ effigiem in eodem poemate propoſitam.

Nec te jucunda fronte fefellit
Luxuries, prædulce malum, quæ dedita ſemper

Facta, infecta loqui; curruque infeſtus ab alto
Terga comaſque Deæ Scythica pater increpat haſta.
Theb. iii. 420.

Denique Valerio non minima debetur laus, tum quia rem pæne exhauſtam novis auxit ſubſidiis, tum quia fabulæ inſervit optime iſtius perſonæ miniſterium. Hunc igitur ad modum Venerem fingit Famam, ex latebris eductam, Lemnon mittere, ut mulieres abſentium maritorum invidia accendat.

Cum Dea ſe piceo per ſudum turbida nimbo
Præcipitat; Famamque vagam veſtigat in umbra:
Quam pater omnipotens digna atque indigna canentem,
Spargentemque metus, placidis regionibus arcet
Ætheris: illa fremens habitat ſub nubibus imis,
Non Erebi, non diva poli: terraſque fatigat,
Quas datur: *audentem primi ſpernuntque foventque:*
Mox omnes agit, et motis quatit oppida linguis.
Talem diva ſibi ſceleriſque dolique miniſtram
Quærit avens: videt illa prior; jamque advolat ultro
Impatiens; jamque ora parat; jam ſuſcitat aures.
Argon. ii. 115.

Corporis arbitriis hebetat caligine ſenſus,
Membraque Circæis effeminat acrius herbis:
Blanda quidem vultus, ſed qua non tetrius ulla
Ultrices fucata genas, et amicta doloſis
Illecebris torvos auro circumlinit hydros.
Illa voluptatum multos innexuit hamis:
Te nunquam conata capit. *Claud.* xxii. 132.

Ecquod vero hic monſtrum luxuriæ pingitur? Fœmina nimirum, *jucunda fronte, hebetat ſenſus hominum caligine*; *fucata genas*, et *amicta illecebris, torvos ſerpentes auro circumlinit*; et tandem *hamis* pleroſque mortalium capere conatur.

Pariter importuna ſunt ea quibus Theodoſium Diva Juſtitia ſuadet, ut Conſulatum ſuſcipere velit.

Nonne vides, ut noſtra ſoror Clementia triſtes
Obtundat gladios: fratreſque amplexa ſerenos
Aſſurgat Pietas: fractis ut lugeat armis
Perfidia, et laceris morientes crinibus hydri
Lambant invalido Furiarum vincla veneno?
Exultat cum Pace Fides. *Claud.* xvii. 166.

Mira hic eſt rerum confuſio. JUSTITIA enim ipſa mortalem, tanquam ex machina, inviſiſſe fingitur: mox autem aliud oculorum ludibrium prætendit, quo prudentem virum a negotiis alienum ad conſulare munus obeundum hortetur.

Permultum tamen intereſt, utrum juſtam quaſi oculis picturam, et rem fictam omnino veritatis loco objicias, ut in præclaro Horatii carmine,

O navis referent in mare te novi
Fluctus,

an metaphora *palam* utaris quæ cum re propria in unum orationis corpus coaleſcat. Hic enim, quoniam nulla obtenditur fraus, nihil obſtat, quo minus ſubito a

tranſlatis ad propria revertamur, et modo res ita poſtulet, eandem poſt paullo repetamus imaginem, aut in novam aliquam tranſeamus.

Quamobrem pulcherrimum ejuſdem carmen ad Pyrrham, in quo metaphoram bis relictam tertia tandem vice ad finem revocat, tamen improbari ægre patior quaſi dictionis vitio laboraret.

Heu quoties fidem
Mutatoſque Deos flebit, et *aſpera*
Nigris æquora ventis
Emirabitur inſolens,
Qui nunc te fruitur credulus aurea,
Qui ſemper vacuam, ſemper amabilem
Sperat, *neſcius auræ*
Fallacis! Miſeri quibus
Intentata nites. *Me tabula ſacer*
Votiva paries indicat uvida
Suſpendiſſe potenti
Veſtimenta maris Deo. *Od.* i. 5.

Atque hæc demum ſufficiant de Allegorico dicendi genere: non quo rei copioſæ atque eleganti ſatis me feciſſe contendam, quæ jam in multorum libris diu ac multum eſt diſputata: ſed ne inchoato operi perficiendo tempus deſit, ad reliquum poeticæ artis inſtrumentum, a quo phantaſiæ vis potiſſimum viſa eſt pendere, omnino maturandum video.

PRÆLECTIO TRICESIMA PRIMA.

De monſtris *et* prodigiis. *Sunt hæc quidem Allegoriis præſtantiora. Nimii ſunt in hiſce referendis rudioris ævi poetæ: qui porro miracula ſua ad* oculos *unice componunt. At per cæteros ſenſus, auditum, tactum, olfactum etiam, Phantaſia eſt afficienda. Silentium, religioſi metus, et quicquid animo tacitum horrorem parit, ad eoſdem uſus ſunt idonea.*

PERACTIS jam quæ ad Allegoriæ rationem et uſum pertinere duxi, minime prætereunda ſunt alia in eodem ferme genere ac diſciplina, quæ, ex cerebro utique ſcriptoris orta, in *phantaſiæ* partibus recte poſita videntur. Solenne nimirum ab ultima antiquitate poetis fuit, ſive ut ſenſus novitate irritarent, ſeu, quod verius puto, ut cæcum quendam horrorem menti poſſent incutere, belluas ac ſerpentes immani magnitudine, aut monſtra denique informia et viſu horrenda adumbrare, nulla ſapientiæ ſignificatione aut morum ratione habita. Quæ quidem res in primordiis poeticæ artis præcipuum ubique locum habent: qualia pueris infantibuſque hodie loqui ſolent nutriculæ, et plurima ad vulgi captum accommodant ſcriptores. Nam quibus neque liberalium artium uſu exculta, neque hiſtoria rerum geſtarum aut

librorum lectione imbuta mens fuerit, eos maxime in admirationem et quaſi ſtuporem proclives eſſe conſtat. Nova et inaudita ſectantur magis, quam pulchra et elegantia: quæ nimirum, modo ſenſus impellant fortiter, nihil plane morantur ut fabulam deceant, et cum cæteris poematum partibus bene conveniant.

Hoc autem prodigiorum genus inculti barbarive potius populi eſſe proprium vel inde intelligitur, quod omnis *mediorum* quæ vocantur ſeculorum poeſis ferme in hoc uno vertitur. Vaſti ac deſerti terrarum tractus, aut præ ſolitudine ſilentes, aut immanibus feris habitati—ſerpentum genus alitum—Gigantes et viribus et atroci ingenio formidandi—tum veneficæ alicujus artificio palatia aut caſtella ſubito exſtructa, et rurſus in tenues auras dicto citius abeuntia—hæc ferme ſunt, e quibus iſtius ævi poemata non ornari modo, ſed componi rectius et plane conſtare dicas. Quod porro idem in Aſiaticis fere omnibus animadverti licet; quorum ut in cæteris artibus et in civilis vitæ commercio, ita in Poeſi præſertim, ἀπειροκαλίαν quandam, et nimium luxus ornatuſque cupidinem doctior quiſque judex improbare ſolet.

Et profecto his noſtris temporibus id ſolum agere nonnulli videntur ſcriptores, ut omiſſa naturæ ac veritatis ratione, tetra omnia et horrenda ſtrepant; quicquid inſolitum antea et inauditum fuerit, quicquid aut terribile viſu aut conceptu prodigioſum, ſine more effundant: ut quæ in Athenienſem olim turbam convicia orator indignabundus intuliſſe fertur, his optime conveniant—Δᾶλοι ὄντες τῶν ἀεὶ ἀτόπων, ὑπερόπται δὲ τῶν εἰωθότων· ζητοῦντες τε ἄλλο τι,

ὡς εἰπεῖν, ἢ ἐν οἷς ζῶμεν, φρονοῦντες δὲ οὐδὲ περὶ τῶν παρόντων ἱκανῶς.

Quanquam autem miraculis hiſce ſupra modum abundare ineptum prorſus atque odioſum judicemus, iis tamen ſcite modiceque uti poetæ laudi erit: immo hoc monſtrorum genere capi magis et delectari videtur mens, quam virtutum aut vitiorum ſimulacris, fabuliſque iis quibus interior quædam ſubeſt vis ac ſententia. Homeri enim quis non ſpecioſa illa magis miratur commenta,

Antiphaten, Scyllamque, et cum Cyclope Charybdim,

quam quæ in proxima prælectione Allegoriæ nomine ſunt laudata? aut quem non interpretatio iſta mythorum veterum ad philoſophiam accommodata minus movet, quam ſimplex prodigioſæ rei narratio? Nempe his omnibus unice eſt propoſitum ut phantaſiam percellant; quod quidem tum potiſſimum fiet, ſi in *affectibus* ſolis poſita ſit res, neque ad *ratiocinandi* partes omnino trahatur. Modum tamen in his poetam tenere oportebit; ne ad nugas prorſus ac puerilia ſe conferre videatur; et crebrius feriendo ictus vim imminuat.

Verecundi admodum ſunt in hac parte ex veteribus præſtantiores: quæ autem hujuſcemodi Æneidi ſuæ intexuit Virgilius, ea aut Homero auctore innituntur, aut ad Inferorum regiones ſunt detruſa. Quod ſi egregium aliquod et fere perfectum in hoc genere exemplum quis requirat, Euripidem adeat velim; cujus in Hippolyto ſpectrum illud taurinum ingenti fluctu in litus expoſitum omnia ferme in ſe habet, quæ phantaſiam erigere et ſenſus quaſi horrore quodam pertentare poſſunt. Grandia ſane ſunt in principio et magnifica, quæ ſonitum ex terra profectum

gravem, undamque ex pelago ſe erigentem referunt.

Ἔνθεν τις ἠχὼ χθόνιος, ὡς φωνὴ Διὸς,
Βαρὺν βρόμον μεθῆκε, φρικώδη κλύειν·
Ὀρθόν τε κρᾶτ' ἔστησαν, ἕς τ' εἰς ὐρανὸν
Ἵπποι· παρ' ἡμῖν δ' ἦν φόβος νεανικὸς,
Πόθεν ποτ' εἴη φθόγγος· εἰς δ' ἁλιῤῥόθους
Ἀκτὰς ἀποβλέψαντες, ἱερὸν εἴδομεν
Κῦμ' ὐρανῷ στηρίζον, ὥστ' ἀφῃρέθη
Σκείρωνος ἀκτὰς ὄμμα τὐμὸν εἰσορᾷν·
Ἔκρυπτε δ' Ἰσθμὸν καὶ πέτραν Ἀσκληπιᾶ.
Κἄπειτ' ἀνοιδῆσάν τε, καὶ πέριξ ἀφρὸν
Πολὺν καχλάζον ποντίῳ φυσήματι,
Χωρεῖ πρὸς ἀκτὰς, ἔ τέθριππος ἦν ὄχος.
Αὐτῷ δὲ σὺν κλύδωνι, καὶ τρικυμίᾳ,
Κῦμ' ἐξέθηκε ταῦρον, ἄγριον τέρας·
Οὗ πᾶσα μὲν χθὼν φθέγματος πληρουμένη,
Φρικῶδες ἀντεφθέγγετ'· εἰσορῶσι δὲ
Κρεῖσσον θέαμα δεργμάτων ἐφαίνετο. *Hipp.* 1201.

Viſo autem phantaſmate perterrefacti equi in cœcam ſe fugam illico projiciunt:

Κεἰ μὲν εἰς τὰ μαλθακὰ
Γαίας ἔχων οἴακας ἰθύνοι δρόμον,
Πρὐφαίνετ' εἰς τὔμπροσθεν, ὥστ' ἀναστρέφειν,
Ταῦρος, φόβῳ τέτρωρον ἐκμαίνων ὄχον.
Εἰ δ' εἰς πέτρας φέροιντο, μαργῶσαι φρένας,
ΣΙΓΗ ΠΕΛΑΖΩΝ ΑΝΤΥΓΙ ΞΥΝΕΙΠΕΤΟ.
Ibid. 1226.

Magna ſane eſt etiam *ſilentii* iſtius vis, quo ſervato curſum Hippolyti æquis paſſibus comitatur monſtrum, et quocunque inflectatur currus, ſe furibundis equis intuendum præbet. Quod in Bacchis itidem egregio loco vim addit non minimam, ubi Matres inter montium deſerta ac ſaltus, Bacchi voce a cœlis percitæ, ad furias adiguntur.

Ἐκ δ' αἰθέρος φωνή τις, ὡς μὲν εἰκάσαι,
Διόνυσος ἀνεβόησεν· ὦ νεανίδες,
Ἄγω τὸν ὑμᾶς, κἀμὲ, τἀμά τ' ὄργια
Γέλων τιθέμενον· ἀλλὰ τιμωρεῖσθέ νιν.
Καὶ ταῦθ' ἅμ' ἠγόρευε, καὶ πρὸς ὐρανὸν
Καὶ γαῖαν ἐστήριξε φῶς σεμνὸ πυρός.
ΣΙΓΗΣΕ Δ' ΑΙΘΗΡ, ΣΙΓΗ Δ' ΕΥΛΕΙΜΟΣ ΝΑΠΗ
ΦΥΛΛ' ΕΙΧΕ· ΘΗΡΩΝ Δ' ΟΥΚ ΑΝ ΗΚΟΥΣΑΣ
BOHN. *Bacch.* 1076.

Attamen de artificiis extra oculorum aciem poſitis, copioſius dicendi mox locus erit. Liceat modo nobile illud Æſchyli jam proferre, quod in materia non abſimili parem fere laudem habet, cum Εἴδωλον Ἄργας γηγενοῦς non imagine mera vigilique oculo tantum eſſe terribile, ſed carmen unum paſtorale continuo in aures ſuas ſubmurmurare Io queritur.

Φοβοῦμαι τὸν μυριωπὸν εἰσορῶσα Βούταν.
Ὁ δὲ πορεύεται δόλιον ὄμμ' ἔχων,
Ὃν οὐδὲ κατθανόντα γαῖα κεύθει.
Ἀλλ' ἐμὲ τὰν τάλαιναν ἐξ ἐνέρων περῶν
Κυναγετεῖ, πλανᾷ τε νῆστιν
Ἀνὰ τὰν παραλίαν ψάμμον·
Ὑπὸ δὲ κηρόπλαστος ΟΤΤΟΒΕΙ
ΔΟΝΑΞ ΑΧΕΤΑΣ ΤΙΠΟΔΟΤΑΝ ΝΟΜΟΝ.
Æſch. Prom. 571.

Hæc autem et ſimilia, cum in motu animi et terrore verſentur, idcirco ad AFFECTUUM partes jam olim pertractatas attinere ne quis forte putet, animadvertat velim, non caſibus humanis aut vera rerum imitatione metum hunc effici, ſed inanibus umbris et tacito religionis ſenſu ad rem ſuam abuti ſcriptorem. Quare dubitandum non eſt, harum rerum diſciplinam recte Phantaſiæ finibus contineri: Hujus enim ex ope pendet quicquid virium habeant aut

pulchritudinis: huc unice referuntur: et quanquam a ſublimi illo magnificoque conceptuum genere de fato et numine non admodum videntur aliena, tamen hoc utriſque intereſſe nemo non videt, quod illis veritas aut probabilis ſaltem ratio inſit, hæc cæca vulgi opinione et formidine potius alantur quam ratione.

Maxime interea rudioris ævi inſcitiam arguit, etiam in hujuſmodi miraculis, vis ferme omnis deſcriptionis ad *oculorum* judicium accommodata. Enimvero in quibuſdam adeo ſterile eſt ingenium, ut *magnitudine* ſola attonitos lectores velint: et (quæ inſulſiſſimi cujuſque poetæ ſunt artes) cæteros ſe exſuperaturos putant, modo res eaſdem duplici aut, ſi dis placet, centuplici mole auctas proferant. Quum vero ad phantaſiam complures pateant aditus, leviculi plane eſt ineptique animi *viſu* ſolo immorari: cæteris quoque ſenſibus ſuus habeatur honos, auditum præcipue dico et tactum: qui licet ſegnius aliquanto irritent animum et morales quos vocant affectus, hoc tamen iis præ viſu ineſt boni, quod res in ambiguo magis et incerto ſic poſita videtur, ideoque ad cæcos impetus commovendos aptior, quam ſi ſpectaculo palam propoſito explerentur oculi.

Etenim hanc imagines concipiendi et captandi facultatem, præter cæteros animi motus, cum terrore eſſe conjunctam ſatis conſtat: et linguarum ferme omnium docebit ratio, quam facili lapſu altera in alterius naturam tranſeat. Quorſum alias ſpectant nota illa Lucretii?

> His tibi me rebus quædam divina *voluptas*
> Percipit atque *horror*, quod ſic natura tua vi
> Tam manifeſta patet ex omni parte retecta.
>
> *Lucret.* iii. 28.

Tantopere vero ad ſe invicem accedunt mirandi et metuendi ſenſus ut parem fere vim his vocibus tribuat Horatius :

> *Nil admirari* prope res eſt una, Numici,
> Solaque quæ poſſit facere et ſervare beatum.
> Hunc ſolem, et ſtellas, et decedentia certis
> Tempora momentis, ſunt qui *formidine nulla*
> Imbuti ſpectent. *Hor. Ep.* i. 6, 1.

Quod prius ergo dixerat *nil admirari* idem mox *nulla formidine affici*, oratione paullum immutata, ait. Quoniam igitur ex obſcura ſignificatione, et ambigua luce, aut ex caligine demum ipſa metus magis oriatur, quam certa rerum cognitione, omnino ad phantaſiam videtur pertinere ea potiſſimum ſequi, quæ pectoris quaſi arcana excutiant, quæ mentem ad cogitationes impellant a vitæ conſuetudine remotiores, et conceptuum ſuorum celeritate commotam reddant. Plurimis autem id fieri poſſe modis, nulla monſtri ſpecie ad percellendos *oculos* propoſita, egregia illa Virgilii prodigia optime docent : e quibus, exempli cauſa, proferatur illud de arbuſtis Polydori tumulo evulſis.

> Nam, quæ prima ſolo ruptis radicibus arbos
> Vellitur, huic atro liquuntur ſanguine guttæ,
> Et terram tabo maculant. Mihi frigidus horror
> Membra quatit, geliduſque coit formidine ſanguis.
> Rurſus et alterius lentum convellere vimen
> Inſequor, et cauſas penitus tentare latentes :
> Ater et alterius ſequitur de cortice ſanguis.
> Multa movens animo Nymphas venerabar agreſtes,
> Gradivumque patrem, Geticis qui præſidet arvis,
> Rite ſecundarent viſus, omenque levarent.
> Tertia ſed poſtquam majore haſtilia nixu
> Aggredior, genibuſque adverſæ obluctor arenæ :

Eloquar, an ſileam? gemitus lacrimabilis imo
Auditur tumulo, et vox reddita fertur ad aures:
Quid miſerum, Ænea, laceras? jam parce ſepulto,
Parce pias ſcelerare manus. *Æn.* iii. 27.

Non exigua certe eſt vis in poſtremis hiſce, de voce humana præter naturam audita: et profecto arrectiorem multo eſſe animum lectoris puto ad illa in Didonis furoribus, quæ mariti vocem noctu ad aures ejus perveniſſe fingunt, quam ſi in ſimulacro perquam terribili adumbrando verſaretur ſcriptor.

Hinc exaudiri voces et verba vocantis
Viſa viri, nox cum terrâs obſcura teneret.

Tum illa quæ ſequuntur optime animum tali morbo correptum referunt; nempe ut omnia, etiam quæ ſponte et nullo miraculo fiunt, ad rem ſuam trahere ſoleat.

Solaque culminibus ferali carmine bubo
Sæpe queri, et longas in fletum ducere voces.

Illud autem de voce mortuorum non infeliciter attigit Ovidius; et (quod raro huic poetæ evenit ut quæ imitetur in melius mutet) neſcio an plus quiddam formidinis definito illo certoque numero inſit,

Hinc ego me ſenſi noto *quater* ore citari:
Ipſe ſono tenui dixit, Eliſſa, veni. *Ep.* vii. 99.

Sunt autem aliqua in eodem Virgilii loco, quæ diſciplinæ toties iteratæ fidem faciunt: nempe efficacius multo rem depingi, quæ ducta hinc inde linea mentis vires eliciat ad reliqua perficienda, quam cujus imagine fruimur omnibus numeris abſoluta.

Vidit, thuricremis cum dona imponeret aris,
Horrendum dictu! latices nigreſcere ſacros;
Fuſaque in obſcœnum ſe vertere vina cruorem.
Hoc viſum nulli, non ipſi effata ſorori. *Æn.* iv. 453.

Profecto 'latices ſacros nigreſcere' et 'vina in cruo-'rem verti' portentum eſt illud quidem memorabile, et metus plenum: brevi tamen admodum percurritur oratione, qualia ſunt multa in primo Georgicorum interitum Cæſaris conſecuta. Horum autem nulli ineſt ſeverum illud et affectus graviter commoti ſignum, quod in ultimo verſu continetur,

Hoc viſum nulli, non ipſi effata ſorori:

quem qui legit (præter infandam monſtri ipſius ſpeciem) eum ſubeat neceſſe eſt quantum animus reginæ horrorem ex tacito viſu concepiſſet, ut ne unquam dicere quidem auderet quod imo corde diu eſſet infixum.

Pari ferme virtute inſignis eſt Œdipi illius Colonæi mors a Sophocle confícta[a]. Non terribilem jam dico rerum apparatum, tonitru Jovis et fulgur, et inferorum voces moras increpantium: his certe omnibus majeſtas ſua ineſt, ſed qualem innumeri poetarum loci ſibi pari jure vindicarent; præſertim chorus ille Prometheus nulli in eodem genere ſecundus,

Καὴ μὴν ἔργῳ κἀκέτι μύθῳ
Χθὼν σεσάλευται κ. τ. α.

Nobilioris autem ingenii eſt fœtus, *ſignum illud* ab Œdipo propoſitum, ut promiſſa ſua Theſeo modo facta commendet; ſe oculis orbatum ſcilicet, recta nullo duce monſtraturum iter, donec ad locum pervenerit ubi eum vita excedere in fatis eſſet. Quo quidem commento ſcenam, alioqui ſane religione et ſacro metu egregiam, altius fecit in mentem lectoris

[a] Vid. Œd. Col. l. 1518—1666.

deſcendere, quam fragore cœli et tenebris, aut dæmonum vultu ac miniſterio poſſet effici.

Quantum vero his rebus ponderis inſit, quæ nihil ſpecioſi in ſe habent, utpote animo potius quam oculis haurienda, licet vulgus ſcriptorum plerumque fugiat, at præſtantiſſimum quemque, etiam in portentis rerum referendis, bene noſſe confitendum eſt. Ecquis enim ex minoribus poetis, modo ſerpentes iſtos ad Laocoönta divinitus miſſos deſcribere vellet, non cœlum tempeſtate horridum fingeret et mare ventis turbatum? Aliter prorſus atque optime Virgilius:

> Ecce autem gemini a Tenedo *tranquilla per alta*
> (Horreſco referens) immenſis orbibus angues
> Incumbunt pelago, *pariterque* ad littora tendunt.
> *Æn.* ii. 203.

Hæc non modo ad ea quæ ſequuntur viam ſtruunt, *Fit ſonitus ſpumante ſalo*, ſed cum tranquilla ponti facies et tanquam ſilentium, tum anguium *æquabilis* ſuper undas curſus, dirum animis horrorem futurique mali expectationem parit.

Eſt etiam illud hac in parte nequaquam tacendum, de quo plurima olim dicta ſunt ad imitandi artem ſpectantia; nempe ut rerum *adjuncta* potius quam res ipſas perſequamur. Namque in eo maxime ſita eſt phantaſiæ vis, ut ſuo ſe motu erigat, et ſimulacra rerum expromat magis, quam extrinſecus allata aucupetur. Quare immanem anguis illius Africani proceritatem non male depingit Silius, quanquam oculis ſolis rem omnem permittat.

> Nondum etiam toto demerſus corpore in amnem,
> Jam caput adverſæ ponebat margine ripæ. *Sil.* vi. 164.

At phantaſiam irritat multo magis Statius, adjecto ſonitus auxilio.

Sæpe ſuper fluvios geminæ jacet aggere ripæ
Continuus, *ſquamiſque inciſus adæſtuat amnis.*
Theb. v. 516.

Cujuſmodi etiam eſt illud Ovidii;

Terraque raſa ſonat ſquamis, *Met.* 3.

ut fere horrore repentino commoveatur qui legit; et hoc uno veluti filo arrepto, cætera ipſe facile expediat, et totam quaſi regionem perluſtret animo. Etiam odorandi ſenſu ſcite admodum ad phantaſiam irritandam utuntur Tragœdi[b]. Quod ſi plura ſimul eodem ſpectent conjunctis viribus, fortiores fient vehementioreſque animi conceptus, modo ex diverſis ſenſibus imagines diverſæ ortum habeant, eaſque apte diſponere poeta noverit. Cujus quidem rei vix diſertius aliquis exemplum quæret, quam ex Arethuſæ apud Ovidium fabula, ubi Nympha, Alpheum curſu ſibi propius inſtantem et veſtigia jam jam prementem narrans, *adjunctis* utitur ex viſu ſimul et auditu et tactu comparatis.

Sol erat a tergo: vidi præcedere longam
Ante pedes umbram; niſi ſi timor illa videbat;
Sed certe ſonituque pedum terrebar; et ingens
Crinales vittas adflabat anhelitus oris. *Met.* v. 614.

Jam vero ne in præceptis longior ſim de rerum terribilium ac prodigiorum uſu, ſit ſatis monuiſſe nihil uſquam faſtidio eſſe propius, aut quo verecundius uti ſcriptorem oporteat[c]. Tum non alio quam

[b] Vid. Æſch. Agam. 1320. et ſeq. et Eumen. 248.

[c] Inſigne eſt exemplum in Italico [*Pun.* viii. 623, &c.] ubi præ nimia multitudine ſe invicem conturbant prodigia: alterum vero [*Pun.* xvi. 586.] ubi inutilia prorſus ſunt, ideoque in vitio plane habenda.

Lucani exemplo opus eſſe opinor, ut prohiberi quis poſſit, quo minus ad hiſtoriæ lucem has fabulas adferat, et in negotiis civilibus belliciſque ſui temporis enarrandis Deorum Miniſterio aperte uti velit. Hunc tamen ſcriptorem, toties a me olim inſimulandi et arguendi cauſa memoratum, felici ſæpe ingenio res ſacras et religionem attigiſſe jam lubens profiteor. Cujus rei argumenta cum poſſem plurima proferre, lucum modo iſtum prope Maſſiliam appellarem, in quem ſcilicet omnia videtur et viſu et cogitatu metuenda, ſilentium, caliginem, cruentos ritus, trunca Deum ſimulacra, ignotum numinis genus ac nomen, et quæ præterea animis ſuperſtitioſo metu correptis tali in re ſuccurrere ſolent, admirabili arte et carmine non ineleganti contuliſſe.

Lucus erat longo nunquam violatus ab ævo,
Obſcurum cingens connexis aëra ramis,
Et gelidas alte ſummotis ſolibus umbras.
Hunc non ruricolæ Panes, nemorumque potentes
Sylvani Nymphæque tenent, ſed barbara ritu
Sacra deum, ſtructæ ſacris feralibus aræ;
Omnis et humanis luſtrata cruoribus arbos.
Si qua fidem meruit Superos mirata vetuſtas,
Illis et volucres metuunt inſiſtere ramis,
Et luſtris recubare feræ: nec ventus in illas
Incubuit ſylvas, excuſſaque nubibus atris
Fulgura: non ullis frondem præbentibus auris
Arboribus ſuus horror ineſt: tum plurima nigris
Fontibus unda cadit, ſimulacraque mæſta deorum
Arte carent, cæſiſque exſtant informia truncis.
Ipſe ſitus, putrique facit jam robore pallor
Attonitos: non vulgatis ſacrata figuris
Numina ſic metuunt: tantum terroribus addit
Quos timeant non noſſe Deos: jam fama ferebat
Sæpe cavas motu terræ mugire cavernas,

Et procumbentes iterum conſurgere taxos,
Et non ardentis fulgere incendia ſilvæ,
Roboraque amplexos circum fluxiſſe dracones.
Non illum cultu populi propiore frequentant,
Sed ceſſere deis: medio cum Phœbus in axe eſt,
Aut cœlum nox atra tenet, pavet ipſe ſacerdos
Acceſſus, dominumque timet deprendere luci.
Pharſ. iii. 399.

Vix forſan hæc ad Virgilianam majeſtatem in eodem argumento accedunt:

Jam tum relligio pavidos terrebat agreſtes
Dira loci: jam tum ſilvam ſaxumque tremebant.
Hoc nemus, hunc inquit frondoſo vertice collem
(Quis Deus, incertum eſt) habitat Deus. Arcades ipſum
Credunt ſe vidiſſe Jovem; cum ſæpe nigrantem
Ægida concuteret dextra, nimboſque cieret.
Æn. viii. 351.

At locis fœcundior eſt Lucanus, qui porro, ſi rebus parem offudiſſet carminis gratiam, certe ad commovendam hanc de qua quæritur facultatem videntur aptiores. Fuit quidem præterea in animo (quod ne perficiam tempus jam vetat) nobilem imprimis ejuſdem poetæ fabulam fuſius exſequi, in qua, Theſſalæ alicujus veneficæ artibus, animam penitus exſtinctam et ſolutam corpore rurſus in cadaver revocari fingit; nempe ut futuras Pompeii fortunas filio ejus ſciſcitanti aperiat. Summa ubique cum gravitate et copioſa facinoris horrendi deſcriptione, per ducentos ferme Pharſaliæ verſus, res deducitur[b]: præſertim ubi umbram juxta adſtantem, propterea quod in cadaver redire nolit, diris verberibuſque mulier irata inſequitur, et

[b] Vid. Pharſ. lib. vi. l. 570 ad finem.

furiarum *vera nomina* lingua efferre, ni votis adſint, minatur. Sunt hæc quidem a communi uſu et conſuetudine remotiora: at quod raro dictu contigit, et nova quodammodo videntur, et non nimis exquiſita. Tum iſta porro non carent virtute, quæ in omni religionis inſtrumento eſt præcipua, et quæ in poëſi *veritatis* loco eſt habenda, ut fama conſtans fuerit, et aliqua apud vulgus de his rebus antiquitus concepta opinio: qua ſi omnino deſtitutum fuerit, vix in phantaſiam commento quamvis ingenioſo et terroris pleno patebit aditus.

PRÆLECTIO TRICESIMA SECUNDA.

De Fabulis Mythologicis. *Non ex* novitate *ſed ex* conſuetudine *vim habent. Quo autem notiores, eo potentiores. Magna eſt mera* nominum *virtus, ſi cum hiſtoria aliqua ſint conjuncta. Quare fabulas uſu receptas, præſertim vetuſtæ religionis reliquias, ſedulo addiſcat Poeta. In omni ferme poematum genere, et in omni ætate,* Mythologiæ antiquæ *eſt locus.*

DE prodigiorum uſu quæ habui expoſitis, et de omni portentorum genere ad metum atque horrorem accommodato, ſupereſt ut reliquam ex religione ortam materiem paucis jam exſequar: qua quidem re maximos ubique poetas gaudere video, et inde etiam non minimum artis ſuæ decus trahere. Neque tamen hic agitur de præſentia, ac majeſtate, et auxilio Deorum, qualia in Epico poemate adhiberi ſolent; quarum ſcilicet rerum imagine confunditur quodammodo ſenſus, et ad inſolitam miraculi ſpeciem erigitur: *fabulas* tantum illas dico ex ultima vetuſtate deductas, quas credula nimis ætas olim a parentibus acceperit, et in ſacris habuerit. Quas modo ſcite operi intexat ſcriptor, ut ad hæc antiquitatis commenta, non deſtinato curſu, ſed aura quaſi ingenii abreptus videatur deferri, mirum quantum pulchritudinis et gratiæ carminibus addunt.

Hanc autem voluptatem, qualiſcunque demum fuerit, ad phantaſiæ partes unice pertinere dixerim. Namque in eo præcipue videtur poſita, quod imagines intus reconditas ſopitaſque ſuſcitet, quas non ſine delectatione quadam perfuſa mens olim conceperit. Nempe ea lege conſtitutos eſſe homines jam a pleriſque philoſophis conceſſum habemus, ut omnia ferme quæ menti occurrant aut voluptate aliqua aut dolore impulſi ſentiamus: tanta autem eſt rei ipſius cum animi ſenſu neceſſitudo, tamque inter ſe colligantur penitus et cohærent, ut ſi res eaſdem aut conſimiles fors aliqua poſtea obtulerit, protinus aut delectemur ultro aut doleamus; redeatque utplurimum ſenſus ille, qui re imprimis concepta fuiſſet. Quod cum latiſſime pateat, et ad univerſum cogitationum genus ſpectet, tum in iis præſertim cernitur quæ nobis jam olim a pueritia in deliciis fuerint; quales ſunt Deorum et Heroum fabulæ, et quicquid a vitæ conſuetudine paullo remotius ſemel auditum animo penitus inſederit.

Illud porro in hac quæſtione prætereundum non eſt: nimirum ipſa *agitatione et motu* delectari animum, quoties loci alicujus aut verbi repentina vis connexam rerum ſeriem atque ordinem denuo reſurgere faciat, et, facto quaſi ad extremam oram initio, tela quædam involuta et diu compreſſa explicari cœperit. Quocirca, ut egregiæ ſint res aut pulchritudine aut novitate, non admodum refert, modo inter ſe penitus cohæreant, et agitata ſemel mente aliæ ex aliis ſenſim innoteſcant.

Quid enim aliud in cauſa eſſe putemus, cur Herois aut fœminæ illuſtris nomine audito, de quibus vetus exſtet hiſtoria, ſtatim arrecti animis et com-

moti fiamus? Unde illa montium fluviorumque ac regionum brevis modo mentio facta ad intimos ſenſus illabi poſſet, niſi jamdudum repoſta eſſet materies, quæ ſubito tactu concaleſceret, et conſuetam voluptatem animo cieret? Quare id ſemper agunt poetæ, ut quæ loca aut nomina ad hiſtoriam et fabulas nobiliores, aut ad Deorum cultum ac reverentiam pertinent, iis paſſim poemata quaſi luminibus diſtinguant, menteſque adeo permulceant lectorum, non vocum modo ſuavitate, ſed revocata ſimul rerum memoria.

Qua quidem in parte principatum nemo, opinor, Pindaro denegabit; ut cujus lyræ præſertim conveniret, 'divos pueroſque deorum' carmine efferre, et rebus non nimis a natura egregiis colorem quendam obducere, et majeſtatem non ſuam. Adeo autem totus in hujuſcemodi argumentis laborat, ut vix in carmen aliquod incidere poſſis, quod cæteris ſit aut fabulis fœcundius, aut Divum et heroüm nominibus, factis, conjugiis, amoribus magis confertum. Neque id ſane admodum curat, ut propoſito conducant, modo ſpecioſis carmen miraculis ornare, et a rebus quotidiani uſus ad loca longinqua et ſitu amœniora mentem poſſit abducere.

Conſimilis ferme eſt ratio melicorum in tragœdiis carminum, quæ in mythologia explicanda plurimum laſcivire ſolent; ut arrepta utcunque ex fabula occaſione in aperta hæc ſpatia illico ſe conferant, ubi phantaſiæ huc illuc vaganti nihil obſtare poſſit. Cujus rei vix aliud, ſi exemplum quæratur, libentius proferrem, quam dulciſſimum illud in Œdipo Tyranno, quod exſpectato paſtore mox omnia patefacturo canitur.

Εἴπερ ἐγὼ μάντις εἰμὶ
Καὶ κατὰ γνώμην ἴδρις,
Οὐ τὸν Ὄλυμπον, ἀπείρων,
Ὦ Κιθαιρὼν, οὐκ ἔσει
Τὰν αὔριον πανσέληνον,
Μὴ οὐ σέ γε καὶ πατριώταν Οἰδίπου
Καὶ τροφὸν καὶ μητέρ' αὔξειν,
Καὶ χορεύεσθαι πρὸς ἡμῶν,
Ὡς ἐπίηρα φέρον-
τα τοῖς ἐμοῖς τυράννοισιν.
Ἰήϊέ σοι Φοῖβε,
Σοὶ δὲ ταῦτ' ἀρέστ' εἴη.
Τίς σε, τέκνον, τίς σ' ἔτικτε
Τῶν μακραιώνων; ἆρα
Πανὸς ὀρεσσιβάτα που
Προσπελαθεῖσ', ἢ σέ γε
Τις Θυγάτηρ Λοξίου; τῷ
Γὰρ πλάκες ἀγρονόμοι πᾶσαι φίλαι·
Εἴθ' ὁ Κυλλάνας ἀνάσσων,
Εἴθ' ὁ Βακχεῖος θεὸς ναί-
ων ἐπ' ἄκρων ὀρέων,
Εὕρημα δέξατ' ἔκ του Νυμ-
φᾶν Ἑλικωνιάδων,
Αἷσι πλεῖστα συμπαίζει. *Œd. Tyr.* 1086.

His porro addiderim celeberrimum in Œdipo Colonæo cantum, qui ab Atticæ regionis laudibus exorſus in pulcherrimam numinum mentionem excurrit —Bacchi ſcilicet ſaltus atque avia peragrantis, Jovis et Minervæ, Muſarum etiam, et ſuper omnia Neptuni et Nereidum ſororum.

Εὐίππου, ξένε, τᾶσδε χώρας
Ἵκου τὰ κράτιστα γᾶς ἔπαυλα,
Τὸν ἀργῆτα Κολωνόν·
Ἔνθα λίγεια μινύρεται
Θαμίζουσα μάλιστ' ἀηδὼν
Χλωραῖς ὑπὸ βάσσαις,

Τὸν οἴνωπ' ἀνέχουσα κισσὸν,
Καὶ τὰν ἄβατον θεοῦ
Φυλλάδα μυριόκαρπον, ἀνήλιον,
'Ανήνεμόν τε πάντων
Χειμώνων· ἵν' ὁ βακχειώτας ἀεὶ
Διόνυσος ἐμβατεύει,
Θείαις ἀμφιπολῶν τιθήναις.
Θάλλει δ' οὐρανίας ὑπ' ἄχνας
'Ο καλλίβοτρυς κατ' ἦμαρ αἰεὶ
Νάρκισσος, μεγάλαιν θεαῖν
'Αρχαῖον στεφάνωμ', ὅ τε
Χρυσαυγὴς κρόκος· οὐδ' ἄϋπνοι
Κρῆναι μινύθουσιν
'Ιλισσοῦ νομάδες ῥεέθρων,
'Αλλ' αἰὲν ἐπ' ἤματι
'Ωκυτόκος πεδίων ἐπινίσσεται,
'Ακηράτῳ ξὺν ὄμβρῳ
Στερνόχου χθονός· οὐδὲ Μουσᾶν χοροί
Νιν ἀπεστύγησαν, οὐδέ γ'
'Α χρυσάνιος 'Αφροδίτα·
Ἔστιν δ' οἷον ἐγὼ
Γᾶς 'Ασίας οὐκ ἐπακούω,
Οὐδ' ἐν τᾷ μεγάλᾳ Δωρίδι νάσῳ
Πέλοπός ποτε βλαστὸν,
Φύτευμ' ἀχείρωτον, αὐτόποιον,
'Εγχέων φόβημα δαΐων,
Ὃ τᾶδε θάλλει μέγιστα χώρᾳ,
Γλαυκᾶς παιδοτρόφου φύλλον ἐλαίας·
Τὸ μέν τις οὔτε νέος, οὔτε γήρᾳ
Σημαίνων ἀλιώσει χερὶ πέρσας.
'Ο γὰρ ἐσαιὲν ὁρῶν κύκλος
Λεύσσει νιν Μορίου Διὸς,
Χ' ἁ γλαυκῶπις 'Αθάνα.
Ἄλλον δ' αἶνον ἔχω
Ματροπόλει τᾷδε, κράτιστον
Δῶρον τᾶ μεγάλου δαίμονος, εἰπεῖν,
Αὔχημα μέγιστον,

Εὔϊππον, εὔπωλον, εὐθάλασσον.
Ὦ παῖ Κρόνου, σὺ γάρ νιν εἰς
Τόδ' εἶσας αὔχημ', ἄναξ Ποσειδὰν,
Ἵπποισιν τὸν ἀκεστῆρα χαλινὸν
Πρώταισι ταῖσδε κτίσας ἀγυιαῖς.
Ἃ δ' εὐήρετμος ἔκπαγλ' ἁλία χερ-
σὶ παραπεπταμένα πλάτα
Θρώσκει, τῶν ἑκατομπόδων
Νηρήδων ἀκόλουθος. *Œd. Col.* 668.

Infinitus plane eſſem ſi in hiſce deligendis ſtudio ac voluptati meæ obſequendum duxerim. Sed doctrinæ quam tuemur fidem omnino hæc facere videntur, modo animadvertatur quanta in Deorum mentione virtus inſit. Nonnulla quidem ſunt eorum ad oculorum judicium plane compoſita, quum in rebus viſu jucundis luxuriant: nemoris enim illius, hedera virentis et luſciniæ cantu celebrati, tum florum et aquæ per prata properantis gratiam haud vulgarem eſſe fateor: at illa tamen in mentem lectoris altiſſime deſcendunt, et (niſi me fallit prorſus inſtituti argumenti amor) dulcedine quadam inſolita intima cordis reſolvunt clauſtra, quæ cœlicolas his ſedibus intereſſe referunt, hic choros agere, nemora ac rupes præſidio tenere, et quæ maris imperium Athenienſibus prætendunt divino munere conceſſum.

Vix autem in paginam aliquam Pindari incideris, cui non ex fabulis Deum et Heroum maxima comparatur gratia; uſque adeo nos ad Chironis illius antrum, aut Herculis labores ſecum aufert—Jaſona autem aut Tyndaridas aut Bellerophontem, notiſſima carminum argumenta, arrepta avide ex nomine gentis aut oppidi occaſione, continuo appellat. Quanta utique venuſtate nobile illud carmen claudit de la-

borioſæ virtutis laudibus, exemplo Herculis confirmatis! cujus nimirum, infantis adhuc, manibus gemini dracones interfecti narrantur.

Ταχὺ δὲ Καδμείων ἀγοὶ χαλ-
κέοις σὺν ὅπλοις ἀθρόοι ἔδραμον.
Ἐν χερὶ δ' Ἀμφιτρύων
Κολεοῦ γυμνὸν τινάσσων φάσγανον
Ἵκετ', ὀξείαις ἀνίαισι τυπείς.
Τὸ γὰρ οἰκεῖον πιέζει
Πάνθ' ὁμῶς· εὐθὺς δ' ἀπήμων κραδία
Κᾶδος ἀμφ' ἀλλότριον.
Ἔστα δὲ θάμβει δυσφόρῳ
Τερπνῷ τε μιχθείς. εἶδε γὰρ ἐκνόμιον
Λῆμα τε καὶ δύναμιν
Υἱοῦ. παλίγγλωσσον δέ οἱ ἀθάνατοι
Ἀγγέλων ῥῆσιν θέσαν.
Γείτονα δ' ἐκκάλεσεν Διὸς ὑψί-
στου προφάταν ἔξοχον,
Ὀρθόμαντιν Τειρεσίαν. ὁ δέ οἱ
Φράζε καὶ παντὶ στρατῷ,
Ποίαις ὁμιλήσει τύχαις,
Ὅσσους μὲν ἐν χέρσῳ κτανὼν
Ὅσσους δὲ πόντῳ θῆρας ἀϊδροδίκας,
Καί τινα σὺν πλαγίῳ
Ἀνδρῶν κόρῳ στείχοντα, τὸν ἐχθρότατον
Φᾶσέ νιν δώσειν μόρον.
Καὶ γὰρ ὅταν θεοὶ ἐν πεδίῳ Φλέ-
γρας Γιγάντεσσιν μάχαν
Ἀντιάζωσιν, βελέων ὑπὸ ῥι-
παῖσι κείνου φαιδίμαν
Γαίᾳ πεφύρσεσθαι κόμαν
Ἔνεπεν, αὐτὸν μὰν ἐν εἰρά-
να τὸν ἅπαντα χρόνον σχὲν ἀεὶ
Ἀσυχίαν, καμάτων
Μεγάλων ποινὰν λαχόντ' ἐξαίρετον
Ὀλβίοις ἐν δώμασι, δεξάμενον
Θαλερὰν Ἥβαν ἄκοιτιν,

Καὶ, γάμον δαίσαντα, παὰρ Διὶ Κρονίδᾳ
Σεμνὸν αἰνήσειν δόμον. *Nem.* i. 77.

Illud interea quod præcipue animadverſum velim exempla modo allata occaſionem iterum dicendi præſtant—nempe ex antiqua et inveterata, ut ita dicam, conſuetudine his fabulis contigiſſe gratiam : unde, levi admodum ſignificatione facta, ſubeunt ſtatim non ſimulacra modo et rerum extra naturæ ſortem ſpectacula, ſed nota quaſi hiſtoria, re, loco, factis deſignata, quam raptim percurrit animus, utpote cui a teneris plerumque annis dulcis olim ſecum fuerit neceſſitudo.

Optime id Virgilio cognitum poemata ejus, continuo his luminibus diſtincta, ſatis monſtrant. In Georgicis præſertim, a rebus quotidianis et ſordidi nonnunquam uſus quam ſcite trahimur ad commenta aliqua antiquitus tradita, atque omnem vetuſtioris ævi religionem ! Sic forma quæ ſit equi honeſtiſſima habenda ſimpliciter expoſito, ſtatim ad nobiliora hæc aſſurgit.

Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis
Cyllarus, et quorum Graii meminere poetæ
Martis equi bijuges, et magni currus Achillis.
Talis et ipſe jubam cervice effudit equina
Conjugis adventu pernix Saturnus, et altum
Pelion hinnitu fugiens implevit acuto.
Georg. iii. 89.

Pari in laude ſunt ea quæ ſequuntur, de genere equorum ad currus et equeſtrem uſum accommodato.

Primus Erichthonius currus et quatuor auſus
Jungere equos, rapidiſque rotis inſiſtere victor.
Fræna Pelethronii Lapithæ, gyroſque dedere,

Impoſiti dorſo; atque equitem docuere ſub armis
Inſultare ſolo, et greſſus glomerare ſuperbos.
Georg. iii. 113.

Tum ad pecudum minorum atque ovium curam tranſgreſſus, poſtquam multa accurate diſſeruit de paſcuis, et ſtabulorum ſitu, et quo pacto vellera fiant pretioſa monſtrato, in hæc ſubito prorumpit.

Munere ſic niveo lanæ, ſi credere dignum eſt,
Pan Deus Arcadiæ captam te Luna fefellit,
In nemora alta vocans, nec tu aſpernata vocantem.
Georg. iii. 391.

Neque ex religionis tantum ſinu promenda ſunt ſubſidia: quicquid enim de illuſtribus olim viris narratum vulgo, et ad ſeros nepotes ſit traditum, ſuo non carere fructu probe novit, ſervata loci ac temporis occaſione. Namque ut cætera hujus generis nunc prætéream, notum modo illud et decantatum de Leandri caſu quam dulci artificio intexuit poemati!

Quid Juvenis, magnum cui verſat in oſſibus ignem
Durus amor? nempe abruptis turbata procellis
Nocte natat cæca ſerus freta; quem ſuper ingens
Porta tonat cœli, et ſcopulis illiſa reclamant
Æquora: nec miſeri poſſunt revocare parentes,
Nec moritura ſuper crudeli funere virgo.
Georg. iii. 258.

Pulcherrime quidem cernitur in Georgicorum exordio quanto ſtudio et amore harum rerum captus eſſet Virgilius: ut cupide in his exſpatietur regionibus—ut ſe inde invitus et quaſi coactus referat—ut revocato tandem pede, iterum iterumque eodem redeat. Invocatis nempe et cœli et terræ numinibus, ad Auguſtum ita ſe convertit.

Tuque adeo, quem mox quæ ſint habitura Deorum
Concilia, incertum eſt, urbiſne inviſere, Cæſar,

Terrarumque velis curam; et te maximus orbis
Auctorem frugum, tempeſtatumque potentem
Accipiat, cingens materna tempora myrto:
An Deus immenſi venias maris, ac tua nautæ
Numina ſola colant; tibi ſerviat ultima Thule,
Teque ſibi generum Tethys emat omnibus undis:
Anne novum tardis ſidus te menſibus addas,
Qua locus Erigonen inter Chelaſque ſequentes
Panditur: *ipſe tibi jam* brachia contrahit ardens
Scorpius, et cœli juſta plus parte reliquit.
Quicquid eris; *nam te* nec ſperent Tartara regem,
Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido;
Quamvis Elyſios miretur Græcia campos,
Nec repetita ſequi curet Proſerpina matrem;
Da facilem curſum atque audacibus annue cœptis[a].

Georg. i. 23.

Jam vero, ut hujuſce artificii vis inſpiciatur penitus, videamus quæſo quantum vel unius ſæpe vocabuli ſonus valeat ad jucundam harum rerum memoriam refricandam. Namque ubi, poſt laudes Italiæ pulcherrime elaboratas, exclamat vates,

Salve magna parens frugum, Saturnia tellus,
Magna virum!

certe aut miro ipſe errore teneor, aut vox illa *Saturnia* plus valet ad conciliandam lectoris non indocti mentem, quam epithetis poſſet effici omnia bona et magnifica prædicantibus. Enimvero plurimum errare hac in parte videntur ſcriptores, qui aut duro nimis ſint ingenio, aut literis parum imbuti, cum rem epithetis donandam putent plerumque ad *viſum* pertinentibus, aut quæ rei proprietatem aliquam ſignificent, aut quæ denique eam grandem, ſpecioſam, admirabilem

[a] Similem ferme ad modum mythos veteres percurrere amat Miltonus. Vid. egregium Comi locum v. 976—1011.

pronuntient. Fugit nimirum eos genus illud lautius multo ac locupletius, quod ex hiſtoria (ficta an civili parum refert) eſt ſumendum. Neque enim levia ſunt iſta quæ ex regione illuſtri ſunt deducta, ut *Paphiæ myrtus—biferi roſaria Pæſti—Armaque, Amyclæumque canem, Creſſamque pharetram.*—At pulcherrima ſunt quæ fabuloſæ antiquitatis ſpeciem præ ſe ferunt, ut *Cereale papaver,—Dilectæ Thetidi Halcyones—Japidis arva Timavi*; et illa in principio Georgicorum,

Liber et alma Ceres, veſtro ſi munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit ariſta,
Poculaque inventis *Acheloïa* miſcuit uvis.
Georg. i. 7.

aut quibus modo perlectis ſtatim in hiſtoriam aliquam incidere videmur; ut in illo Horatii,

Tendens Venafranos in agros
Aut *Lacedæmonium* Tarentum.

Et rurſus,

Tibur *Argæo poſitum colono*
Sit meæ ſedes utinam ſenectæ.
Sit modus laſſo maris, et viarum,
Militiæque.
Unde ſi Parcæ prohibent iniquæ,
Dulce pellitis ovibus Galeſi
Flumen, et *regnata petam Laconi*
Rura Phalanto. *Od.* ii. 6, 5.

Etenim Horatium, ſi quem alium, in deliciis habuiſſe conſtat cum eruditam omnem hiſtoriam, tum præcipue veterum illa poetarum ſomnia; et tantum porro his rebus tribuiſſe, ut mera locorum nomina[b] carmini-

[b] Ne ſemper udum Tibur, et Eſulæ
Declive contempleris arvum,
Telegoni juga parricidæ. *Od.* iii. 29.

bus paſſim adſpergat, modo ſint religione aliqua aut facto memorabili inſignita. Pindarum enim ubique ducem inſecutus, unde oriatur carmen aut qua lege pergat parum ſolicitus, ad Deos et Heroas quam primum diverti ſolet, neque inde niſi curſu feſſus ſe recipere. Quod cum in plurimis elucet, tum haud ſcio an cæteris illuſtrior ſit Ode illa in Muſarum laudes edita,

Deſcende cœlo et dic age tibia
Regina longum Calliope melos:

quæ quidem, utpote tota in phantaſiæ finibus verſata, ejus idcirco ſolius adſtricta legibus videtur. Narrato autem impio Gigantum adverſus Jovem bello, non Divos modo præſentes ad certamen adhibet, ſed loca et regiones numinibus ſacras ſtudio elatus ardenſque perſequitur.

Sed quid Typhœus, et validus Mimas,
Aut quid minaci Porphyrion ſtatu,
Quid Rhœcus, evulſiſque truncis
Enceladus jaculator audax,
Contra ſonantem Palladis ægida
Poſſent ruentes? Hinc avidus ſtetit
Vulcanus; hinc matrona Juno, et
Nunquam humeris poſiturus arcum,
Qui rore puro Caſtaliæ lavit
Crines ſolutos, qui Lyciæ tenet
Dumeta natalemque ſylvam,
Delius et Patareus Apollo. *Od.* iii. 4, 53.

Ejuſdem generis præclara ſunt exempla. Ode illa in Bacchi laudem,

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem, (credite poſt ri)
Nymphaſque diſcentes: et aures
Capripedum Satyrorum acutas.

Evœ, recenti mens trepidat metu,
Plenoque Bacchi pectore turbidum
Lætatur. Evœ, parce, Liber,
Parce gravi metuende thyrſo.
Fas pervicaces eſt mihi Thyadas,
Vinique fontem, lactis et uberes
Cantare rivos, &c.

et quæ profudit per viginti et plures verſus in carmine ad Arborem, cujus caſu fere eſt oppreſſus:

Quam pæne furvæ regna Proſerpinæ,
Et judicantem vidimus Æacum,
Sedeſque diſcretas piorum, et
Æoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus;
Et te ſonantem plenius aureo
Alcæe plectro &c.

Quid vero dulcius, quid ad ſenſus leniter commovendos aptius quam hæc notiſſimarum rerum obliqua commemoratio? Quanto potentiores etiam garrulæ vetuſtatis reliquiæ quam jejuna illa, de qua antea dictum eſt, allegoria, aut fictæ ad tempus virtutum et vitiorum formæ? Conferat modo aliquis Lucretianum illud, in peſtis Athenienſis deſcriptione,

Muſſabat tacito *Medicina* timore;

cum Virgilio rem non abſimilem referente,

Quæſitæque nocent artes. Ceſſere magiſtri
Phillyrides Chiron Amythaoniuſque Melampus:

et vix opinor in dubio hærebit, utri artificio potiorem locum tribuat.

Quinetiam hinc quæſtionem paullo difficiliorem ſolvi nonnunquam viſum eſt; cur nimirum ab Homero et ab optimo quoque Poeta toties iterentur illuſtrium virorum cognomina jampridem pervulgata,

ſive a patre ſint ea aut patria, ſive a corporis animique virtutibus deducta: qualia ſunt [c] Ποδώκης Ἀχιλεὺς, Ξανθὸς Μενέλαος, Γερήνιος Νέστωρ, Κορυθαίολος Ἕκτωρ, et ejuſdem generis bene multa. Quo etiam modo Deos et in narratione et in precibus ſolenniter nuncupatos legimus—Ἄρτεμις Ἰοχέαιρα, Ἑκατηβόλον Ἀπόλλωνα, Γλαυκῶπις Ἀθήνη—aut ſicut a Pindaro ſumma gravitate eſt factum:

Σωτὴρ ὑψινεφὲς Ζεῦ,
Κρόνιόν τε γαίων λόφον,
Τιμῶν τ' Ἀλφεὸν
Εὐρὺ ῥέοντ', Ἰδαῖ-
όν τε σεμνὸν ἄντρον,
Ἱκέτας σέθεν ἔρχομαι. *Ol.* v. 39.

Nihil licet in his novi aut ſpecioſi eluceat, at modo quis modice eruditus ſit lector, carmen ea ita non impedire fatebitur ut ornent potius, et epithetis *inuſitatis* et *inventis* longe præſtent. Quod quidem non aliunde fieri credibile eſt, niſi quod ex vocis ipſius conſuetudine tacito quodam impellamur ſenſu, et ad reliqua cogitanda facillime tranſeamus, quæ cum vocis ſono olim fuerint conjuncta: aut quod eum denuo induamus habitum ac colorem, quo, his rebus prius auditis, animum frui contigiſſet.

Eſt ſane plenior hujuſce quæſtionis doctrina ex intimis philoſophiæ fontibus repetenda. Nobis jam id tantum delibaſſe placuit, quod ſatis fore videbatur ut ' rebus antiquæ laudis et artis' ſuam adhuc conſtare gratiam docerem, neque abſumptam uſu, nec annis imminutam: neque id leviculorum hominum

[c] Graviter ob hæc Homerum increpat Scaliger—' Quid enim convenit Achilli flenti πόδας ὠκύς?' De Poetice, p. 543. et rurſus, ' Achilles vel dormiens, πόδας ὠκύς.' *Ib.* 552.

opinione, ſed naturæ legibus et graviſſima philoſophorum auctoritate inniti.

Interea nonnulla opus eſſe cautione haud negaverim, ne ad puerile prorſus ſcribendi genus inepta quis imitatione captus ſe conferat. Longe enim abeſt, ut nunc temporis antiquis ſive Deum ſive Heroum fabulis tanquam fundamento exſtructa velim poemata: nedum ut tales inter agendum adhibeantur perſonæ. At licet occupatus adeo ſit campus, ut in eum ſcriptori deſcendere non liceat tanquam in ſuum, flores tamen inde decerpere, et proſpectu regionis frui, quis vetet? Quippe ipſo in conquerendi articulo, furtim his ſe opibus tueri non dedignatur Virgilius:

> Cætera quæ vacuas tenuiſſent carmina mentes
> Omnia jam vulgata. Quis aut Euryſthea durum
> Aut illaudati neſcit Buſiridis aras?
> Cui non dictus Hylas puer, et Latonia Delos,
> Hippodameque, humeroque Pelops inſignis eburno?
> *Georg.* iii. 3.

Ecquis enim non videt hæc pariter in poematis decus tranſire, ac ſi, nulla querelæ forma adhibita, ad ornandum opus ultro peterentur? Atqui in re tam perſpicua quid teſtium opus eſt multitudine? Miltonum profecto unum adeat velim, quicunque in dubio habuerit, utrum hodiernis auribus permulcendis idoneæ ſint hæ fabulæ et leves veterum quaſi vatum ſuſurri: quo quidem ſcriptore nemo laxioribus habenis in hæc ſe effudit ſpatia, aut ad res magis alienas illuſtrandas ſplendida Graiorum mendacia transferre potuit. A vero utique poeta exagitanda ſunt omnia non modo naturæ arcana, non modo artium et literarum omnium flos eſt carpendus, ſed ficta etiam multarum gentium ac ſeculorum commenta ſedulo eruenda.

Non quo eum putida quædam et exoleta pro novis venditare velim, ſed (quod imperitos maxime judices fallit) ut ad vetera, tanquam vetera, aperte provocet. Namque in eo vim maxime poſitam etiam atque etiam prædicare non verebor, quod *nova non ſunt*, ſed animis jam diuturno uſu et conſuetudine penitus recepta.

Quare Mythologiam illam quam reſpuere adeo ſolent nonnulli et contemptui habere, ipſe fovendam imprimis duco, ſi quis, anguſtos meræ veritatis fines egreſſus, lautam ingenio ſupellectilem comparare velit, et ad pellendam vitæ triſtitiam alterum quaſi ſolem, et ſplendidos naturæ alterius colores adhibere. Neque id parvi æſtimandum, quod hujuſmodi deliciis adeo non obſit uſus, ut labentibus annis novas uſque vires colligant, et non niſi communi bonarum artium ac literarum naufragio ſint ipſæ perituræ.

PRÆLECTIO VICESIMA TERTIA.

De Antiquitate. *Plurimum delectatur Phantaſia omni vetuſtatis imagine. Delectatur item* Futuri *adumbratione. Hinc* vaticiniorum *in poemate uſus—quorum quidem maxima eſt vis, ſi exitu confirmata videantur—ſin autem cum hiſtoria pugnent, vana ſunt et effectu carent.*

QUANDO ad veteres Divum atque heroum fabulas non ita multo ante me converterem, et plurimum inde auxilii duci poſſe dicerem, ſi phantaſiam vellet ſcriptor aut excitare aut permulcere, fortaſſe vos non fugit, me hoc quodcunque eſt inſtrumenti tanquam rem veterem adhibendam monuiſſe, animis ſermonibuſque hominum jampridem occupatam. Cujus quidem præcepti vis latius paullo patet, quam quantum aut per tempus eam aperire tum liceret, aut argumenti in quo verſatus ſim pateretur ratio. Illud enim præcipue in cauſa fuiſſe dictum eſt, cur hæc materies jucunda habeatur, quod ſubtili animorum motu inde facto, multa intus repoſita ſenſim eliciantur, quæ dulcedinem adhuc ſuam et quaſi priſtinum ſaporem ſervent. Quicquid enim pueris nobis avide haurire contigerit, id vel adulta ætate recenſere animo et quaſi ruminari juvat.

Atqui ut miſſa jam faciam miracula ipſa, et fabulæ quæ narratur elegantiam aut ſuavitatem, multum etiam ex *vetuſtate* ipſa efficitur, quod in ſubſidium artis, ſive in laudem potius, tranſit. Neque in dubium venire poteſt, quin ita nati ſimus, ut mens ad vetera ac præterita ſi minus deſiderio capta ſe recipiat, at quaſi ad regionem aliquam clamore, et curis vacuam, ubi errare pro arbitrio poſſit, et a vitæ communis ſordibus ſeſe aliquando tædio confecta vindicet. Quippe illud non unius ævi aut gentis eſſe ſatis conſtat, ſed ad univerſum hominum genus pertinere, ut vetera recentibus præſtantiora judicent. Hinc commenta illa de aureo mundi ſeculo, et de genere vitæ antiquo, quæ cum bonis abundaret magis, tum ſcelere ac laboribus careret.

> Non alios prima creſcentis origine mundi
> Illuxiſſe dies, aliumve habuiſſe tenorem
> Crediderim: ver illud erat, ver magnus agebat
> Orbis, et hybernis parcebant flatibus Euri.
>
> *Georg.* ii. 336.

Quæ quidem res adeo multorum laudes jam ſuſtinuit, ut pene obrui iis et exſtingui videatur; neque eam ad poeticos uſus, niſi obiter dictam et breviſſime, jam ſanus quis unquam ſcriptor adhibebit.

Attamen vitæ ac morum imaginem, ſeculis aliquot hac noſtra antiquiorem, quis non ſtudio quaſi captus proſequitur? et ſi quas anteactæ ætatis reliquias retinere poſſit, non ſervet ultro et in deliciis habeat? Feliciora utique ſemper avet mens quam quæ nuda rerum fert veritas: et quoniam de præteritis quod libet ferme jam licet fingere, facile hæc disjecta quamvis membra in juſtam corporis magnitudinem, phantaſia magis quam ratione duce, expleri patimur. Hinc ſo-

lenne illud de priſca hominum fide ac virtute: hinc illi, quos prædicare ſolent poetæ,

Magnanimi heroes nati melioribus annis.

Permultum utique juvat, ſicut antehac ſæpe eſt monitum, a præſentibus ad remotiora mentem ablegare, ſive ea ſint tempore ſeu loco longius ſejuncta. Neque id leve omnino aut puerile eſt habendum, cum a brutis animantibus præcipue hæc nos vis ſeparet, qua, præterita æque ac futura complexi, vitæ ideo ſpatia videmur ampliora inire, et mortalium rerum quaſi 'terminos propagare.' Namque ut taceam nunc quicquid ingenioſi aut male feriati de his rebus effutire ſolent homines, fieri certe non potuit, quin longa ſeculorum ſerie evenerint plurima, et dictu et conceptu digniora, quam quanta brevis unius ævi curſus in ſe contineat.

Quare, ad priſtinos annales ſi quis animo revertatur, ævi quodammodo melioris commercio videtur frui, et res egregias jamjam perituras et interitu et oblivione vindicare. 'Equidem Curiam noſtram,' inquit Piſo ille Ciceronianus, '(Hoſtiliam dico, non 'hanc novam, quæ mihi minor eſſe videtur poſtea- 'quam eſt major) ſolebam intuens, Scipionem, Ca- 'tonem, Lælium, noſtrum vero in primis avum co- 'gitare.' *Fin.* v. 1. Scio hæc eo pertinere, ut quæ ſit vis admonitionis in locis potiſſimum monſtrent. Noſtram tamen ad rem non mediocriter ſimul faciunt, cum ex his conſtet, Piſonem, quoties in curia verſaretur, non modo ad antiquitatis *memoriam* trahi, verum et cogitatione ipſa magnopere eum moveri ac *delectari* ſolitum. Quod vero ubique Ciceroniani præ ſe ferunt libri, id porro, elegantiſſimo auctore Plinio uſus, omnino a natura nobis inſitum affirmare

auſim. In epiſtola enim ad Apollinarem ſuum, ubi villæ amœnitatem prope Apenninum montem poſitæ diſertiſſime explicuit, etiam ſenectutis juxta habitantium mentionem facit, ut quæ ſibi voluptatem adferat non vulgarem. Quin ipſum de hac re, nitide ut ſemper loquentem, audiamus. ‘ Æſtatis mira cle‘ mentia. Semper aër ſpiritu aliquo movetur, fre‘ quentius tamen auras quam ventos habet. Hinc ‘ ſenes multi : videas avos proavoſque jam juvenum. ‘ *Audias fabulas veteres, ſermoneſque majorum : cum‘ que veneris illo, putes alio te ſeculo natum.*’ *Ep.* v. 6.

Hoc igitur inſtrumento imprimis ſe ornare poetam juvabit, ut quoties fabulæ ratio ita ferat, vetuſtatis ſpeciem juſtis adumbrare poſſit lineamentis : mores nempe et ſtudia, atque omnem iſtius vitæ conſuetudinem accurate deſcribere addiſcat : paupertatem denique ipſam, horridulam licet, ne pudeat proferre. Quam dulcia nimirum ſunt illa Tibulli, quæ ad humilem paterni laris fortunam reſpiciunt !

Sed patrii ſervate Lares ; aluiſtis et iidem,
Curſarem veſtros cum tener ante pedes.
Neu pudeat priſco vos eſſe e ſtipite factos ;
Sic veteris ſedes incoluiſtis avi.
Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde Deus.
El. i. 10, 15.

Deinde ſimplicis ſubito vitæ amore captus, in vota ſe effundit a reliquo poematis colore nequaquam aliena.

Quam potius laudandus hic eſt, quem prole parata
Occupat in parvâ pigra ſenecta caſa !

Ipſe ſuas ſectatur oves, at filius agnos;
Et calidam ſeſſo comparat uxor aquam.
Sic ego ſim, liceatque caput candeſcere canis,
Temporis et priſci facta referre ſenem. *Ibid.* 39.

Tanta vero eſt hujuſce argumenti vis, ut ruſticarum rerum laudes non exiguam gratiæ partem inde traxiſſe putem, quod, eas dum legimus, antiquitatis formam videmur ſimul intueri, et vitæ genus multis abhinc ſeculis uſitatum. Sic in pulcherrimi carminis initio non ineptam hinc ſumpſit materiam Horatius: cujus agricola,

Ut priſca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet ſuis. *Epod.* 2.

Neque aliter Virgilius; qui felicem agricolæ fortunam copioſo carmine proſecutus, eodem ferme rem claudit, quo exorſus eſt alter.

Hanc olim veteres vitam coluere Sabini,
Hanc Remus et frater: ſic fortis Etruria crevit;
Scilicet et rerum facta eſt pulcherrima Roma.
Georg. ii. 532.

Solito quidem more hic mox ad Deorum fabulas divertitur; quæ tamen omnia eodem ſpectant; nempe ut ruris laudes una cum veteris ævi contemplatione conjunctas perſequamur.

Ante etiam ſceptrum Dictæi regis, et ante
Impia quam cæſis gens eſt epulata juvencis,
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.
Necdum etiam audierant inflari claſſica, necdum
Impoſitos duris crepitare incudibus enſes.

Verum ut ex agris tandem ad urbem progrediamur, eadem hic quoque eſt laus antiquitatis. Magnifica ſane eſt in Æneide urbis Latinæ et regiæ domus deſcriptio:

Tectum auguſtum, ingens, centum ſublime columnis:

at quod vulgus ſcriptorum mero luxu et ſuperbia efficiendum putant, quam pulchre idem expedit Virgilius, propoſitis regum ſimulacris, quæ priſcam gentis hiſtoriam animo obverſari faciant!

Quinetiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua e cedro, Italuſque, paterque Sabinus
Vitiſator, curvam ſervans ſub imagine falcem;
Saturnuſque ſenex, Janique bifrontis imago,
Veſtibulo adſtabant: aliique ab origine reges,
Martia qui ob patriam pugnando vulnera paſſi.

Æn. vii. 177.

Præclarius adhuc appellarem ejuſdem rei exemplum, modo Æneæ cum Evandro colloquium adducere fas eſſet integrum: quo nihil unquam ſcriptum puto, quod antiquis rerum coloribus plus gratiæ deberet ac venuſtatis. Novit profecto acerrimi vir ingenii, ſi unquam alias antiquitati haberetur honos, Romanis certe, tunc temporis divitiis et luxu diffluentibus, priſtinam ſuæ urbis ſortem narratu jucundam fore; quæ, quo magis a recenti conſuetudine abhorreret, hoc eſſet ad excitandas phantaſiæ vires aptior. Unde profecto fieri exiſtimo, tam ſtudioſe eum in hiſce referendis exſpatiari, et ſimplicem antiquitus vivendi normam, tanquam rem ingenio ſuo et cura omnino dignam, diſerte expoſuiſſe: quum Homerus contra, licet mores iſtius ævi ad unguem exprimat, nuſquam tamen hoc artificio ad captandos lectores uti videatur. Suam nimirum non præteritam ætatem pingit: aut ſi quando ad vetuſtiora reſpiciat, fabuloſam magis ſequi quam ſobriam ſolet hiſtoriam.

Sunt tamen in utroque ejus poemate quæ vetuſtatis

vim, ſine fabularum ope, declarant optime : quale eſt illud de Sceptri traditione ; præ cæteris autem egregia ſemper habui, quæ Neſtoris in Pylo regiam deſcribunt, et lapideas ante fores ſellas, ubi mos erat principes viros primo mane ſeſſum ire, atque otioſe inter ſe colloqui.

Ἦμος δ' ἠριγένεια φάνη ῥοδοδάκτυλος Ἠώς,
Ὦρνυτ' ἄρ' ἐξ εὐνῆφι Γερήνιος ἱππότα Νέστωρ·
Ἐκ δ' ἐλθὼν, κατ' ἄρ' ἕζετ' ἐπὶ ξεστοῖσι λίθοισιν,
Οἵ οἱ ἔσαν προπάροιθε θυράων ὑψηλάων,
Λευκοὶ, ἀποστίλβοντες ἀλείφατος· ΟΙΣ ΕΠΙ ΜΕΝ ΠΡΙΝ
ΝΗΛΕΥΣ ΊΖΕΣΚΕΝ, θεόφιν μήστωρ ἀτάλαντος·
Ἀλλ' ὁ μὲν ἤδη κηρὶ δαμεὶς ἀϊδόσδε βεβήκει.
Νέστωρ αὖ τότ' ἔφιζε Γερήνιος, ἥρος Ἀχαιῶν,
Σκῆπτρον ἔχων· *Od.* Γ. 405.

Similia ferme ſunt Evandri, quibus Æneam tecto ſubeuntem affatur :

Hæc, inquit, limina victor
Alcides ſubiit, hæc illum regia cepit.

At locorum ubi monſtrat ſitum jam palatiis exſtructum, collem nempe Aventinum, et Capitolium ipſum dumis horridum, nihil profecto aliud agit poeta, niſi ut per longinquos tractus temporis et loca amœniora, utpote minus uſu cognita, nos errare animis et pervagari faciat. Neque enim ad rudem *Romæ* modo aſcendit originem, verum etiam veſtigia urbium antiquiorum, Evandri ævo ruinis jacentium, quaſi alterius mundi confinia, oculis luſtranda aperit.

Hæc duo præterea disjectis oppida muris,
Relliquias veterumque vides monimenta virorum.
Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit urbem :
Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.
Talibus inter ſe dictis ad tecta ſubibant

Pauperis Evandri : paſſimque armenta videbant
Romanoque foro, et lautis mugire Carinis.
Æn. viii. 355.

Sed de his quæ ad anteactum temporis curſum ſpectant, jam ſatis fortaſſe ſuperque eſt dictum. Reſtat ergo, ut rem nomine diverſam atque omnino contrariam, natura vero et vi poetica non diſſimilem, paucis jam aggrediar.

Nam ſicut ad *antiqua* advolare amat mens, ut a præſentis horæ anguſtiis pauliſper ſe liberet, tentetque ſpatia quædam ulteriora, ita et proſpicere *futura* ſolet, et quid venientis ævi fortuna ferat cæca quamvis conjectura attingere. Quamobrem vaticiniis et clam et aperte uti poetis ſemper licuit ; ſive ut paullatim rei exitus ſignificari poſſit, ſive quod res nobis jampridem notas et ſcriptis traditas, ex ore alicujus, tanquam multo ante quam actæ fuerint cogitatas et divinitus patefactas, proferri velint.

Priore in genere ſunt chorici aliquot Tragœdorum cantus, qui ſigna nonnunquam ſubobſcura edunt facinoris jamjam eventuri. Qualia in Æſchyli Agamemnone pulcherrima quædam adhibentur, et affectus eadem pleniſſima. Neque his interdum artibus non utitur Epopœia ; quemadmodum in medio certamine filum ſubito abrumpit Virgilius :

Turno tempus erit, magno cum optaverit emptum
Intactum Pallanta, et cum ſpolia iſta diemque
Oderit. *Æn.* x. 503.

Ejuſmodi quoque ſunt graviſſima illa de pugnis ad Philippos et Pharſalum commiſſis, quæ memorabili clauduntur dicto ;

Scilicet et tempus veniet, cum finibus illis
Agricola, incurvo terram molitus aratro,
Exeſa inveniet ſcabra rubigine pila,
Et gravibus raſtris galeas pulſabit inanes,
Grandiaque effoſſis mirabitur oſſa ſepulcris. *G.* i. 493.

Iſta nimirum de venturis ſpondet ſeculis, quæ in re ſimili ſua vidiſſent tempora. Longo autem ſpatio tanquam nubecula interjecto, res, ut fit, videntur grandiores; unde eas, non niſi ſtupore aliquo et inſolito ſenſu correpti, quantumvis conſuetas, intuemur.

Quinetiam illud de toto genere animadverti licet, effectu ea prorſus carere, niſi cum veritate quodammodo fuerint conjuncta. Parum utique refert vaticinii formulam edere, niſi ad ſolennia verba vatis quoque accedat auctoritas. Quare ex hiſtoriæ luce ſumat oportet ſcriptor, quicquid divinitus monſtratum velit; neque niſi rebus jam uſu exploratis interpretari audeat futura. Permultum enim intereſt, utrum rem ita fore dixeris tantum, an et *vere* dixeris: neque id unquam ex arcanis fati ductum videbitur, quod poſteris non probaverit hiſtoria.

Hoc autem ita ſe habere vix dubitabit aliquis, perlectis modo Didonis morituræ precibus; quarum aliæ aut nulla prorſus aut obſcura nituntur fide, de aliis quem habuerint exitum omnino conſtat.

Accipite hæc, meritumque malis advertite numen,
Et noſtras audite preces. Si tangere portus
Infandum caput, ac terris adnare neceſſe eſt;
Et ſic fata Jovis poſcunt, hic terminus hæret;
At bello audacis populi vexatus et armis,
Finibus extorris, complexu avulſus Iüli,
Auxilium imploret, videatque indigna ſuorum

Funera: nec, cum ſe ſub leges pacis iniquæ
Tradiderit, regno aut optata luce fruatur;
Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arena,
Hæc precor; hanc vocem extremam cum ſanguine fundo. *Æn.* iv. 611.

Hactenus animum optime depingi furore et vindicta æſtuantem vix negaveris: utrum vero aliter ceciderit quam preces ferant, cum ſit incertum, debilior idcirco tota res eſt et ictu carens. At quæ proxime ſequuntur, utpote fama rerum ſtabilita, ecquis non vehementer commotus legit?

Tum vos, O Tyrii, ſtirpem et genus omne futurum
Exercete odiis; cinerique hæc mittite noſtro
Munera: nullus amor populis, nec fœdera ſunto.
Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor,
Qui face Dardanios ferroque ſequare colonos,
Nunc, olim, quocunque dabunt ſe tempore vires.
Litora litoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis: pugnent ipſique nepotes.
Æn. iv. 622.

Sed ne quis hujus loci vim magis ad affectuum partes referendam judicet, alterum illum adeamus, ubi ſeras Romæ fortunas ſevero ac gravi ſermone evolvit Jupiter, ut Venerem curis vexatam permulceat, et conceptæ timori medeatur.

Inde lupæ fulvo nutricis tegmine lætus
Romulus excipiet gentem, et Mavortia condet
Mœnia, Romanoſque ſuo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium ſine fine dedi. Quin aſpera Juno,
Quæ mare nunc terraſque metu cœlumque fatigat,
Conſilia in melius referet; mecumque fovebit
Romanos rerum dominos, gentemque togatam.
Æn. i. 279.

Poſſem hic egregios ex eodem poemate locos adferre, primum ubi Romæ fata ac fortunas Anchiſes aperit, tum quæ a Vulcano impreſſa clypeo traduntur, quos tamen prudens prætereo, ne forte moleſtior ſim dum hæc nimis nota recitem, et quæ porro diſciplinæ noſtræ parem modo cum ſuperioribus fidem faciunt. De utriſque autem (quoniam Homerum auctorem ſequi vulgo dicitur) illud ſaltem profiteri liceat, inventoris laudem Virgilio debitam ex hoc fonte unice provenire, quod is primus mentes hominum ad ventura convertere ſit auſus, tanquam ad *ſpectaculum* divino munere expoſitum: unde hiſtoriam ita poeſi inſervire fecit, ut quæ narrata reſpuerent prorſus aut languidius acciperent, eadem prædicta avidi animiſque arrectis hauriant. Hoc autem artificio complures poſtea ad rem ſuam feliciter uſos fuiſſe ſcriptores conſtat; ex quibus ſat erit Miltonum nominaſſe: neque ullo ſane phantaſmatum genere magis commoveri poſſe animum crediderim, quam quæ adventantia hominum fata videntur præmonere, et nondum acta quaſi jam in conſpectu agerentur ſublato velut aulæo monſtrare.

PRÆLECTIO TRICESIMA QUARTA.

In Phantaſiæ naturam accuratius inquiritur. Pro diverſis hominum ſtudiis ac moribus, pro cœli, et regionis varietate, alia plane res videri poſſit. At facultatis *eadem ferme eſt ratio, licet* objecta *ejus ſint aliis alia. Rerum* facie *ac* colore *ducitur magis quam vera earum natura. Hinc cogitationum* ordo *laxior, quippe qui* accidentibus *magis nectit res quam* eſſentiis. *Errant tamen qui nullis eam coerceri legibus volunt—præſertim Aſiatici. Horum duplex eſt error.* 1°. *Quod Phantaſiæ plus æquo conſulunt.* 2°. *Quod imagines jucundas nullo nexu ad libitum contrahunt. Culpa hac non omnino vacat Pindarus. Virgilii maxima in his cernitur et vis et prudentia.*

MONSTRATIS jam ante locis qui ad Phantaſiæ partes præſertim pertinent, aliquid ſtatuendum duxi de facultate ipſa, quæ natura quadam ſua frui videtur, ſuis legibus unice gaudere. Nam licet copia rerum quis abunde polleat, temere autem iiſdem inepteque utatur, perinde eſt ac ſi penitus deeſſet inſtrumentum: niſi id forſan vel turpius habendum ſit, abuti divitiis, aut iis recte uti neſcire, quam omnino carere. Quo quidem in argumento ſæpius jam verſati fuimus; quoties ſcilicet monendum erat, ne rem ſponte egregiam ad faſtidium uſque ſcriptor urgeat. Jam vero accuratius aliquid promendum putavi, quod non niſi

interiore hujuſce facultatis ratione pauliſper explorata commode facturus videor.

Eſt igitur, ſicut antehac dictum fuit, Phantaſiæ imprimis proprium, ut levi ſignificatione facta intus fervere incipiat, et materiem olim repoſtam miris modis ad arbitrium ſuum fingere. Quod quidem pleriſque nulla certa ratione factum videtur. Vaga nimirum rerum ſimulacra quantumvis diſſita, velut in ſomnis, naſci adeo atque interire aiunt—nunc perpetuo curſu ſe invicem ſequi—nunc verſo ordine confundi, et quaſi nubibus obductis obſcura fieri. Laxas utique habenas mentem tunc temporis effundere, neque cogitationum ſeriem ullo imperio coërcere—ſe rebus non ſibi res ſubmittere—et reſolutis prorſus viribus incredibilem ex hoc otio ludoque voluptatem capere.

Hinc præceptis locum eſſe negant nonnulli, iſta ſcilicet in re quæ tantopere ex cujuſque animi natura pendeat. Neque ſane dubitandum videtur, quin res magis incerta ſit, magiſque in auditorum ingenio poſita, quam ſunt reliquæ poeſeos partes quæ affectibus movendis et imitatione conſtant. Quippe apud diverſiſſimas nationes eadem ferme ubique eſt affectuum, eadem imitationis norma: at Phantaſiæ adeo varia eſt ac multiplex natura, ut aliis alia prorſus res videatur, prout homines gente, cœlo, fortuna, religione, ſtudiis denique aut vitæ colore inter ſe diſcrepent. Quicquid enim aut ſenſibus gratum ultro aut uſu jucundum fuerit, idem et cogitatu dulce eſſe (vacuo præſertim et feriato animo) fatentur omnes: ad quod igitur mens curis negotiiſque libera, tanquam ad hortorum delicias, ſolet confugere, ut præteritæ quaſi voluptatis umbra ſe reficere poſſit.

Quare in diverſas tunc partes diverſorum hominum ingenia diſtrahantur neceſſe eſt. Fontes et nemora et leniter ſpirantes Zephyros avent plerumque, qui regiones colunt ſoli propinquiores. Contra hyperboreos æſtivum calorem aut foci brumalis gaudia contemplari juvat. Tum pro vitæ ac ſtudiorum ratione, quam prope in contrarias res fert homines ſua quemque conſuetudo! Nempe aliis cordi eſt vaſtos ſaltus et rupium ferme inacceſſa venatu tranſire, aliis culta rura et quieta iſtius vitæ munera intueri: hos delectat oceanus fluctibus tumens, illos communita caſtella et aſpera belli facies: quarum ideo rerum imagines ultro a negotiis in ſecreta otia et ſolitudinem ſecum animis trahunt.

Quæ gratia currûm
Armorumque fuit vivis, quæ cura nitentes
Paſcere equos, eadem ſequitur tellure repoſtos.

Tum pro cœli temperie, aut privata indole, ac morum habitu, alii aliis potentiores ſolent eſſe affectus. Hos nimirum amor, illos militaris gloriæ cupido, aut ſuperſtitioſi metus adeo devinctos tenent, ut præ deliciis cuique ſuis ſordeant ferme omnia, et minoris æſtimentur. Quæ vero argumenta tanquam lyræ aptiſſima Horatius ponit, noſtris auribus vix eſſent ferenda—*Et pugilem victorem et equum certamine primum*— Adeo et mutantur tempora et nos ipſi mutamur!

Hinc autem fit ut, licet una quædam ſit ac ſimplex hominum natura, totidem fere poëſeos ſint genera, quot gentes ingenio ac moribus diverſæ. Neque id ſane poetæ eſt vitio vertendum, quod ad communem ætatis ſuæ aut populi ſenſum ſcripta accommodari velit: quin noſtrum ſit potius videre,

an excuſſa facultatis hujuſce natura, aliquid ex varietate illa ita in noſtros uſus transferri poſſit, ut Poeticæ artis vim augeat, morum interea qui ſingularum gentium ſint proprii ratione ſimul habita.

Fuit igitur jam olim a nobis cautum, ne rerum deſcriptiones quis diligenti nimis manu perficiat; qua quidem in parte ſi peccatum ſit, ceſſat omnino phantaſiæ voluptas illa, quæ ex complendo opere ad arbitrium et opinionem noſtram plerumque capitur. Jam vero ulterius paullo progrediendum erit. Namque ut nimius in *ſingulis rebus* labor ac fides vim poeticam minuere ſolet, ita in *rerum ordine ſervando* minime id poetæ convenit, quod veritati et rectæ rationi eſt maxime conſentaneum. Immo vix dubium habeo, quin phantaſiæ interſit magis, *quali ordine* quam *quid* cogitemus; cum a ratione longius eam hac ex parte diſtare conſtet, quam in prodigioſis rerum formis comminiſcendis.

Poetæ ergo imprimis curæ ſit, ne ita inter ſe res hærere faciat, ut philoſophiæ vult norma—ne ſervata rationis lege quid prius ſit, quod poſterius ſtatuat—neve ei obſequatur diſciplinæ, quam in omni gravioris exempli opere mens ipſa poſtulat. Fugit profecto phantaſia hanc conſilii et artis ſocietatem, tanquam ignobilem ſervitutis ſpeciem: et ſi manum admoveas, aut recalcitrat ſtatim, aut accepto jugo ſilveſtrem illico deponit animum, et in alienam naturam abit. Suum quippe eſt, non occulta rerum principia ſed ſummam faciem et colorem ſequi—quicquid oculis obverſetur cute tenus inſpicere—et res rebus conjungere nullo proprietatis jure ductam, ſed prout tempore aut loco aut leviſſima ſimilitudinis nota propinquæ videantur. Hinc mille et jungendi et ſe-

parandi viæ: adeo enim tenui hæc ſimulacra rerum coercentur vinculo, tam cito pereunt modo nata et perpetuas vices obeunt, ut nullo ſeligendi labore diſtricta, mens qua velit per infinitam multitudinem vagetur,

Par levibus ventis volucrique ſimillima ſomno.

In hoc igitur vitium incidere videntur qui Allegoricum ſcribendi genus colunt; qua in re improbanda tam multi olim fuimus, ut ſatis jam ſit aliam quoque cauſam breviter monſtraſſe, cur a vera poeſeos natura abeſſe judicetur. Suo enim cujuſque lectoris arbitrio, quoad poteſt, permitti oportebit non modo imagines fingendi facultatem, ſed qualem porro imaginum *ſeriem* tacite ſecum percurrat, et quas potiſſimum, ex turba mobili ac confuſa rerum, ipſe oculis ſequi velit.

Quid ergo? objiciet fortaſſe aliquis, num effrænem omnino phantaſiæ curſum eſſe velis? num temere eam in omnem licentiam ſe effundere, nullis coactam legibus, nullo cogitationum ordine ſervato? Quod ſi fiet, præter meras puerorum ineptias aut ægroti ſomnia nihil plane conſequêris. Deinde ad Perſarum aliquos aut Arabum poetas provocatum forſan erit, quorum ex ſcriptis vix aliquid cultiore ingenio dignum proferas.

His ne obnoxiam criminibus diſciplinam eſſe noſtram quis putet, pauca modo de Aſiatico illo ſcriptorum genere dicenda judicavi, quos acerbe nimis a Scaligero accepimus *Aurium carnifices* appellari ſolitos. Horum autem vitium duplici ex fonte deductum puto: quorum in utrumque ſi recte inquiratur,

facile, ut ſpero, intelliget aliquis nequaquam iſta de Phantaſia modo dicta cum univerſæ artis legibus pugnare.

Primum igitur ab Aſiaticis in eo erratum eſſe arbitror, quod nimium huic facultati tribuant, ne dicam totam Poeticæ vim ibi poſitam velint. Namque, ut ab exemplis argumentum ducam a Joneſio noſtro inter pulcherrima eorum ſcripta habitis, id unice egiſſe videtur ſcriptor, ut quicquid ſibi maxime in deliciis fuerit, nulla loci aut temporis opportunitate ductus, ſine more effundat. Hinc illæ decies repetitæ de amoribus cantilenæ: hinc roſas, hyacinthos, luſcinias, hinnulos continuo crepant: hinc fontes et pomaria et hortorum amœnitates cantando diem conterunt. ‘Mos nempe erat perpetuus’ (ut Joneſii ipſius verbis utar) ‘antiquis Arabum poetis, ‘aut ab amoribus poema ordiri, aut amorum de‘ſcriptionem medio poemati apte intexere; deinde ‘equum aut camelum deſcribere, quo vecti ad ami‘carum tentoria accederent; et poſtea ad argumen‘tum præcipuum uberius tractandum properare, do‘nec per ſuavem rerum varietatem carmen dedu‘centes, lapſu quodam molli et æquabili, in clau‘ſulam quaſi ſubito caderent.’ *Poeſ. Aſiat. Comm.* cap. 3.

Hoc autem molle et delicatum genus qui unice colunt, quis non videt eos ampliſſima Poeticæ artis ſpatia plane neſcire, et uberrimos illos voluptatis fontes, qui ex Imitatione et Affectibus ortum habent? Tum ne ipſi quidem Phantaſiæ ſuæ ſic optime conſultum dixerim, quæ non tam placet ſolitaria, quam cæterarum in poemate virtutum comitatu

cincta. Quamobrem hoc primo cavendum affirmare haud dubito, ne plus æquo in hac parte luxuriare amet poeta, aut quicquid veritati ac rationi detractum fuerit, id ſtatim exiſtimet in Poeticam voluptatem abire.

Alterum vero eſt in eadem re, et quidem graviſſimum, ne quicquid nobis otioſe meditantibus in deliciis fuerit, id pariter credamus omnes delectare poſſe. Immo hac præſertim ex cauſa quæſtionem ortam eſſe exiſtimo, in qua jam verſamur. Neque enim in dubio eſt habendum, quin ſuas cuique cogitationes ſequi, prout eas in animo ſponte naſci contigerit, ſit gratiſſimum; ordinem vero illum qui ſingulis arrideat, magis ex propria cujuſque vita ac conſuetudine, quam ab ullis naturæ legibus pendere quæ ad univerſum genus pertinent. Quodcunque enim mihi olim commotum audiviſſe, aut cogitaſſe, aut caſu aliquo vidiſſe contigerit, acrius me id certe movebit, et magis in conceptuum turbam ſe inſinuare poterit, modo cogitandi occaſionem edas, quam quod omnibus ſit commune. Neque eſſe aliquem crediderim, cui non plurima ſint ipſi quidem cogitatu dulciſſima, quæ aliorum animos minime tenerent: tum cui non ſecreti quidam ſint loci, et quaſi cogitationum calles, cæteris mortalibus ferme ignoti, quos tacite ſecum peragrare conſueverit.

Quapropter graviſſime ab iis peccatum duco, qui ex ſua qualicunque conſuetudine cæteros omnes metiri ſolent, et phantaſiam permulcendi eam uſque inſtituunt viam, quæ ſibi maxime in promptu ſit, et nullo conatu egeat. Nam ſit licet omni lege expers phantaſia, et recte in tali re, modo *ſuæ* voluptati conſultum velit, ‘ ſua cuique Deus ſit dira cupido,’

ſpectanda tamen eſt univerſa humanæ mentis ratio, quoties *aliorum* ſenſus hiſce illecebris irretiri volumus. Neque enim (ut concedamus *accidentia* magis poetæ obſervanda quam *eſſentias*, et prout in his fuerint ſibi res invicem ſimiles, *genera*, ut dialectice loquar, formanda,) diſſolutam idcirco prorſus ſeriem, nullo ſocietatis fœdere conjunctam, proponere decebit.

Exemplis nimirum vix indigebit quiſquis in Aſiaticorum poemata oculos unquam conjecerit: qui ſane non modo in phantaſia delinienda totam impendere ſolent operam, ſed imagines quoque in omni argumento ferme eaſdem congerere; ut priuſquam librum aperias, plus dimidia ejus parte ipſe animo præcipere poſſis. Has vero, ut propoſito conducant parum ſoliciti, ne inter ſe quidem arcta neceſſitudine teneri volunt, aut inſigni aliqua proprietate affines eſſe; ſed ſi modo vinculo quodam laxiore, et *generali* admodum capite contineantur, ſatis habent. Quid enim a vera ſimilitudine alienum magis, quam hæc principis cujuſdam Aſiatici cum *fluvio* primum, deinde *aura*, mox cum *artificis manu* comparatio?

Vides ut agros dulce gemmatos lavet
  Argenteus rivi latex;
Virides ut aura ſtridulo modulamine
  Arundines interſtrepat!
Sic, ſic amœno cincte virtutum choro,
  Princeps, amabiliter nites.
Ut maximo labore, et arte maxima
  Effingit artifex ebur,
Sic ad benignitatem amica civium
  Blande figuras pectora.
Ut delicata gemmulam expolit manus
  Fulgore lucentem aureo,

Sic civitatem mitium gaudes tuam
Ornare morum lumine. *Jones.* cap. 1.

Princeps nimirum aquæ et auræ eſt ſimilis, quia ſicut harum altera *inter* agros, altera *inter* arundines moveatur, ſic ille *inter* virtutes ſuas niteat. Pariter in his quæ ſequuntur ad nihil fere redit ſimilitudo:

In hortulo, qui ad nos affert
Odorem vini aqua gelida temperati,
In unoquoque narciſſo, qui in eo eſt,
Sol effulget luna circumdatus. *Ibid.* cap. 7.

Lunam nempe appellat extremam floſculi oram propter album in ea parte colorem. Uſque adeo in has imagines, ſolem videlicet, aut lunam, aut margaritas, quamlibet rem intorquet ſcriptor, arrepta vix aliqua ſimilitudinis umbra.

Habemus narciſſum ſplendidum,
Qui recreat odore ſuo animas,
Velut ſi cilia ejus eſſent lunæ,
Velut ſi oculi ejus eſſent ſoles. *Ibid.*

Sol et luna ſunt vinum et cyathus,
In media luna ſolem affer. *Ibid.* cap. 9.

Pluribus in hoc genere vix opus eſt exemplis, quæ in Aſiaticis fere omnibus ad faſtidium abundant. At quam penitus in hac re ſint rudes atque ignari, mille exemplis melius docet Perſarum illa vox, qua verſus faciendi artem exprimunt, 'Margaritas nectere.' Nihil ergo refert, ut mens compoſito rerum ordine mulceatur, ut pro re nata conceptus oriantur, et tenorem quendam ſervent: ſatis id Perſarum ingenio erit, ſi uſquequaque cumulentur imagines, gratia ac venuſtate ſpectabiles.

Quod ſi ad Muſas Græciæ ſeveriores illas nos conferamus, erit profecto interdum quod eodem nomine

improbari debeat. Cui enim non Pindari errabunda veſtigia, et curſus longas per ambages peractus, non aliquando bilem movent? Quin diſſoluta illa rerum ex longinquo quæſitarum mentio adeo non facilitatis ſpeciem induit, ut ſæpe dura potius et coacta merito habeatur. Sumatur modo, exempli cauſa, carminis illius Pythii in Hieronis laudes conficti argumentum, quale ab erudito homine[a] concinnatum habemus.

'Laudes carminis ita adornat, ut *lyræ* potentem 'vim et efficaciam in ipſo Olympo declaret; nec re- 'fugere ejus dulcedinem niſi *impios—in quibus* Ty- 'phœus—*cui* Ætna impoſita eſt—ad *cujus* montis 'radices nova urbs Ætna condita erat—*cujus* civem 'ſe per præconem pronuntiari juſſerat Hiero.'

Hunc procul dubio ad morem mille animo ſubeunt conceptus: neque ſi tacite meditandi ſpecimen edere quis vellet, diſertius quidquam aut naturæ propius efferri poſſe dixerim. At mentem alterius ſi vellem eodem ſe motu delectare quo ipſe fruor, alia plane inſtituenda eſt via. Neque enim quod fortuna *mihi* obtulerit, id alii tanquam exemplum ſibi dari facile patientur, ad quod intuentes iter ſuum regere ac moderari poſſint: quin *cæteris* durior fortaſſe videbitur hic quamvis nativus ordo, quam qui certa procedat lege, et rem docte magis artificioſeque aperiat. Nam credi vix poteſt, cum infinitæ ſint cogitandi viæ, ut, quam viam unus aliquis temere et cæco impetu inierit ſcriptor, eadem aliis quoque caſu quodam ſit gratiſſima: quod ni ita fiet, magis ea certe lectoribus cordi erit, quam ratio et diſciplina monſtraverint.

[a] Chr. Gottl. Heyne.

Minime ergo poemata illa ad ſummam artis accedere judicemus, quæ illuſtrium modo phantaſmatum copiam præ ſe ferunt, niſi et acri judicio informentur, et juſto diſponantur ordine. Fractum vero illud et putidum ſcribendi genus, quod phantaſiæ prætendere nomen ſolet, ut laborem omnem fugiat, ad molles Aſiaticorum greges ablegatum eat: nos autem, non ſparſis coloribus puerorum ritu capti, ſolidos potius et viriles ingenii fructus expetamus: ſummi quidem illius critici uſque memores, qui in his, ſicut in cæteris ferme omnibus, optimum ſe naturæ interpretem præbuit. Εἰ γάρ τις ἐναλείψειε τοῖς καλλίστοις φαρμάκοις χύδην, ἐκ ἂν ὁμοίως εὐφράνειεν, καὶ λευκογραφήσας εἰκόνα. *Ariſtot. Poet.* c. 15. *Ed. Tyrwh.*

Ne vero hæc, quæ in præceptis plus ſolito verſata eſt prælectio, ſubſidiis prorſus careat ex optimo poeta deductis, videamus illa in tertio Georgicorum, ad Phantaſiæ partes unice ſpectantia, quantopere cum iis conveniant, quæ de conceptuum ordine modo ſunt dicta, neque laxo nimis, neque ad rationis normam adſtricto. Phantaſmatum quidem ipſorum et pulchritudinem et majeſtatem, neminem puto non ardore quodam correptum mirari; eo autem effunduntur ordine, ut generoſum plane ac virile ingenium ſignificent, magna rerum copia inſtructum, fidens opibus, et ad hanc voluptatem perfruendam remiſſis pauliſper viribus inclinatum.

Primus ego in patriam mecum, modo vita ſuperſit,
Aonio rediens deducam vertice Muſas:
Primus Idumæas referam tibi, Mantua, palmas:
Et viridi in campo templum de marmore ponam
Propter aquam, tardis ingens ubi flexibus errat
Mincius, et tenera prætexit arundine ripas.

In medio mihi Cæſar erit, templumque tenebit.
Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.
Cuncta mihi, Alpheum linquens lucoſque Molorchi,
Curſibus et crudo decernet Græcia ceſtu.
Ipſe caput tonſæ foliis ornatus olivæ
Dona feram. Jam nunc ſolennes ducere pompas
Ad delubra juvat, cæſoſque videre juvencos;
Vel ſcena ut verſis diſcedat frontibus, utque
Purpurea intexti tollant aulæa Britanni.
In foribus pugnam ex auro ſolidoque elephanto
Gangaridum faciam, victoriſque arma Quirini:
Atque hic undantem bello, magnumque fluentem
Nilum, ac navali ſurgentes ære columnas.
Addam urbes Aſiæ domitas, pulſumque Niphaten,
Fidentemque fuga Parthum verſiſque ſagittis:
Et duo rapta manu diverſo ex hoſte tropæa,
Biſque triumphatas utroque ab litore gentes.
Stabunt et Parii lapides, ſpirantia ſigna,
Aſſaraci proles, demiſſæque ab Jove gentis
Nomina, Troſque parens, et Trojæ Cynthius auctor.
Invidia infelix furias amnemque ſeverum
Cocyti metuet, tortoſque Ixionis angues,
Immanemque rotam, et non exſuperabile ſaxum.

Georg. iii. 10.

PRÆLECTIO TRICESIMA QUINTA.

Paucis de cogitationum ordine *præmiſſis, deinde de* Styli *ornamentis agitur ad Phantaſiam excitandam idoneis. Ex quibus præ cæteris ſumuntur quatuor,* Hyperbole, Similitudo, Metaphora, Epithetum. *De unoquoque traduntur quædam et cautiones et præcepta.*

QUÆ in proxima prælectione de phantaſiæ natura diſputare viſum eſt hunc ſaltem finem habuiſſe ſpero, ut ſcriptorem moneant ne nimis in conſtituendo opere huic animi parti tribuat, neve artis materiam temere effundat, juſta rerum junctura et ordine poſthabito. Sæpe enim effrænem phantaſiam ſuis ipſam ſe viribus impedire contigit: quum, ſi male inter ſe copulentur imagines, motus ille animi vixdum inceptus deficiat, unde hujus rei voluptas ferme omnis pendet. Nam ſicut alterius ictus vis ictu altero imminui ſolet, niſi in eaſdem ferantur partes, ita ex variis fontibus conquiſitæ ſpecies ſibi ipſæ invicem occludunt viam; neque tantum una omnes valent, quantum ſeorſim valerent ſingulæ.

Sumatur autem, exempli cauſa, ex Claudiano arborum illa recenſio, quas in pulcherrimo Siciliæ loco prope Hennam florere ait.

Apta fretis abies, bellis accommoda cornus,
Quercus amica Jovi, tumulos tectura cupreſſus,
Ilex plena favis, venturi præſcia laurus.
Rapt. Proſ. ii. 107.

Tribus hiſce verſiculis quantam et quam diſſitarum rerum immiſcuit turbam! Præter enim arbores ipſas, ſpectaculum id quidem multiplex ſatis et jucundum, mare, bellum, Jovis Apolliniſque oracula, funera, et mellis theſauros menti percurrenda obtulit; quarum rerum ut ſua cuique non deeſſet gratia, modo apte poemati intexerentur, ita eas hic nullo inter ſe ſocietatis jure contineri, non aliam ſponte ex alia naſci facile intelligitur, ſed invitas quaſi et coactas in eodem conſortio verſari.

Hoc igitur ad ea quæ prius de Phantaſia dicta ſunt adjungenda ſtatui, ne forte quis putet laxum tantummodo nos et errabundum cogitandi genus improbare, unde a propoſito longius æquo abduci ſolet ſcriptor; cum id gravius fortaſſe habendum ſit vitium, ſi quando hiulcus ſit et clauſulis conciſus cogitationum ordo, aut ſi a ſerie vixdum inchoata ſtatim ad novas advolatum ſit imagines, ex alieno genere petitas.

Sed monet me pridem ſuſcepti operis norma, ut aliquid tandem de poetico qui vocatur ſtylo proferam, quantum ad phantaſiæ partes pertinere videatur. Nam de tota re latior multo eſt doctrina, quam ut hic commode tractari poſſit aut attingi quidem: tum pleni ſunt criticorum libri præceptis, quæ coloris illius poetici capita et fontes ipſos aperire ſolent, et in univerſæ dictionis habitu informando plurimam impendunt curam.

Ex apparatu igitur rhetorico illo unde Ornatus effi-

citur ſtylus, quatuor modo ſumenda duxi, utpote phantaſiæ imprimis propria, ideoque ad uſus poeticos præſertim idonea; quæ tamen non niſi breviſſime jam in animo eſt tractare—*Hyperbolen* dico, *Similitudinem*, *Metaphoram*, et *Epithetum*.

De *Hyperbole* quidem a pleriſque ſcriptoribus eſt cautum, ne nimis ea utatur poeta, neve ulterius æquo veritatem deſerat: quare *cauſas* hic ſi poſſim ſatis ſit attigiſſe, cur huic culpæ faſtidium ſit finitimum. Primum igitur eſt, quod commotæ mentis erroribus, ſi aut longiores ſint aut nimii, denegatur venia: immo ne ſic commotam quidem mentem ſignificant, ſed conſilium potius et artem. Cui enim modum in furoribus tenere vacat, et comminiſci fabulam, eum certe ad rectam ilicet rationem reverti æquum eſt. Deinde, ſi res procedat longius, non modo lectorem deſtituat neceſſe eſt calor ille animi, quo ſublato tragœdiæ meræ et clamores ferri nequeunt, ſed inverecundus etiam et mendax videtur ſcriptor. Ipſos nempe ante oculos fraudem fieri, et quaſi laqueum ſtrui, indignamur; neque enim ſi quid unquam turbatis affectibus condonandum putemus, ſtatim id ſobrios mirari et credere oportebit.

Virgilium ergo in tempeſtate illa, quamvis naturæ fines exſuperet, facile omnes patimur dicentem,

Terram inter fluctus aperit;

quoniam et paucis res abſolvitur, et ſtatim ad vera tanti mali pericula tranſitur. Lucanus autem dum ſingula ſingulis addendo miraculum vult magis in conſpectu ponere, impudentiæ tantum arguitur.

Quantum Leucadio placidus de vertice pontus
Deſpicitur, tantum nautæ videre trementes

Fluctibus e ſummis præceps mare; cumque tumentes
Rurſus hiant undæ, vix eminet æquore malus.
Nubila tanguntur velis, et terra carina.
Pharſ. v. 638.

Atqui raro admodum hac figura utuntur qui aliquo in numero habentur poetæ. Contra *Similitudines* affectant ferme omnes, et in omni poematum genere: neque ſane his dulcius quid unquam excogitatum fateor, aut quod ſine faſtidio delectet magis, aut ad reficiendos ſenſus ſit aptius. Hujus autem loci nequaquam erit ad infinitam pæne doctrinam deſcendere, quæ de Similitudinum dignitate ac pulchritudine verſatur, prout a rebus animatis aut inanimatis, a cœlo, a rure, aut a diverſis vitæ muneribus originem ducant. Nam tametſi hæ res ſuo non carent pondere, at ſi quis inſtituto olim a nobis operi animum diligenter adverterit, multum fortaſſe in his curæ abſumptum eſſe meminerit, quando in Imitationis vi expendenda accurate verſaremur. Tunc enim ex variis naturæ partibus adductæ ſunt imagines, quæ admirabilem aut eligendi aut pingendi artem prædicarent, quamquam Similitudinum nomine ſuum in poemate locum obtinuerint.

Nunc alia plane res agitur: neque enim *imagines* quæ comparantur, ſed *comparationis* ipſius vim ac proprietatem animadverti volo: qua nimirum lege optime inter ſe conjungantur res, ut phantaſiam non rudem penitus et agreſtem permulcere poſſint.

Primum igitur fugiendum omnino cenſemus Aſiaticum illud genus, quod veræ ſimilitudinis nullam propemodum curam haberi vidimus: quum in id ſolum intenti videantur ſcriptores, ut ſpecioſas hinc

illinc diſpergant imagines. Hoc utique in vitio, ne plura commemorem, eſt Arabica illa exercitus cum vere comparatio, etſi Joneſio (facili nimis Aſiaticorum judici) perquam placuerit.

'Agitati ſunt jaculorum et pugionum mucrones, et 'prodierunt ramulorum extremitates; explicata ſunt co-'hortium vexilla, et ſparſi flores ſplendidiſſimi ſuper col-'lium juga. Ad ſummam, produxit Ver fulgura enſibus 'exercitus nitidis ſimilia, et tonitrua militum clamoribus; 'hortulos autem et colliculos ſimiles eorum ephippiis et 'pulvinaribus ornatis; denſas porro nubes pulveri, ane-'monas vexillis, arbores floreas tentoriis, ramos ſpiculis 'conſimiles; et æmulatum eſt [Ver] ventis ſuis vehemen-'tibus mandata imperatoris, [Timuri] et cohortes ejus ni-'gras vireſcentibus ſuis foliis, et floribus ſuis cæruleis cra-'teras ejus ſplendidos, et confluentibus ſuis rivis progredi-'entem ejus exercitum, et agitatum mare legionum ejus, 'motu fluctuanti hortorum ejus, dum auræ veſpertinæ 'ſpirabant.' *Poeſ. Aſiatic. Comment.* cap. 12.

Proximum eſt genus, quorum *generalis* admodum eſt ſimilitudo, et quæ pariter in complura alia convenire poſſet. Minime in hiſce exagitandis triſtem me aut aſperum exiſtimari velim. Quippe omnis ævi poeſis, præſertim rudioris, tantam imaginum præ ſe fert copiam, ut exquiſitam ubique ne poſcamus diligentiam aut ingenii ſubtilitatem prorſus vetet. Hujuſmodi ſunt quæ heroa fortiter pugnantem feræ comparant; interfectum eundem arbori occiſo; prœlium atrox tempeſtati; aut quæ denique res duas conjungere ſolent, propterea quod *elegans* ſit, aut *jucunda*, aut *caduca* utraque, aut tale quiddam inter ſe commune habeant. His etenim ſua non deeſt virtus, quum et varietate rerum permulcent animum, et gratam injiciunt narrationi moram. Ex *comparatione* ipſa parum, opinor, voluptatis capitur.

Tertium igitur in locum referendæ ſunt eæ, quarum in *analogia* ſive *proportione*, ut Mathematici loquuntur, vis ponitur. De quibus tametſi vereor ne ſubtiliorem aliquanto doctrinam refugiant aures veſtræ, tanquam a poetico nimis ingenio alienum, tamen elementis quibuſdam accurate prius expoſitis dilucidior, ut ſpero, fiet tota rei hujuſce ratio.

Statuamus ergo, comparationem *Analogicam* ex quatuor omnino terminis conſtare: quorum, ut in Geometria, duo antecedentes, conſequentes duo. Sicut autem primus ad ſecundum, ita tertius ad poſtremum ſe habere debet. Miſſa nunc rei comparatæ pulchritudine, optima erit comparatio, cujus *perfecta* ſit *analogia*; non eam dico quæ ſervato ordine terminos ipſos exſtare et quaſi eminere faciat, ſed quæ, hoc fundamento innixa, ita rem diſtribuat coloribuſque obducat, ut latente quodammodo cauſa vis mentem feriat. Hujuſmodi eſt terribilis illa Hectoris deſcriptio concitato curſu adverſus hoſtes ruentis, quem ideo ingenti ſaxo poeta comparat, a ſummo monte in planitiem per oppoſitas arbores et virgulta devoluto.

Τρῶες δὲ πρῶτυψαν ἀολλέες. ἦρχε δ' ἄρ' Ἕκτωρ
Ἀντικρὺ μεμαὼς, ὀλοοίτροχος ὡς ἀπὸ πέτρης,
Ὅντε κατὰ στεφάνης ποταμὸς χειμάῤῥοος ὤσῃ,
Ῥήξας ἀσπέτῳ ὄμβρῳ ἀναιδέος ἕχματα πέτρης,
Ὑψι τ' ἀναθρώσκων πέτεται, κτυπέει δέ θ' ὑπ' αὐτῆ
Ὕλη· ὁ δ' ἀσφαλέως θέει ἔμπεδον, ΟΦΡ' ΑΝ ΙΚΗΤΑΙ
ΙΣΟΠΕΔΟΝ, τότε δ' ἔτι κυλίνδεται, ἐσσύμενός περ·
Ὡς Ἕκτωρ, εἷως μὲν ἀπείλει μέχρι θαλάσσης
Ῥεῖα δ' ἐλεύσεσθαι κλισίας καὶ νῆας Ἀχαιῶν,
Κτείνων· ΑΛΛ' ΟΤΕ ΔΗ ΠΥΚΙΝΗΣ ΕΝΕΚΥΡΣΕ ΦΑΛΑΓΞΙ,
Στῆ ῥα μάλ' ἐγχριμφθείς. *Il.* N. 136.

Satis id quidem Homero plerumque eſt viſum, ſi res

ſimilitudine aliqua conjungere poſſit, vix ulla Analogiæ ratione habita: neque hic mirum foret, ſi præcipitem modo herois curſum ſaxi ruentis imagine declaraſſet; adjectis vero duobus terminis, planitie ſcilicet et Graiorum acie, (quorum utriuſque ad terminos priores eadem eſt ratio, *ut impetum cohibeant*) juſta jam facta eſt comparatio et numeris omnibus abſoluta.

Pari in laude eſt alioqui pulcherrimus Valerii Flacci locus, ubi mulieres ait a mœnibus urbis proſpicere ingruentis belli faciem, tanquam aves, adventante hyeme ramis mæſte inſidentes.

> Aſt illæ murorum extrema capeſſunt,
> Defixæque virum lituumque fragoribus horrent.
> Quales inſtanti nimborum frigore mæſtæ
> Succedunt ramis, hærentque pavore volucres.
>
> *Argon.* vi. 503.

Perfectam hic quoque videmus Analogiam: ut *bellum* ad *mulieres*, ita ad *aves imber* ſe habet.

Quare ut hoc, quaſi normam quandam et exemplar, ante oculos ponamus, non abs re fortaſſe fuerit pauca quædam ex diverſis ſcriptoribus exempla ad hunc canonem exigere: unde fidem modo dictis acceſſuram puto—pulchriorem ſcilicet comparationem reddi, prout a perfecta analogia propius abſit. Meminiſſe autem omnino oportebit, nos hac in parte non *rei comparatæ* ſed *comparationis* vim æſtimare: cum ſæpius id fieri contingat, majorem imaginis ſpecioſæ vim eſſe, ſimilitudine imperfecta, quam ſordidæ alicujus aut quotidianæ, cujus propinquior eſſet cum re præcipua neceſſitudo.

Ejuſdem ergo Valerii egregius eſt locus quo deſcribitur Medea, pavida et conſilio male fiſa, patriam

cum Jaſone relictura: quam utique cunctantem et labantem animo hortatur Venus, ipſam ſe viæ comitem adjungens.

> Qualis adhuc teneros ſupremum pallida fœtus
> Mater ab excelſo produxit in aera nido,
> Hortaturque ſequi, brevibuſque inſurgere pennis:
> Illos cærulei primus ferit horror Olympi;
> Jamque redire rogant, adſuetaque quæritur arbor;
> Haud aliter cæcæ per mœnia deficit urbis
> Incedens, horretque domos Medea ſilentes.
>
> *Argon.* vii. 375.

Quicquid huic comparationi laudis dandum cenſeamus, ut quæ rem venuſtam ſumma fide expreſſerit, vix dubium habeo, quin jam pleriſque qui me audiunt ſubierit, potiorem multo eſſe Angli[a] poetæ in eadem re locum, propterea quod res ſibi invicem comparatæ *analogice* magis inter ſe coire fecerit: quippe ubi ſapientiæ divinæ miniſtrum ſcriptor ponit, ſuaviter ſuos maternæ avis ritu trahentem, præceptis, hortatu, exemplo etiam (non ſicut Venerem iſtam in perniciem) ſed ad cœli et ſalutis viam capeſſendam.

Magni profecto ſunt pretii complures veterum poetarum comparationes, quæ ab optimo illo genere aliquantum recedunt; ubi ſcilicet res conceptu jucunda et ſumma arte conficta proponitur: facile tamen vel in his intelligi poteſt, quanta ſervatæ futura eſſet analogiæ virtus. Sic Ulyſſem noctu arida inter folia obvolutum, ſcintillæ comparat medio in cinere ſepultæ; ubi ſimplex valet certe ſimilitudo, analogia abeſt. Eundem ferme ad modum Agamemnonis gemitus, *crebri fulguris inſtar* iterari inquit.

[a] Goldſmith. 'Deſerted Village.'

Ὡς δ' ὅτ' ἂν ἀστράπτῃ πόσις Ἥρης ἠϋκόμοιο
Τεύχων ἢ πολὺν ὄμβρον ἀθέσφατον, ἠὲ χάλαζαν,
Ἢ νίφετον, ὅτε πέρ τε χιὼν ἐπάλυνεν ἀρούρας,—
. . . . . .
Ὡς ὠκὺν ἐν στήθεσσιν ἀνεστονάχιζ' Ἀγαμέμνων
Νειόθεν ἐκ κραδίης. *Il.* K. 5.

Sagittam pariter a lorica reflexam ſalienti in tritura legumini aſſimilat[b]—Aquilæ alas patefactis palatii valvis[c]—heroas cadaver humeris portantes mulis tignum ingens vi trahentibus[d]—Ajacem hoſtibus oppreſſum, et tardo pede ſe ex turba amoventem, aſino puerorum ictibus laceſſito[e].

His nempe exemplis deeſſe ſtatim conſtat *proportionem* illam, quæ in præſtantiſſimo quoque locum habet. Cujus generis complura vel ex Virgilio adferri poſſent, quæ ſimilem ob cauſam, non peccare, ſed perfecto excidere dicas. Etiam pulcherrimum illud

Qualis populea mærens Philomela ſub umbra,

non omnino placet ad *maritum* accommodatum, amiſſa conjuge dolentem.

Nuſquam tamen Virgilium committere opinor, ut pugnantia inter ſe conferri videantur; ea ſcilicet jungendo, quibus diſſidii quædam nota manifeſto inſit: qualia eſſe Homeri nonnulla negari nequit. Sic enim Achillem Hectori inſequentem per *aperta* ante Trojam ſpatia infeliciter prorſus cani comparat, per *ſilvas et dumeta* hinnuleum venanti. Neque culpa hac vacant quæ de ignea Achillis criſta magnifice ſatis effert, terribili nempe et letifero intuentibus

[b] Il. N. 590. [c] Il. Ω. 317.
[d] Il. P. 751. [e] Il. Λ. 557.

ſigno, quam tamen ignes illos referre ait, ab hominibus bello oppreſſis accendi ſolitos, ut de rerum anguſtiis ſuos certiores faciant et auxilium orent[a].

Pariter eſſe ab Homero delictum vult Scaliger ille, iniquus ſane Græci nominis inſectator, ubi Hector tanquam fluctus in Græcos ordines irrupiſſe dicitur, qui diu, velut ſcopulus undis immotus, ſteterant: ‘peſſimo namque conſilio poetam ſaxo Græcos ‘comparaſſe, qui ſunt multi, fluctibus vero Hecto‘rem qui eſt unus[b].’ Cauſam aliquantum a ſtatu detorquet mordax hæc nimis et malitioſa interpretatio. Non enim, ut ſuſpicari quis poſſet hac incuſatione audita, utraque *ſimul* imagine utitur Homerus[c]; ſed poſtquam phalanga Græcorum rupi immotæ comparaſſet, mox ad *novam* ſe confert imaginem, Hectorem dicens perruptis hoſtium ordinibus ſubito irruiſſe, veluti fluctum *in navem* per latus aquarum vi fractum. Noſtræ interea diſciplinæ auctoritatem non levem adfert tanti viri judicium, quum ineptum haberi vult imaginis uſum, niſi quæ cum præcipua re aliquo analogiæ jure conſociari poſſit.

Quantum vero lex ea rite ſervata polleat, ſi cui adhuc in dubio ſit, Virgilium adeat, a quo ſumma arte accommodata eſt eadem ferme imago ad Latinum regem, propoſiti tenacem, et *contra vulgi clamores* animo auribuſque obſtinatum.

Ille velut pelagi rupes immota reſiſtit:
Ut pelagi rupes, magno veniente fragore,
Quæ ſeſe, multis circumlatrantibus undis,

[a] Il. Σ. 207. [b] Scal. Poetic p. 570.
[c] Vid. Il. O. 615—629.

Mole tenet: ſcopuli nequicquam et ſpumea circum
Saxa fremunt, laterique illiſa refunditur alga.
Æn. vii. 586.

Minime in comparationibus hiſce expetere eſt æquum Analogiam rectæ rationi conſentaneam, modo ne ea ſit, quæ nullam præ ſe ferat ſpeciem veritatis, et in nugas omnino abeat. Cujuſmodi ſunt bene multa Aſiaticorum a Joneſio laudata. Summam nempe hominibus fortunam mediocri eſſe periculoſiorem, ecquis melius videt aut cogitat, adductis quæ ſequuntur ab Arabico poeta imaginibus?

Annon vides mare in cujus ſuperficie feruntur cadavera?
At reſident extremo in fundo margaritæ.
Quot ſunt in terra arbores cum virides tum aridæ?
At lapidibus nullæ petuntur, niſi quæ fructus afferant:
In cœlo autem ſidera ſunt innumera;
Sed defectum non patiuntur præter ſolem ac lunam.
Poet. Aſiat. Comm. cap. 14.

Adeo vel in levioris momenti rebus cavere oportebit, ut a ratione penitus diſcedatur: nam licet *accidentia* rerum non intimam naturam et *eſſentiam* ſequatur poeſis, tamen accidentibus hiſce veram ſubeſſe vult analogiam, ſine qua ad nihilum redit ſimilitudo.

Ne vero acerbiorem æquo de his ſententiam ferri quis objiciat, minime neceſſarium dixerim ut in omni parte congrua ſit comparatio: nam ſi ad rem faciat prima ejus vel præcipua pars, facile alia phantaſiæ permulcendæ cauſa redundare patimur. Frequens in hoc artificio eſt optimus quiſque, cum vetuſti, tum etiam cultioris ævi poeta; nempe, ut imaginem ſemel adductam fuſius perſequatur, recenſeatque multa quæ cum præcipua re nihil commune habent.

Inſignis in hoc genere eſt Hebræi vatis locus de concordia fraterna, eleganter admodum a Lowthio Latine verſus.

O dulce jucundumque! Tribulium
Cœtu in frequenti mutua caritas!
O corda qui fraterna nodo
Jungit amor metuente ſolvi!
Non aura nardi ſuavior occupat
Senſus, *quæ Aronis vertice de ſacro*
Per ora, per barbam, per ipſas
Lenta fluens it odora veſtes. *Prælect.* 25.

Ex Homero autem cuivis ſtatim ſuccurrent exempla, quæ omiſſa pariter ſimilitudine *ſecundam* rem augent. Vix tamen probanda videntur ea de Agamemnone;

Ἴστατο δακρυχέων, ὥστε κρήνη μελάνυδρος
ΗΤΕ ΚΑΤ' ΑΙΓΙΛΙΠΟΣ ΠΕΤΡΗΣ ΔΝΟΦΕΡΟΝ
ΧΕΕΙ ΥΔΩΡ. *Iliad.* I. 14.

Namque ubi durior paullo imago per ſe viſa eſt, raptim ad nova tranſire ſatius eſſet, quam male conceptis immorari. Neque ſane in ſingula excurrat ſcriptor quæ non modo aliena, ſed *incongrua* quoque videntur. Satis utique illud ſit, ſimilitudinem ex animo *miſſam facere*; nedum eam *minui* ſinamus. Hoc autem in vitio habenda ſunt illa Apollonii, ubi Lemnias mulieres, abeuntibus Argonautis *cum fletu* circumfuſas, apibus comparat, quarum ſtrepitu ſerena æſtate *lætantur* prata.

Ὡς δ' ὅτε λείρια καλὰ περιβρομέεσι μέλισσαι
Πέτρης ἐκχύμεναι σιμβληΐδος, ἀμφὶ δὲ λειμὼν
Ἐρσήεις ΓΑΝΥΤΑΙ, ταὶ δὲ γλυκὺν ἄλλοτε ἄλλον
Καρπὸν ἀμέργουσι πεποτημέναι· ὣς ἄρα τάί γε
Ἐνδυκὲς ἀνέρας ἀμφὶ ΚΙΝΥΡΟΜΕΝΑΙ προχέοντο[c].
Apollon. i. 879.

Eodem vero nomine inique carpi Homerum contigit[d], quia ſcilicet *inſtructas* Graiorum copias avibus comparavit, *confuſo ordine* ludentibus :

Τῶν δ' ὥς τ' ὀρνίθων ποτεηνῶν ἔθνεα πολλὰ,
Χηνῶν, ἢ γεράνων, ἢ κύκνων δολιχοδείρων,
Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα,
Ἔνθα καὶ ἔνθα ποτῶνται ἀγαλλόμεναι πτερύγεσσι,
Κλαγγηδὸν προκαθιζόντων, σμαραγεῖ δέ τε λειμών·
Ὣς τῶν ἔθνεα πολλὰ νεῶν ἄπο καὶ κλισιάων
Ἐς πεδίον προχέοντο Σκαμάνδριον. *Iliad.* B. 460.

At ſi rem attentius intueri voluiſſet Criticus, non juſtam hic deſignari aciem vidiſſet, ſed turbam inconditam militum e navibus et tentoriis undique ad campum properantem.

Nonnihil hac in parte phantaſiæ indulgere Virgilium juvat : ſicut in Amatæ reginæ furiis memorabili exemplo eſt factum :

Ceu quondam torto volitans ſub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent : ille actus habena
Curvatis fertur ſpatiis : ſtupet inſcia turba,
Impubeſque manus, mirata volubile buxum :
Dant animos plagæ.

Tot utique animo proponuntur imagines, e quibus *velocitas* ſola argumento convenit :

[c] Scholiaſten quidem non fugit hæc rerum inconſequentia ; cujus hæc ſunt verba.

Ἡ δὲ παραβολὴ ἐχ ὑγιὴς, ἐδὲ εἰς πάντα ἁρμόζεται· ἔγω γὰρ μελίσσαις εἰκάσθαι τὰς γυναῖκας, ἄνθεσι δὲ τοὺς ἥρωας, σίμβλῳ δὲ κοίλῳ τὴν πόλιν· τὰ δὲ ἐπίλοιπα πῶς ἂν ἐκ εἴη ἀνάρμοστα ; δι' ὧν φησὶ, χαίρει καὶ ἀγάλλεται ὁ λειμών· καίτοι λυπεῖται ἡ πόλις, δι' ὧν φησὶ κινυρόμεναι.

[d] Scal. Poet. p. 565.

Non curſu ſegnior illo
Per medias urbes agitur, populoſque feroces.
Æn. vii. 378.

Quædam interea diverſa prorſus culpa laborare novimus, quando ita ſint res natura ſimiles ac ferme eædem, ut altera vix alteri lucem afferat. Sic mulierem Latonæ aut Dianæ, virum Apollini fuſius comparari quid refert? Eleganti ſæpe ac venuſtæ deſcriptioni occaſionem præbent; at *Similitudinum* nomine laudari talia nequaquam convenit. Quare eodem tandem redire conſtat omnia, quæcunque in hac parte animadverti contigit—nempe eam demum perfectam fore Comparationem, *quæ in duabus diverſorum generum rebus fiet, quarum utriuſque eadem ſit ratio ad conſequentes duas.* Quod ſi ulterius tendat analogia, ut ſint ſex aut plures termini, modo ne in Allegoriam creſcat, perfectior erit certe et efficacior. Tum in *ſecunda re* explicanda, religioni ne ſit, ut particulatim penitus cum priore congruat: ſin autem aliquid ſui generis ſpecioſum habeat, juſta proportione ſemel poſita, id porro ſcriptorem efferre ne pudeat.

Tantum in hoc capite excutiendo abſumptum eſſe temporis minus doleo, quoniam modo dicta *Metaphoræ* pariter inſervire poſſunt; quæ contracta quædam habenda eſt comparatio, *præteritis duobus Analogiæ terminis*, et nulla ſimilitudinis mentione facta.

Quare ad quartum illum de *Epithetis* progrediamur locum; et relicta jam univerſæ rei diſciplina, cujus plurima ſunt præcepta de antiquis, compoſitis,

cumulatis, perpauca tantum hodie proferre liceat, quæ ad Phantaſiam præ cæteris videntur ſpectare.

Primum igitur eſt, ut ab Epithetis ſedulo abſtineatur, quæ reconditum quiddam habent aut longius quæſitum, et ænigmati propius. Satiram profecto hæc nimis ſapiunt, et in meliori poeſeos forma ſunt perraro adhibenda. Quis enim iſta probet Claudiani?

> Et qui cornipedes in pocula vulnerat audax
> Maſſagetes, cæſamque bibens Mæotida Alanus.
>
> *Rufin.* i. 311.

Putidius haud dubie ſonat illud *cæſam Mæotida*, quo quidem ſignificatum vult aquas adeo gelu indurari, ut ſecuribus in humanos uſus cædantur. Tum aſtuto illo ‘ cornipedes in pocula vulnerat,’ quanto præſtantiora ſunt Virgilii rem aperte monſtrantis!

> Cum fugit in Rhodopen, atque in deſerta ferarum,
> Et lac concretum cum ſanguine potat equino.

Quod vero præcipue in hoc genere animadverſum velim, eſt Epithetorum *negantium* vis; quam, licet eam Ariſtoteles leviter attigerit, pleroſque artis criticæ ſcriptores fugiſſe puto. Græcis quidem poetis magis hæc in uſu fuiſſe mirari deſinet, cui in mentem venit ſingularis linguæ iſtius in componendis vocibus facultas, præſertim iis quibus præit negativa. Operoſius hoc Latine verborum ambitu efficitur; univerſa oratione ſæpe in eam ſententiam converſa, quam ſingula Græcorum vocabula negative efferunt: ut in his,

> Pone me pigris *ubi nulla campis*
> *Arbor æſtiva recreatur aura:*
> . . . . . .

Pone ſub curru nimium propinqui
Solis *in terra domibus negata.*

Nemini autem non ſuccurrent a Græcis ſcriptoribus in re non abſimili aliter ac preſſius dicta, quæ tempore admonitus jam prudens prætereo. Illud tamen minime tacendum duxi, quod Epithetis iis pondus ſit longe maximum, quæ *una cum Metaphora negative coëunt.* Locus eſt ſubtilior paullo, et qui apertius exponi debet. Sumpto igitur nomine rei alicujus, negatur ſtatim aliquid iſtius rei proprium: unde vivida repente fit et manifeſta *tranſlatio.* Verſum aliquem Æſchyleum, exempli cauſa, adeamus, qui hac utitur figura.

ΑΝΑΥΔΟΣ, σαφὴς, ἔτυμος ΑΓΓΕΛΟΣ. *Sept.* 82.

Pulverem ſcilicet adventantis exercitus *nuntium* dicit, non clarum modo et fidelem, (hæc enim in verum nuntium convenire poſſent) ſed *mutum* etiam. Pariter in Prometheo appellatur vultur,

ΑΚΛΗΤΟΣ ἕρπων ΔΑΙΤΑΛΕΥΣ πανήμερος. *Prom.* 1032.

hoſpes *non*, ut veri hoſpites, *vocatus.*

Sic rurſus in Agamemnone;

Μαντιπολεῖ δ' ἀχέ-
λευστος ΑΜΙΣΘΟΣ ΑΟΙΘΑ. *Agam.* 987.

Magnam interea eſſe hujus Epitheti vim, non modo Ariſtotelis judicio, ſed poetarum quos noſtra tulit gens longe principum, Shakeſperi utique et Miltoni, uſu comprobatum video; quoties commotæ mentis vehementiam et concitatos affectus declarari volunt. Apud Latinos rarior ejus multo eſt uſus: quod linguæ iſtius rationi tribuendum duco; cum neque flexibilis ſit ſicut Græca, neque ad componendas

voces apta. Noſtræ vero, etſi Græcam facilitatem deſideret, non deeſt particularum copia quæ vocabulis negandi vim adferunt.

Atque hæc quidem hactenus de Styli ornamentis diſputaſſe ſatis eſto: cujus rei magnam ſane et multiplicem doctrinam, exeunte opere noſtro, plenius perſequendi neque ſpes mihi unquam fuit nec voluntas. Quoties enimvero in iſtum diem mente ac cogitatione me conjicio, quo ad hanc ſedem veſtra benevolentia ſum evectus, et quantis tum curis angi ſolerem in memoriam redit, ne et officio meo et veſtræ exſpectationi penitus deeſſem, ſolari id equidem interdum me fateor, quod res anxia et perdifficilis exitum tandem habuerit, votis certe imparem, ſed præ timore qui tunc meum animum invaſerat non omnino infelicem. Quam enim rem decennio ante in partes diſtribui neceſſe erat, locis quidem ea fecundior ſæpe eſt inventa, quam ipſe animo præceperam; quare propoſiti olim operis mox partem aliquam decidi oportebat: at quo longius inſtituta procederem via, eo me perſuaſum magis habui, recto itinere pedem primo eſſe poſitum. Tum, quod maxime ſemper e votis et jucundiſſimum evenit, vultu illo et favore veſtro frui videbar, quem ſi amiſiſſem, ſedem hanc jam olim decreveram non honori ſed dedecori plane futuram. Ex hoc igitur metu me eripuit, primum veſtra toties perſpecta liberalitas, quam, niſi quæ ſint propria induſtriæ ac vigiliarum præmia, longe et meritis meis confiterer fuiſſe et prope ſpe majorem. Sed laborem hunc, quicunque tandem fuerit, non minimum levabat juventutis illud Academicæ ſtudium, quo ardentius eam ad bonas artes excolendas, literaſque illas quæ

in diſciplinæ noſtræ rationem præſertim caderent, quotidie ferri viderem.

Quod ſi fas ſit etiam ſperare aliquid in hac parte hortatu et monitis noſtris effectum eſſe, ut aut inde traxerint adoleſcentes, quod ſe in ſtudiorum curſu, ſpreta leviculorum hominum dicacitate, conſtantius tenerent, aut ad quod intuentes iter ſuum regere ac moderari poſſent, *utilitate* etiam ſua operam noſtram non omnino caruiſſe jam lætus confiderem. Etenim ego hoc animo ſemper fui, ut vix quidquam utilius eſſe judicarem, aut homine magis dignum, quam ingenii culturam: atque eam præſertim culturam, quæ vel in voluptatibus informet mores, quæ longe a vulgi ſtudiis et vulgaribus gaudiis mentem revocare poſſit, quæ integros pulchri honeſtique recludat fontes, atque inde haurire doceat. Atque haud ſcio an ſanctior quædam inter has artes et veram virtutem neceſſitudo intercedat: ut quod in illis rectum ſit et decorum etiam SUMMI illius BONI quodammodo particeps fiat. Neque enim facile crediderim de eo, qui ſemel hac imbutus fuerit diſciplina, qui in id tota mentis acie aſſuefactus fuerit incumbere, ut quid ſit in rebus decens, quid pulchrum, quid congruum, penitus intueretur, quin idem harum rerum perpetuum amorem foveat, et cum ab his ſtudiis diſceſſerit, etiam ad reliqua vitæ officia earum imaginem quaſi animo infixam transferat.

FINIS.

excidat, hoc illico ad ſe transfert. Si comiter a quoquam exceptus fuerit, aut familiarius ſolito ſalutatus—rem omnem evolaſſe—aurum cognitum—actum de ſe putat. Et poſtquam mille modis ſe vexavit, cum nemini fidat, huc illuc ſecum deportans aurum, tandem, uti par erat, præ nimio tumultu ſuum ipſe ſibi proditorem agit.

Neque ſane cum a toto genere diſceditur, locus non patet ampliſſimus ubi ingenium ſcriptoris ſe exerceat—quoties ſcilicet minutas captat morum proprietates, ſicuti ſe habent in certo quodam rerum ſtatu ac conditione, et exquiſitum aliquod notat idemque ſubtilius quam pro communi hominum captu. Multa enimvero ſunt in vitæ commercio quæ maxime naturæ conveniunt, ſed quoniam infrequentiora fortaſſe fuerint, aut majoribus apertiſque ſignis careant, aut brevi diſpereant tempore et evaneſcant penitus, idcirco in ſenſum vulgi raro cadunt. Aut ſi quid unquam hujuſmodi efferre opus ſit, ſtatim ad illud confugiunt,

Nequeo monſtrare, et ſentio tantum.

In his igitur expediendis quidam operæ bonam partem non infeliciter collocarunt. Quanquam enim procul abeſt, ut rem ſummæ facultatis id eſſe judicem, attamen quo bene procedat, ingenio certe opus eſt non inerti, et ſagaci judicio, acieque acri et in rem unice intenta.

Nam ſicuti in cœlorum ac naturæ facie, multa quotidie fiunt quæ, licet imperitorum oculos fugiant, pictoribus patent—nebularum varii aſpectus —luminum mutationes—colores vagi et inſtabiles qui vel in tranſitu pereunt—quæ illi omnia ſtudioſe obſervando ad uſum artis ſuæ colligunt; idem fere

eſt in hominum moribus deſignandis. Animi enim natura cum ſit multiplex et inconſtans, pro rei, temporis, loci occaſione motus habet longe diverſos, eoſdemque ſubtiles ſæpe et incertos, et quales non niſi ipſo temporis articulo comprehendere ac complecti licet. Quo in ſtudio ſi quis docte verſetur, et intimos reconditoſque ſenſus curioſe eliciat, eum ſane, ut cætera deſint omnia quæ in poeta requirimus, non ſine admiratione quadam et voluptate legimus.

Etenim in celeberrimo Lucretii libro, ubi ſingillatim ea percurrit, quibus ſub falſa veri ſpecie capiuntur ſenſus, delectamur certe venuſtate carminis quæ eſt in hac parte egregia—maxime tamen tenemur facultate illa, qua totam ſenſuum rationem et perſpicere penitus potuit et ſumma fide explicare. Paucos modo ex ſexcentis fere verſibus in eodem argumento fas ſit apponere.

Qua vehimur navi, fertur, cum ſtare videtur:
Quæ manet in ſtatione, ea præter creditur ire,
Et fugere ad puppim colles, campique videntur,
Quos agimus præter navim, veliſque volamus.
Lucret. iv. 388.

Denique ubi in medio nobis equus acer obhæſit
Flumine; et in rapidas amnis deſpeximus undas;
Stantis equi corpus tranſverſum ferre videtur
Vis, et in adverſum flumen contrudere raptim:
Et, quocunque oculos trajecimus, omnia ferri
Et fluere adſimili nobis ratione videntur. *Ib.* 422.

Interna ſunt illa quæ ſequuntur et magis ad animi partem pertinentia,

Et quoi quiſque fere ſtudio devinctus adhæret,
Aut quibus in rebus multum ſumus ante morati,

Inſignem eſſe illam in Statio virtutem jam ante poſui, ut quæ in natura rerum confuſa jacent cernat penitus et diſtinguat; et ſi quæ ſint cæteris probatiora, eruat hæc e turba atque eminere faciat. Neque meliori unquam augurio eum hunc puto delectum habuiſſe, quam in Epicedio ob mortem filii infantis atque unici.

Nonne gemam te, care puer, quo ſoſpite natos
Non cupii? primo gemitum qui protinus ortu
Implicuit, fixitque mihi: cui verba, ſonoſque
Monſtravi queſtuſque et vulnera cæca reſolvens.
Reptantemque ſolo demiſſus ad oſcula dextra
Erexi, blandoque ſinu jam jamque natantes
Exercere genas, dulceſque accerſere ſomnos.
Cui nomen vox prima meum, luduſque tenello
Riſus, et e noſtro veniebant gaudia vultu.

Tanta eſt in poſtremis verſibus elegantia ac ſubtilitas, ut (ſicut de Parrhaſii picturis olim dictum eſt) ‘ ambire ſe videatur extremitas ipſa, et ſic deſinere ut ‘ promittat alia poſt ſe, oſtendatque etiam quod occ‘ cultat.’ Neque hic me fugit plurimum eſſe in dolore patris poſitum; quem natura duce decuit in ſingula diligenter excurrere, et fuſe commemorando ætatulæ iſtius blandimenta, acerbam alere amiſſi filii memoriam.

Quæ vero ad affectus pertinent omnemque humani ſenſus rationem, ſicuti ſe habet in diverſis vitæ conditionibus ac fortunis, tum quæ in hiſce expediendis ſervanda ſint præcepta, prioribus quidem illis ferme ſimilia, proximæ nobis curæ erit perſequi.

PRÆLECTIO NONA.

De Morum Imitatione reſumitur quæſtio—Scenicos præſertim ſcriptores adire oportet—De Terentio et Plauto judicium fertur. A Perſonarum *imitatione tranſitur ad* ſenſus affectuſque animi ſubtiliores, *qui pro re nata oriuntur. Eadem ferme in his tractandis adhibenda eſt cautio, quæ in* Externorum *deſcriptione.*

QUÆ exempla de infantum moribus ad naturæ veritatem expreſſis proxima prælectione proferre viſum eſt, ea hanc vim habuiſſe puto, ut quid effici poſſit diſerta imitatione ſignificarent, etiam in ſumma rei tenuitate. Quod quidem adhuc manifeſtius cernitur in provectioribus vitæ ſpatiis; quibus ut varietas ineſt major et quædam quaſi perſonæ dignitas, ita ad eam voluptatem propius acceditur, qua mulcetur animus, dum humanos mores intuetur atque omnem communis vitæ conſuetudinem.

Difficile enimvero eſt in hac parte imitationem prorſus ab affectibus ſecernere, atque hanc voluptatem de qua præſertim agitur, ita integram ſinceramque exponere, ut nihil alieni in ſe recipiat. Neque ſane hoc loco expediendam duco doctrinam de moribus et perſonis apte ad naturam accommodandis. Qua de re notiſſima ſunt Horatii carmina, ubi Magiſtri ſui Ariſtotelis præcepta fere ad verbum reddidit. Et profecto quod in hoc genere præſtari

CORRIGENDA.

P. 21. *l.* ult. *lege* affectus, tamen
31. *l.* 19. percipietur *lege* percipiatur
— *l.* 29. qui *lege* quod
38. *l.* 10. contineri *lege* contineantur
56. *l.* 5. distinctam *lege* distincte
82. *l.* 28. manifestius *lege* melius
85. *l.* 28. jecti *lege* dejecti
96. *l.* 14. de *lege* præ
102. *l.* 26. ista *lege* iste
142. *l.* 19. excurrerit *lege* excreverit
146. *l.* 21. secum *lege* suum
167. *l.* 6. *post* ἄγαν *interpone* σιγὴ
178. *l.* 14. impelluntur *lege* impellantur
201. *l.* 11. *dele* et intactam
219. *l.* 15. *post* quidem *interpone* mulier
221. *l.* 13. discendit *lege* descendit
233. *l.* 20. inquirentur *lege* inquinentur
270. *l.* 12. ornamenti *lege* ornatu
275. *l.* 25. ἰσθλὰ *lege* ἰσθλὰ
329. *l.* 22. ΑΝΑΤΟΛΑΣ *lege* ΑΝΤΟΛΑΣ

Quædam insuper vocabula rectius utinam, aut certe constantius ubique scripta essent: viz. *paullo* non *paulo*, *exspecto* non *expecto*, *solicitum* non *sollicitum*, *silva* non *sylva*, *sepulcrum* non *sepulchrum*, *secundus* non *fœcundus*.